


1520



Mentel sc.

Q. CVRTIVS
DE RE
ALEXANDRI
MAGNI
HISTORIA
SUPERSTITIONUM
CHRISTOPHORUS



LIPSIÆ
APVD THOMAM
ANNO M. DC.

Q. CVRTHI RVFI
DE REBVS
ALEXANDRI
MAGNI
HISTORIA
SVPERSTES.

CHRISTOPHORVS CELLARIVS

Recensuit,

Nouis Supplementis, Commentariis, In-
dicibus & Tabulis Geographicis inlu-
stravit.

Notulas in vsum tironum adiecit

CHRISTIANVS SCHOETTGENIVS.



LIPSIAE
APUD THOMAM FRITSCH,
ANNO M. DCC. XXI.

Ev. 5. 1520

Bv.

LECTIO III. DE VITA ET MORIBUS

1371 579 01

LECTIO

¶ Veni Ca
que hab
munda
cor

non sicut de

scripturam me

lucare operam,

nam quod

vel nihil vel

Quoniam vero illi

que cum claris

mundis et

in spe omni

per se in

religione

que dicuntur

et servare

omni ad hanc

quod, quomodo

scripturam illam

scripturam, sicut



LECTORI AMICO.

Quam Curtii nouam formam nouum-
 que habitum, lector beneuole, vides,
 inuitus, fateor, adgressus sum ad
 exornandum, vrgenti bibliopolae
 non semel denuncians, quemcumque alium
 scriptorem me malle recensere, quam in eo
 locare operam, in quo tot viri doctissimi cer-
 ratim quasi contenderint, ut nostro ingenio
 vel nihil vel parum videantur reliquisse.
 Quum vero ille fortius instaret, & alii quo-
 que viri clarissimi amicissimique hortatione
 incenderent; tandem onus subii, quod le-
 uius fore initio putabam, sed ipsa opera ex-
 pertus fui, a doctis etiam cordatisque viris
 relictum esse, in quo magna quoque ingenia,
 ne dicam exiguum nostrum, possint se ampli-
 us exercere. Illud etiam inprimis me per-
 mouit ad hanc prouinciam ingrediendam,
 quod, quum omnes aut plerosque libros, huic
 scriptori illustrando editos, accuratius perlu-
 strassem, scholarum commodo minus iis,

PRAEFATIO.

quam expeti potest, consultum esse deprehendebam. Alii enim sumtu excedunt & mole usum scholasticum: alii philosophiam civilem & morum disciplinam magis, quam humaniorem litteraturam sectantur, ut non frustra laborem insumsisse videar, quum ad id curam & studium aptavi, quod scholis longo usu expertus sum utilisimum. Primum supplementa nova & meo ingenio ad brevitatem perspicuam redacta malui, quam vetera aliorum, proponere, ut neque copia impedimento sint adolescentibus, neque damno sterilitate nimia. Vtrumque enim usui euenisse multis exemplis didiceram. Haec aequae ac genuina Curtii, adnotationibus iis illustravi, quibus non minus geographiae & historiae, quam usui latinuitatis consultum eat, quod haec praecipua existimamus, ad quae respiciendum iis sit, qui maiorum sibi studiorum ex scholis praesidia expetunt. Quae civilis prudentiae praeccepta sunt, paratiore manu adpersimus, tanquam ab aliis copiose data, etiam a proposito, quod scholis maxime dicatum est, quodammodo aliena. Ne vero alii, qui maioris illa, quam cetera faciunt, desiderare in hoc libro possint, quae

PRAEFATIO.

putant esse utilissima; separatim iudicium de virtutibus & vitiis Alexandri fecimus, quo perspicue declarantur, quae ad morum philosophiam pertinent ex nostro auctore illustrandam, quippe in Alexandri persona potissimum absoluitur, quidquid indidem vel ad rem publicam, vel singulorum vitam adferri potest. Indicem subiecti geminum, rerum & historiarum alterum, quae vel in Curtii contextu sermone, vel in nostris annotationibus occurrunt: alterum latinitatis copiosorem, quia haec est, quam adolescentes Curtium lecturi, sibi propositam praecipue habent, ut hoc indice excitati intelligant, quam facundus auctor sermonis sit, quem adgrediuntur, eiusque elegantias facilius obseruent & memoria retineant felicius. Quum tandem lux historiarum sit geographia, ea quoque Curtium nostrum illuminari volumus, nec tantum generalem expeditionis tabulam, ut aliis editionibus factum est, sed tamen & hanc correctam & plurimis locis innouatam, expressimus, ut vno intuitu perspiciatur, quas terras peragrauerit Alexander: verum etiam, quod angustiis haec suis non singula capiebat, quae illu-

PRAEFATIO

frando scriptori nostro sunt necessaria ; adie-
cimus duas vberiores, quarum altera cum Grae-
cia Minorem Asiam ; Orientem altera expli-
catus delineat, ut plana sint omnia, quae mo-
rae & impedimento solent legentibus esse. Tan-
dem etiam de ipso Auctore, eiusque aetate,
quae disputari inter eruditos solent, adiecimus
ut lectori constare possit, quantum & sermonis
puritati, & fidei historiarum scriptoris nostri
deferre debeat. Hisce fruere, cordate lector,
nobisque faue, atque vale,

IVDICIA EXCERPTA
DE
AETATE Q. CVRTII.

NON omnium eadem de Q.
Curtio historico sententia est.
Quidam de genuina eius anti-
quitate dubitant, recentioris in-
genii foetum credentes, post renatas litte-
ras, Romano sub nomine, in lucem editum.
Guido enim Patinus Epistola XXVII refert,
suae adolescentiae magistrum quendam in
ea opinione de Curtio fuisse, *que son livre n'
étoit, qu' vn Roman ; que le Latin véritable-
ment en étoit beau, mais qu' il y avoit de gran-
des fautes de Geographie. Item : que l' Au-
teur de ce livre étoit vn savant Italien, qui le
fit il y a environ 300. ans : que nul ancien n'
avoit cité Quinte Curce, & que c' étoit vn nom
suposé.* Eandem opinionem nuper ali-
us Clarissimus vir tueri publice sustinuit,
cui eruditam dissertationem vir itidem cla-

IUDICIA

risimus *Magnus Daniel Omeifus* opposuit, cum quo omnino faciendum putamus, iniurium censentes, de tam nitidi elegantisque scriptoris antiquitate dubitare. Silentium veterum, Grammaticorum praesertim, non tanti est, ut scriptoris auctoritatem suspectam reddat, quum plures ita inuoluti latuerint, nec tamen propterea abiiciendi aut numerandi in spuris. Error geographicus, nostris adnotationibus non raro castigatus, non plus obesse nostro potest, quam vel Cornelio Nepoti vel Pomponio Melae, quod Istri partem in Adriaticum mare effundi crediderunt. Quin immo mitius de Curtio, quam de his iudicandum est, quia in longinquis ille, & remotissimis ultra Caspium mare; hi in proximis Italiae regionibus errauerunt. Quid multa? vel soli MSS. libri vetustate sua hanc nouam sententiam profligant. Vir magni ingenii & harum rerum in primis curiosus *Ioh. Christophorus Wagenfeil*, per litteras nobis significauit, sibi in Italia peregrinanti obtigisse Lucae Holstenii (at quanti viri & quam accurati membranarum censoris!) de quibusdam Codd. MSS. Bibliothecae Ducum Magnae Hetruriae
quae

quae Laurentiana vocatur, Iudicium ad Sere-
nisf. Principem Leopoldum Medicum, in
quo legatur diserte illius Bibliothecae *scam-
mo LXIII. exflare Curtii exemplar admi-
randae antiquitatis in paruo quadrato, DCC
circiter annorum*: qui solus codex potest
instar omnium esse ad testimonium anti-
quatis. Ut taceamus Laurentium Vallam,
ipsis renascentium litterarum temporibus E-
legantias suas ex Curtio quoque, vt antiquo
& probato auctore, non semel illuminan-
tem. Vide vel solum cap. XVII. lib. I. De
Alexandreide Gualteri Belgici, saeculo XII.
Christianorum ex vnus saepe, vt videtur,
Curtii verbis in metrum redactis composita,
Mich. Tellierus aliique conuulantur.

Caeteri quoque, qui genuinum & anti-
quum nostrum scriptorem agnoscunt, sen-
tentiis nimium quantum dissident, dum Bar-
thius Theodosiano saeculo; alii Vespasiani,
aut Traiani; rursus alii Augusti, vel Claudii
temporibus illum vindicatum eunt. De suo
aetate loquutus est Curtius lib. X. cap IX. dis-
cordiam ducum, Alexandro extincto in
ciuile bellum pendentem, cum nocte com-
parans, *suprema pacis Romanis, nisi nouum*

IUDICIA

sidus tempestatem subita serenitate discussisset, & exstinctis facibus, ac conditis gladiis, quum membra sine capite trepidarent, lucem caliganti mundo reddidisset. Quodnam nouum illud sidus fuerit, non consentiunt interpretes. De AVGVSTO Pithoei & Bongarsii coniecturam confutat Lipsius in Tacit. XI. cap. XXI. quod ad imperium euectus non exstinxerit faces, sed accenderit: non condiderit gladios, sed eduxerit. Tum enim recruduit ciuile bellum, per multosque annos protractum fuit. Addit Curtium lib. IV. cap. IV. suae aetatis *pacem longam cuncta resouentem* praedicasse; num ea vero sub initia Augusti? immo viginti annorum bella.

Ad TRAIANVM refert Ioh. Isaacus Pontanus duabus ad Vossum epistolis, propterea quod Curtius dicat de suis temporibus, *non reuirescere solum, sed etiam florere imperium*: item lib. IV. cap. VI. extr. *longam pacem resouere cuncta*, quae nulli principum magis, quam Traiano conueniant. Verum qui optimo Nerae successit, non condidit gladios, non exstinxit faces; nec sub Domitiano aut Nerae de imperio certa-

sum

tum fuit, aut ciuili bello concussa respubli-
ca. Neque stilus Curtianus cum aeuo Tra-
iani congruit, simplicior sane & vberior, ni-
hil concisum habens aut adfectatum, quod
facile intelligit, qui Curtium cum Plinio iu-
niore, cum Tacito aut Floro contenderit.

Reliquae sunt celebriores de CLAVDIO
Lipsii & Telleri : de VESPASIANO Rut-
gersii, Vosii & Freinshemii sententiae. Li-
psius c. l. *Refero ad Caii Caligulae caedem, &
confusionem, quae sequuta : senatu imperium
abrogante : milite & plebe stabiliente. Haec
sunt illa sine capite discordia membra, &
Claudius ipse nouum sidus. Tamen incerta
haec mihi, fateor : & facile manum dedero, si
quis adferret verisimiliora.* Non dubius de
CLAVDIO, sed confirmatus sibi videtur
Michael le Tellier, totam causam ex Iose-
phi XIX. Antiquit. Iud. cap. II. & III. expli-
catus, quam a Lipsio factum, deduci posse
persuasus. Caeso, inquit, Caligula, quum
abductus esset a militibus in castra, & accla-
matus imperator Claudius; totam, quae se-
quuta est, noctem trepidationis ac periculi
plenam Romani habuerunt; hinc senatu
rem sibi publicam cupiente vindicare; inde

IUDICIA

populo nouum imperatorem deposcente, vtrisque militum, praecipue Germanicorum ac infimae plebis remigum seditionem metuentibus : donec orta luce , nequidquam obnitentibus Chaerea cum Sabino ac sociis, non milites modo, sed etiam alter consulum ac senatorum plerique ad Claudium in castra confluerunt. Ita omnium consensu imperator factus, aliorum ambitioni aditum praeclosit, magnamque cladem auertit. *Εγγρόνει δ' ἂν Φόνος ἔ τινος ἐλάσσων, ἐπιχωρηθέντων τῶν ἐπιθυμάντων τῆς ἡγεμονίας ὡς τε ἀντιτάξασθαι Κλαυδίῳ, fuisse enim caedes, quanta vix vnquam antea edita; si quis permissus fuisset cum Claudio de principatu contendere, Ioseph. cap. III.* En igitur noctem illam, *quam paene supremam Romani habuerunt: en illud sidus, quod eius noctis tenebras discusfit, cuius ortus, non solis, lucem caliganti reddidit mundo, quum sine suo capite discordia membra senatus populusque trepidarent.* Quod aliquanto aptius tum dicitur, quum nullus agnoscebatur imperator, quam vbi inter duos diuisa res publica, Vitellium ac Vespasianum, *biceps potius, quam sine capite adpellari debuit.* At enim auspi-

auspicante Claudio nec a pluribus expetitum, nec bellis laceratum erat ciuilibus Romanum imperium, vt illud Macedonicum fuit, cuius haec occasione a Curio scripta sunt. Quod expeditum negant fuisse a pluribus, in eo aperte refelluntur a Iosepho: quod nondum ciuile bellum exortum caussantur, non repugno. Nec vero id agebat Curtius, sed hoc modo praedicat, populi Rom. salutem principi suo deberi, cuius accessu ad imperium, iminentia mala ciuiliu bellorum depulsa sunt. Sic enim ille *gladios condidit; sic exstinxit faces* iam seditionem ac caedem spectantium: sic *ingruentem tempestatem subita serenitate*, post vnus noctis moram, *discussit*. Ex quibus postremo illud consequitur, si quis *noctis* vocabulum hic non proprie, sed figurate accipiendum periuaderet de *calamitoso reip. statu*; ne id quidem obstare, quo minus haec omnia Claudio melius, quam Vespasiano congruant, qui non *subita serenitate*, sed post diuturnam ab illo sideris exortu tempestatem serenam postliminio reduxerit. Haftenus Tellierus.

Contra Ianus Rutgersius Var. Lect. lib. I. c. XIX. Ego VESPASIANO principe Cur-

IVDICIA

tium floruisse dico, & haec ipsa verba in eius gratiae spem decore inserta esse. Primum quod ait, *sine suo capite discordia membra trepidasse*, de Galba, Othone & Vitellio dici manifestum est. Sub illis enim, dum eorum quisque de principatu contendit, respublica sine certo capite fuit. Vnde Suetonius in Vespasiano cap. 1. eos motus non bella, velut sub legitimo principe, sed *rebellionem* vocat. Iam *nox* illa, quam Romani *paene siopremam* habuerint, quaque *novum sidus* hoc illuxerit, obsecro te, quae alia est, quam ea, qua Vespasianus Vitellium profligavit? id enim proelium noctu commissum esse ex Taciti III. Hist. c. XXII. constat. Iam quod & hic *non solum reuirescere imperium, sed etiam florere* dicit, & lib. IV. cap. IV. extr. *longam pacem sub Rom. mansuetudine*, de quo melius quam de Vespasiano dici possit? qui post tot ac tam immanes bellorum furias pacem & tranquillitatem orbi terrarum reddidit, cuius beneficii monumentum, & augmentum illud Pacis templum esse voluit, quod eum condidisse scribit Suetonius; & omnis generis nummos, quibus hodieque PACI ORB. TER. inscriptum legitur. Postremo quod

DE Q. CVRTIO.

quod de *perpetua, certe diuturna posteritate* ominatur, ad quos nisi ad Vespasianos fratres referendum est? quibus superstitibus non poterat non diuturnum esse eiusdem domus imperium. De *mansuetudine* eius pleni sunt historicorum libri. Haec Rurgenius: eadem fere in de histor. Lat. Vossius.

Rursus negat Tellierus, Vespasianum istud *nouum sidus* esse, qui, quum noctu ad Bedriacum pugnaretur, in Syria tum absens agebat; nec lunam *adulta nocte surgentem* intelligi posse, quod quae *adulta nocte* surrexerit, haudquaquam *noua*, aut *nouum sidus* dici possit. Nec noctem Bedriacensis pugnae a Curtio notari, quod hanc non pax, sed aequae grauias tum ad Cremonam, tum in ipsa Vrbe insequuta sint mala. Nisi forte initia salutis & victoriae quae proelium Bedriacense dedit, quam consummationem maluit historicus respicere.

Sic vtriusque partis fide dignioris sententias attulimus, e quibus quisque pro arbitrio eligere potest, in quam, vt probabiliorem, concedat. Quod enim ad Barthii de Theodosiano aeuo opinionem attinet, quum ad Claudiani lib. 1. in Rufinum v. 275. propugnat;

IUDICIA

pugnat; parum illa praesidii ad persuadendum habet. Primum obiicit nobilissimus vir *declamatorium acumen ad panegyristarum affectiones inclinatum*, quasi vero nihil declamatorium sub Vespasiano aut Claudio valuerit, quum principes rhetorum Quintilianus & Seneca florent. Videt etiam, qui Curtii natium sermonem cum panegyricis, sub Constantinis aut Theodosio compositis, contulerit, quantum inter vtriusque temporis latinitatem intersit. Deinde Curtii verba ex libro X producta nulli principum potius, quam Theodosio, vt *nouo sideri*, conuenire autumat, cuius domus in duobus filiis *diuturnam posteritatem* pollicita sit. At, pace existimationis tanti viri dixerim, omnia secus nobis videri. Nihil enim pacatum in Theodosii imperio Gothis, Maximo, Eugenio, omnia conturbantibus. Vbi ergo *longa illa pax*, quae *cuncta resouebat*, a Curtio lib. IV. cap. IV. extr. praedicata? quam sane bella, quibus Theodosius distentus fuit, vix vnquam concedent. Neque sine capite membra erant, quum Theodosius rebus praeficeretur, superstitibus Gratiano & minore Valentiniano. At *qua fronte Quintilianus*
inter

DE Q. CVRTIO.

inter historicos. Curtium non recensuit? Hoc ex Barthianis praesidiis vltimum restat expugnandum. Facile vero & illud superatur, quum de Quintiliano constet, ex lib X. c I. defunctos vita, laudandos sibi proposuisse, viuos reliquisse posteritati, quae quemque pro meritis aliquando laudatura esset.

Ex aetate Curtii etiam de vitae conditione iudicatur. Tacitus annal. XI. cap. XXI. Curtii Rufi mentionem fecit, qui gladiatore licet genitus, a Tiberio Caesare praeturam sit consecutus, ac postea etiam consul factus & proconsul Africae: de quo & Plinius lib. VII. epist. XXVII. ad Suram memorauit, *Quin hic historicus credatur, minus dubitant ii, quibus nouum sidus est Caesar Claudius, habent etiam, quo idem tueantur, quibus Vespasianus est, longam nempe senectam, quam ei Tacitus post praeturam tribuit. Fuit praeterea alius Q. Curtius Rufus, quem in illustrium Rhetorum numero Suetonii membranae ponunt, & eo quidem ordine vt extremis Tiberii temporibus videatur floruisse, a quibus ad Vespasiani imperium anni sunt XXXII. quod non tantum interuallum est, vt non possit idem sub Vespasiano iam senex*
 histo-

IVDICIA DE Q. CVRTIO.

historiam scripsisse. Si quis Rhetoris eiusce, vel etiam Africani proconsulis, filium esse malit, fatetur Vossius, non tanti esse, vt propterea vadimonium deserere velit. Rhetore sane illustri, vel rhetoris filio dignissimam hanc historiam esse, quod vsque adeo sit auctor eligens verborum, nec perspicue minus, quam terse scribit, acutus in sententiis, inque orationibus mire disertus. Immo vel Augustaeo aevo dignam esse dictionem, vel proxime abire. Haec fere ex Vosio.

Tellierus ita: Huic (Africae proconsuli) nihil video, cur Alexandri historia adiudicari non possit; nisi stilus ipse floridior, & ad declamatoriam saepe rationem exactus persuaderet eius esse potius, qui in Rhetorum illustrium catalogo, quorum vitas Suetonius descripsit, Q. Curtius Rufus legitur. Ibi enim illi coniungitur, qui sub Tiberio florere coeperunt, & ad Claudii quoque tempora perti-
nent.

CHRISTOPHORI CELLARII
DE
VIRTVTIBVS ET VITIIS
ALEXANDRI MAGNI
DISSERTATIO.

Virtutibus an vitiis maior Alexander fuerit, non aequa omnium iudicia sunt. Quidam ita in laudes eius effunduntur, vt vitia quoque immanissima excusata velint. Lampridius in Alexandro Seuero cap. XXX. *Legit, inquit, & vitam Alexandri (Macedonis) quem praecipue imitatus est: et si in eo condemnabat ebrietatem & crudelitatem in amicos, quamuis vtrumque defendatur a bonis scriptoribus.* Contra faeuior Alexandri censor est Annaeus Seneca, qui vbique in eo obseruat, quod reprehensionem mereatur. Quum igitur, vt in praefatione dictum est, parciores in Notis nostris, vtpote alii instituto accommodatis, sint morum obseruationes; visum est seorsum adponere, quae in Alexandri exemplo notabiliora occurrunt, vt illustri hoc documento quisque sibi, quod imitetur, capiat; inde foedum exitu, foedumque inceptu, quod vitet: Magnus Alexander & virtutibus conspicuus; sed valde dubium, an non vitiis maior exstiterit.

Habuit omnia virtutis nutrimenta & praesidia, summo loco natus, optima indole & ingenio instructus, recte etiam educatus & litterarum studi-

is ex-

IUDICIUM

is excultus, ut magnum aliquando fore non vano augurio tum pater tum alii praedixerint. Quam excitatam bonitatis spem minus fefellisse, tot virtutes & egregia facinora, quae passim a Curtio aliisque laudantur, non dubie videntur confirmare. Quis enim FORTIOR Alexandro ac minus trepidus, quum subeunda erant pericula? acerrimus in proeliis & summi ducis officium & fortis militis abunde expleuit. Nec materiam virtuti defuisse credas, *Φοβερὰ*, vera pericula, quasi contra feminas imbelles profectus fuerit, non contra viros pugna-ces, ut auunculus iocatus dicitur VIII. 1. 37. Varius erat Persarum exercitus, turba multa admista, quae mollitiae & luxu difflebat, nec tamen solus Memnon erat, *in quem omnes curas Alexander intenderet*, III. 1. 21. sed alios quoque plurimos character fortitudinis (*omnium vulnera in pectore*, Flor. I. 18. 17.) praeclare signavit. *Iacebant*, inquit noster III. 11. 9. *circa currum Darii nobilissimi duces, ante oculos regis egregia morte defuncti, omnes in ora prona, sicut dimicantes procubuerant: aduerso corpore vulneribus acceptis.* Hos certe in censu imbellium feminarum numerare est summa virtutem iniuria adficere. Accedunt barbari saeuitia crudeles, ipsoque conspectu, quod etiam Parmenio IV. 13. 5. censebat, formidabiles, hirti ora & intonsis comis, quos vero non magis exhorruit, quam auro fulgentes & vnguentis delibatos greges effeminatorum. Nullo labore frangebatur nec semel, si difficilius iter esset, pedes agmen circumibat, *iacentes erigens alios, quum aegre insequerentur, excipiens adminiculo corporis sui.* VII. 3. 17. Nec ve-
ritus

DE ALEXANDRO.

ritus niuoso itinere primus *dolabra* *glaciem* *perfringere*, vt sibi suisque viam sterneret, V. 6. 14. Quid multa? testatur vita, quam breuem egit, sed maximis rebus & vel saeculo sufficientibus illustrem, non otiosum fuisse, nec laboris impatientem. CASTITATEM eius hostes quoque mirabantur, quum sanctissime captiuas feminas, forma non minus, quam genere praestantes, haberi custodisque audiuerunt III. 12. 21. vt non in castris hostium, sed in sanctis Vestae penetralibus (*ἐν ἱεροῖς καὶ ἀγίοις παρενῶσι*, Plutarch. p. 676.) seruari viderentur, nihil audientes, nihil timentes, quod pudicitiae inimicum esset. Quam FRUGALIS fuerit idemque SOBRIVS, experta est regina Cariae, cuius cupedias & obsoniorum artifices repudiabat, meliores sibi coquos esse edisserens, ad prandium quidem *ὑπεροπρίαν*, *antelucanam expeditionem*; ad coenam *ὀλιγαρίαν*, *frugale prandium*. Sed de hoc in Supplementis. Dignum vero exemplum, quod cum Agefilai abstinentia apud Nepotem c. 8. 4. & Mutii Curii apud Valerium Maximum IV. 3. 7. conferatur. Nec milites diuerso ingenio erant, exemplum ducis, vt solent, imitantes, vt *cibus*, *quem occupassent*, hoc est obuius & parabilis, *satiarit*, III. 2. 15. LIBERALITATIS plena vox est, qua Parmenioni, vt captiuas redimendas redderet suadenti, IV. 11. 14. respondit: *Et ego pecuniam, quam gloriam malle, si Parmenio essem: nunc Alexander de paupertate securus sum*. Eidem Parmenioni de defendendis impedimnetis sciscitanti generose nunciari iussit, *Me & Philippo Patre dignum est contempto sarcina-*

*cinarum damno fortiter dimicare. Quid? quod
 maiora saepe tribuisse, quam a diis petantur, idem
 noster X. 5. 28. immodice quamuis, depraedicat.
 CLEMENTIAM in deuictos nemo ignorat, nisi
 rudis historiae Alexandrinae, quae tanta fuit vt
 iudice Siculo Diodoro XVII. 38. in gestis Alexandri
 μηδέν μᾶλλον ἄξιον ἀναγραφῆς καὶ μνήμης ἱστορικῆς
 exstiterit, quam περιβόητος ὑπερβολὴ τῆς ἐπιεικείας,
 atque ita maiorem clementiae, vt propriam regis,
 quam communem cum fortuna forritudinis laudem
 consequutus fuerit. Addit noster X. 5, 28. τοῖς
 regna reddita, quibus dempserat bello; aut dono
 data, insigne documentum heroicae liberalitatis.
 IUSTITIA tandem haud vulgaris elucet exinde,
 quod ne hostes quidem voluerit fallere, reprobato
 Parmenionis consilio IV. 13. 8. de noctu opprimen-
 dis; quasi fidei & virtuti regis non conueniret,
 nisi palam & luce adgredi, latrunculis sollertia
 fallendi relicta. At caussa belli Perfici videtur
 notam iustitiae inurere, & Darii vox ob stare IV.
 10. 29. ὀδίστη με, non quidem prouocatus, quod
 nescio an satis diluant, quae Alexander IV. 2. ex
 Darii Hystaspidae atque Xerxis expeditione Dario
 Codomanno obiecit, quum bella saeculorum inter-
 ventu sepulta iniquum sit reparare. Nihilomi-
 nus, si Diodoro XVII. 7. credimus, Darius πρὸ μὲν
 τῆς Φιλίππε τελευτῆς ἐφίλοτιμειτο τὸν μέλλοντα
 πόλεμον εἰς τὴν Μακεδονίαν ἀποστέψαι, Philippo
 superstite bello Macedonas impugnaturus erat, quod
 iure hi anteuertere & praeoccupare potuerunt.
 Haec de laudibus Alexandri sufficiant: patentior
 nunc campus vitiourum se aperiet.*

Seneca epist. CXIII. *Id egisse Alexandrum scribit, ut omnia potius habere in potestate, quam adfectus: victorem tot regum atque populorum irae tristitiaque, modo occiso amico, modo amisso, succubuisse, dominandi cupiditatis, quae cunctis adfectibus flagrantior est* (Tacit. XV. 53.) modum protinus nullum tenuisse, quae si animum infedit, cuiusvis vitii licentiam sibi indulget, *nihilque abnu- it, dum dominationis adipiscatur*, quod idem Tacitus dixit annal. VI. 45. 7. Rider idcirco Seneca c. l. nec iniuria, Alexandrum aliosque, qui ius dominandi trans maria cupiunt permittere, felicissimosque se iudicant, si multas per milites provincias obtinent, & novas veteribus adiungunt, ignari quod sit illud ingens parque diis regnum. IMPERARE SIBI MAXIMUM IMPERIVM EST. Satis de Alexandri vitiis dictum, si adfectibus succubuisse cum Seneca probauimus. Praestat tamen singula, aut potiora, eodem indice perspicacius intueri, ut quid virtutibus huius regis obstiterit, magis magisque adpareat.

BELVICAM VIRTUTEM adeo Seneca Alexandro denegat, ut *felicem temeritatem* de Benefic. I. 13. & VII. 3. adpellet, sequutus forte Darium apud Curtium IV. 14. 13. *temeritas est, dicentem, quam adhuc pro virtute timuistis*. Gemino exemplo (vtrumque noster suppeditat) non leuiter firmari hoc iudicium videtur. Quum apud Oxydracas praecipiti saltu, dubia aut nulla salutis spe, in hostilem se urbem coniceret, *rem ausus est magis ad famam temeritatis, quam gloriae insignem*, IX. 5. 1. nec minus imprudentiae periculique erat, quum

frendens in medium armatorum agmen, seditione faeuum & ferocissime turbulentum, de tribunali se immisit; suaque manu corripuit, quos vellet supplicio adseruari X. 2. 30. At feliciter cessisse ais. Casui hoc tribuas & fortunae, non virtuti, quae caute & circumspecte agit omnia, nec periculo se infert, vnde spes nulla salutis est. Quod si fortitudo Alexandri vacillat, quae sola heroica permultis visa fuit; de ceteris virtutibus quid spei superesse poterit? CASTITATI maculam adpersit Thais, nobile scortum, regiae Persarum in perniciem nata, cuius consilium rex properanter sequutus alius quoque consuetudinis, temulentiam comitantis, suspicionem praebet lib. V. 7. Et quid suspitione opus est, vbi aperte historici loquuntur? *Pellices CCC & LX. totidem quot Darii fuerant, regiam implebant, quas spadonum greges, & ipsi muliebria pati adsueti, sequebantur.* lib. VI. 6. 8. Bagoas, in deliciis nefandis habitus (VI. 5. 23. & X. 1. 25.) supplementum addit infamiae. Tolerabilius illud est, non tamen casto iuuenē, ne dicam principe satis dignum, quod super vinum & epulas focerum ex deditis elegit, & Roxanem, ignobilem, si stirpi regiae conferas, semel tantum visam, matrimonio sibi coniunxit, VIII. 4. Quam SOBRIVS vero hic orbis domitor? quidquid virtutis speciem habebat, *intolerabili vini cupiditate* V. 7. 1. & *perpotandi peruigilandi que insana dulcedine* VI. 2. 2. foedauit. Tunc erupere vitia, quae antea latebant, & cum dedecore se publicauerunt. Seneca epist. LXXXIII. *Dic, quam multa ebrii faciant, quibus sobrii erubescant: refer Alexandri Macedonis exemplum, qui Clitum*
carissim-

carissimum sibi ac fidelissimum inter epulas trans-
fodit, & intellecto facinore, mori voluit, certe me-
ruit. Omne vitium ebrietas & incendit, & dete-
git: obstantem malis conatibus verecundiam remo-
vet. & post paullo: Alexandrum, cuius modo feci
mentionem, tot itinera, tot proelia, tot hiemes, per
quas, victa temporum locorumque difficultate,
transferat; tot flumina ex ignoto cadentia, tot ma-
ria tutum dimiserunt: intemperantia bibendi &
ille Herculeus scyphus condidit. Quidquid de
veneno vulgus credidit quo Alexander fuerit in-
teremptus; si Plutarchum audimus, dubium ad-
modum & incertum est, vt adnotationibus nostris
ostendimus: & pulchrius omnino decessisset Ale-
xander, si intemperanti vita mortis vltro arcessitae
non dedisset suspicionem. Magna eius LIBERA-
LITAS fuit, si modo vera & ad normam honestatis
composita. In tantum fortuna sustulerat, vt congia-
ria vrbes essent, & regna vel restituerentur adempta,
vel dono darentur. Seneca Benefic. II. 16. Vrbem
cuidam Alexander donabat vesanus, & qui nihil
animo non grande conciperet. quum ille, cui dona-
batur, seipse mensus tanti muneris inuidiam refugif-
set, dicens non conuenire fortunae suae; Non quae-
ro, inquit - quid te accipere deceat, sed quid me da-
re. Animosa vox videtur & regia; quum sit stultis-
sima. Ne vero stulta cui haec ipsa censura videat-
tur, addit rationem ex media schola philosopho-
rum petitam. Nihil per se, pergit, quemquam de-
cet: refert quid, cui, quando, quare, vbi, & cetera,
sine quibus facti ratio non constabit. Tumidissi-
imum animal! si illum accipere hoc non decet; nec

te dare. Habeatur personarum ac dignitatum proportio, & quum sit ubique virtutis modus, aequè peccat quod excedit, quam quod deficit. Et quae, quae-
 fo, liberalitas est, eripere cum iniuria, quae alteri dono des? quo ipso diuini nominis, quod adfectabat Alexander, non impleuit mensuram, vt lepido cauillo Scytharum legatus VII. 8. 26. obiiciebat: *si deus es, tribuere mortalibus beneficta debes; non sua eripere.* Alexandri enim quamplurima bella non iustissima fuisse, circa iustitiam post paullo demonstrabitur. Liberalitas vero illud donat, quod iusto titulo possidet, & absque iniuria aliorum adquisitionem fuit. GLORIAE nunc immensa & insatiabilis CVPIDO occurrit. Veteri orbe non contentus *aliam naturam, alium orbem aperire sibi statuebat*, IX. 6. 20. & parum remoti videbantur Herculis atque Liberi Patris termini. ultra progrediendum fuit, ne quemquam, neque ex diuorum numero, sibi parem haberet. Iterum Senecam audiamus ex epistola CXIX. *Post Darium, inquit, & Indos pauper est Alexander Macedo: quaerit quod suum faciat, scrutatur maria ignota, mundi claustra perrumpit. Quod naturae satis est, homini non est. Inuentus est, qui concupisceret aliquid post omnia. Ille modo ignobilis anguli non sine controuersia dominus, detecto sine terrarum per suum rediturus orbem tristis est. Infelix ergo, quod idem censet epist. XCI. geometriam coepit discere, sciturus quam pusilla terra esset, ex qua minimum occupauerat. Ita dico, infelix ob hoc, quod intelligere debebat falsum se gerere cognomen. Grandis haec cupido gloriae, per se si aestimatur: parua & tolerabilis,*

bilis, si comparetur adfectioni diuinitatis. Vltimum in fastu & superbia erat, quum fortis humanae pertaesus Alexander coelum animo inuolauit & Iouis filius credi voluit. Scelus omnium maximum & quod diuinam vindictam sine mora accelerat, vt mirum fit, tamdiu Deum Alexandri superbiam tulisse, inde ab excursionem ad Hammonis oraculum, ad vltimum vsque ex India in Babyloniam regressum. Praetereo expetitam imperatamque adorationem & humi iacentium adulationes, quum diuina adpetenti tantus honor haud quisquam sit, quin maiorem concupiscat. LVXVM vestis Persica & purpureum albo distinctam diadema ostentat, id quod Puer Hermolaus VIII. 7. 12. obiecit: *Persarum te vestis & disciplina deletat: patrios mores exosus es: Persarum ergo, non Macedonum regem occidere volumus, & te transfugam belli iure persequimur.* CRVDELITATIS & IRACVNDIAE argumentum sunt Lyfimachus leoni obiectus, & Clitus hasta confossus, & Callisthenes cruciatibus enecatus. Nulla virtutis species, nulla bellorum felicitas hoc dedecus redimere potest. Nam, (Senecae verba sunt Quaes. Nat. VI. 23.) quoties quis dixerit, *occidit Persarum multa milia*; opponetur, & *Callisthenem*: quoties dictum erit, *occidit Darium*, penes quem tunc magnum regnum erat; opponetur, & *Callisthenem*: quoties dictum erit, *omnia oceano tenus vicit*, & *imperium ex angulo Thraciae vsque ad orientis terminos protulit*; dicetur, *sed Callisthenem occidit.* Cur vero Callisthenem, Ly-

fimachum, Clitum, carissimos suos, saltim meri-
 tissimos? quod iste adulari & humi adorare no-
 lebat: ille praeceptorum innocenti cruciatus vene-
 no finiebat: hic immodicum aestimatorem sui &
 patris res impie obterentem Euripidis versu festi-
 ve castigabat. Haec vero tanto scelere vindican-
 da erant? Adi, praeter Curtium, Senecam d. I. &
 Iustinum XV. 3. Vicia vero quis cuncta recensere?
 claudat INIVSTVS latro, quem Seneca dixit: nec
 fere aliter legatus Scytharum VII. 8. 19. *omnium*
gentium, quas adisti, latro es. Quid enim aliud est
 iniustum bellum; quam apertum latrocinium?
 Finge iuste Darium oppugnasse; quid cum Scythis
 fuit, cum Indis aliisque, qui sub Darii imperio
 nec fuerant, nec bellicis illum opibus adiuerant
 unquam? At Herculem se imitari professus est.
 Respondet Seneca de Benefic. I. 13. *Hercules nihil*
sibi vicit: orbem terrarum transiit non concupiscen-
do, sed vindicando: at hic a pueritia latro gentium-
que vastator. Egregie idem Seneca epist. XCIV.
 ab iusti belli causis ambitionem & inclarescendi
 cupidinem excludit, non solum Alexandri, sed &
 Pompeii, Caesaris, Marii exemplis rem illustrans.
 Quod si est; si non ipsum Persicum bellum, tamen
 plurima post Darium victum gesta in censu iniustor-
 rum habebuntur.

Mirum, qui fieri potuerit, ut Alexander optime
 educatus, philosophiae praeceptis innutritus, in
 tanta prolapsus sit vitia. Adeo nihil elegantior
 doctrina & Aristoteles magister valuit? valu-
 it omnino, profuit insigniter, quamdiu fortuna,

na,

na, licentia, adulatio, illecebrae iuuenem hominem de sede bonae mentis non deiecerunt. Curtio iudice X. 5. 26. *bona naturae fuerunt; vitia fortunae vel aetatis.* Vtique FORTVNAM in primis caussis corrupti Alexandri numeramus, quae si magna est, & sine offensione succedunt omnia; ita merguntur incauti mortales, vt humanae fragilitatis obliti in luxuriam, libidinem, crudelitatem, potandi auiditatem, & in quae non immania scelera? non pederentim, sed praecipiti cursu prolabantur, sine hoste patiantur hostilia, & cladis caussa, si alia deficiant, nimia sibi ipsa sit felicitas. Ex ea enim oritur quiduis agendi LICENTIA, quae in maxima fortuna quidem minima debet esse, vt Caesar apud Sallustium Catil. LIII dixit; vere tamen immodica plerumque euadit, in iuvene praesertim, vt morituri imperatoris Marci Antonini curae apud Herodianum I. 4. ostendunt, qui nihil magis timuit adolescenti filio, quam ἐξέστιαν ἀντοκράτορα καὶ ἀκώλυτον, hoc est licentiam nimiam; nec augurium patris scelestissimus Commodus fefellit. Accedebant LOCORVM ILLECEBRAE, quae non parum momenti habent in corrumpenda iuuentute. Hannibal hibernis eneruatus est, & Cannas suas Capuae inuenit in Campaniae fomentis & omnium rerum, quae luxuriae instrumentum sunt, abundantia. Melior rediisset Alexander, si cum solis Scythis aut Romanis bella gessisset, apud quos illa tempestate plus proficiebat vitiorum ignorantia, quam in Graecis cognitio virtutis. In Persas vero profectus segetem luxuriae & vitiorum

inuenit, quae blandimentis suis cursum virtutis
 internererunt. Hinc mollius vestiri, otari, po-
 tare, cum feminis conuiuari, nitidius vngi, Persa-
 rum more adorari. Quam prudentius Romani,
 Iustino teste XXXI. 8. *captas ciuitates inter socios
 dimisere, aptiorem gloriam, quam possessiones vo-
 luptarias iudicantes, quippe victoriae gloriam Ro-
 mano nomini vindicandam: opum luxuriam sociis
 relinquendam.* quod Manlii ad milites apud
 Lium oratio lib. XXXVIII. 17. confirmat:
*Vobis mehercule Martis viris cauenda ac fugienda
 quamprimum amoenitas Asiae. Tantum hae pere-
 grinae voluptates ad extinguendum vigorem animo-
 rum possunt: tantum contagio disciplinae morisque
 accolarum valet.* Verba Macedonico exercitui,
 si audisset & obtemperasset; saluberrima. Nec
 deerant, qui incenderent iuuenis animum & ad
 nequitiam impellerent. Etenim quod Pater-
 culus II. 102. dixit, *semper magnae fortunae
 comes ADVLATIO est; perpetuum malum re-
 gum,* (liceat ex nostro VIII. 5. 6. sententiam
 supplere) *quorum opes saepius adsentatio, quam ho-
 stis euerit.* Princeps adulantium Hammonis sa-
 cerdos fuit, qui Magni animo, gloriae cupidine
 exardescenti, suo de Ioue patre figmento tantas fa-
 ces subdidit, vt nunquam extinguui potuerint; nisi
 potius ipse Alexander, quod Orosius censet III. 16.
 sacerdotem corripuit, quid sibi responderi vellet
 praecipiens. Sequuti Persarum captiui, a quibus
 sensim Macedones didicerunt, donec *post Clivi cae-
 dem libertate sublata, vultu, qui maxime seruit, ad-
 sen-*

sentirentur omnes, VIII. 4. 30. Si ergo nihil veri audit princeps, sed omnium voces ad adulationem compositae sunt; qui solus, quod verum est, cognoscere, quod bonum, sequi valeat, quum omnes laudant, quod malum; ornent, quod falsum est? periculum sane principibus vix eluctabile.

Sed ad nostrum regem redimus, quem vitiiis pariter atque virtute nobilem vidimus. *Quaeris*, qui id fieri possit? virtutem ex educatione recta & Aristotelis disciplina: vitia ex fortunae constantia, locorum illecebris & adulantium vultu habuit. Non quidem simulatas in eo virtutes dixerim, nec tamen immobiles; (cesserunt enim vitiiis) quod argumento est, non perfectas, sed incoatas tantummodo fuisse. Sed gloriae cupido immodica videtur finem virtutis, quae honestas est, impedire. Si iuste Persis bellum intulit, quod non protinus negamus; necesse est, ut recti amore & honestatis studio pro liberanda & vindicanda patria pugnaverit: si simul gloriae avidior fuit, id iuventuti & heroicae indoli dandum erit, non vitio vertendum, quum gloria sit comes virtutis eiusque studium, si non est nimium, virtutis studio penitus innexum. In Asia autem, Dario sublato, fortitudo quoque audaciae cessit & temeritati, quamvis quod noster IV. 9. 23. obseruat, *audaciae rationem minuat, quod nunquam in discrimen venit, an temere fecisset*. Eadem ratio est ceterarum virtutum, temperantiae, clementiae, iustitiae, liberalitatis, quae ita vitiiis locum reliquerunt, ut subinde tamen & subito in animum gloriae memoriam & negotiorum vigorem referrent. Summa; ini-

INDICIVM DE ALEXANDRO.

tio imperii superasse virtutibus videtur : Asiae vero illecebris & fortunae indulgentia corruptus maiorem historiis vitiorum, quam virtutum materiam reliquit. An vero FELIX cognominare poterit ? Liquet ex dictis, quid respondendum sit. Vera felicitas virtutem comitatur : sequior & externa fortunam. Quamdiu virtus adfuit, felicitate non carebat : cessante ista, hanc quoque intercideri oportuit. Id autem damus cumprimis felicitati, quod iuuenis morte interceptus fuit, antequam vententi praeberetur fortunae. Cyrum enim & Pompeium, & ipsos heroes, quid perdidit, nisi longa vita ? Nam si ille ante Scythicum, hic ante civile bellum decessissent, antequam fortunae ludibria experti essent, haberetur vterque felicissimus. de quibus Livius quoque IX. 17. si placet, consuli potest. Sic ille rex & iuuenis, qui miraculum & stupendum exemplum habetur, & ad imitandum & ad fugiendum propositus fuit. Indefessa industria, accurata doctrina, intrepidus in periculis animus, libidinis continentia, in victos & deditos clementia dignae certe virtutes sunt, quas laudamus & imitemur. Voluptatum autem dulcedo & ambitiosa superbia sunt, quae tantum regem de fastigio deturbarunt, infamia conspurcarunt, administrantibus licentia, fortuna, & locorum illecebris. Quem enim aspera Macedonia felicem generat, opulentissima Persia in suos mores mutatum eneruavit, vitiauit, obruncauit. MAGNVS est vtiqve ALEXANDER, sed MAIOR futurus fuisset, si bene coepta via perrexisset.

ANIMADVERSI
CHRISTOPHORI CELLARII
in quartam Curtii cum Notis suis
Editionem,

Q Vi quartum nunc Curtius cum notis meis in publicum prodit, me insciente subiectus prelo, & antequam rescirem, totus iam expressus fuit: quem emendatiorem nonnullis locis edere constitueram. Praeuentus sic typographi festinatione, nihilominus subiicio, quae vel addere vel castigare decreueram, ut Lector beneuolus ex iis, quae placebunt, adnotare; etiam errata quaedam corrigere, me monitore possit.

Primum praemissis nostris *de Curtii aetate Iudicis*, in quibus magnis viris Iano Rutgerio, Ger. Ioh. Vossio; Ioh. Freinshemio de Vespasiani temporibus subscripseram; postquam clarissimi mihiq; amicissimi viri Iac. Perizonii *Curtium Vindictam* legeram, eius sententiam de Tiberii aeuo, cum rationibus non improbabilibus, etiam inferendam nouae editioni putavi, quae vero, ut dixi, notitiam meam anteuertit.

Summa controuersiae ad digressionem Curtii lib. X. cap. IX. qua suam aetatem significauit, reuoluitur, quis ille *princeps* sit, cui *populus Romanus salutem se debere profiteatur, cui notis, quam paene ultimam habuerant, nouum fidus induxerit.* De Augusto alii, alii de Claudio, plures de Vespasiano, ut diximus, interpretantur. Laudato Perizonio placet *Tiberius*, qui filios habebat & nepotes, atque ita spem *diuturnae posteritatis*, ut apud Curtium est. Dissensionem aliorum putat


maxi-

maxime ex eo esse, quod existiment, *hic principem* intelligendum vere egregium & merito laudatum; nec cogitent, qui viuos principes laudant, qualescunque sunt, laudare tamen, & male quaedam dicta perdere, quam caput & fortunas. Cetera verba *sine suo capite discordia membra trepidasse*, ad subdolum imperii recusationem, *Tacit. annal. I. cap. XI.* refert, quod timuisset senatus, nisi susciperet Tiberius, ciuile bellum existiturum esse perinde, vt post mortem Caesaris. *Noctem* autem illam *paene supremam* tempus inter mortem Augusti & principatum a Tiberio susceptum, interpretatur: vel noctem, quae insequuta est Augusti mortem, antequam Romae in verba Tiberii iuraretur.

Rhetorem ergo Suetonii, qui in MSS. de Claris Rhetoribus post eos, qui sub Augusto fuerant, longe autem ante Quintilianum positus est, hunc Curtium Rufum fuisse existimat, quod & stilus prope oratorius arguere videtur: addit, forsan & consularem ac triumphalem Taciti *lib. XI. cap. XXI.* eundem esse, quod nomen & tempora conueniant; nec vero id certo adfirmat.



Quae porro ex Clerici Arte Critica, & de quibusdam erratis monuerat beatus Cellarius, ea vel in textum recepta, vel in notis animaduersa, vel emendata sunt.





Curtii Rufi duos priores libros iniuria temporum deperditos esse, inde ab resuscitatis litteris conquesti sunt, qui damno huius generis non leuiter permouentur: neque in hunc diem inueniri, quamlibet summo studio identidem requisiti, potuerunt. Primum igitur *ἀπέφωλος* Q. Curtii historia excudebatur: postquam vero CHRISTOPHORVS BRVNO anno MDXLIII. conatus est ex ingenio supplere, quae deficiebant, omnibus fere editionibus, illius coniectationes, suppresso plerumque nomine, exhibitae fuerunt, quas cum nec dicendi copiae, neque tersae elegantiae Q. Curtii respondere vidit IOANNES FREINSHEMIVS; vberiora supplementa non infeliciter tentauit, congestis comteque dispositis, quae vnquam de Alexandro ab aliis tradita, in tempora librorum deperditorum incidisse reperit. Sed tamen sola coniecturae erant, nec cum Curtianis conferri sua ipse vir eruditissimus voluit. Quintianum etiam Stoaam supplesse, quae initio Q. Curtii defunt, Antonius Posseninus & Jacobus Gortonius tradiderunt, de quibus vt incognitis (neque etiam diligentissimo editori MICHAELI TELLIERO visa sunt) nihil iudicare possumus. Ne ergo tironibus imponatur, quos in Brunonis supplemento fru-

stra saepe quaesisse nouimus, quae indagaerant; in vbertate autem Freinshemii multum temporis consumsisse, & legendi paene fregisse cupiditatem, vt ad Curtii genuinos libros postmodum torperent; non modo, quae defunt, per summaria indicare, notisque substratis declarare singula instituimus, vt animus integer ad *τὰ γνήσια* nostri scriptoris adferatur, nec tamen rudis inanisque rerum sit, quas temporum iniquitate in Curtio perdidimus. Nam stilum ingeniumque Curtii aequare, supra conditionem saeculi nostri esse existimamus. Et si in Liuiio, Polybio ac Diodoro Siculo excerptis summaris librorum, qui desiderantur, oportet nos contentos esse, cur non eadem aequitate iacturam feremus illorum, quae sine nostra culpa ex Curtii monumentis amisimus? De particulis, quae quinto & decimo libris excederunt, suo loco memorabimus: nunc solliciti sumus, vt priores libros non quidem verbis ac stilo, sed breui materiarum significatione restituamus, quam ita diuisam volumus; vt primo libro ea scripsisse Curtium credamus, quae bellum Persicum antecesserunt: altero initium illius belli complexura esse. Nam longius Curtium, quam Arrianum, initia repetuisse ex eo credibile est, quod duos integros praemisit, quum quae ex Arriano suppleri possunt, vix vni libro sufficiant. Sit igitur

CONIECTVRA
DE SVPPLEMENTO LIBRI I.
HISTORIAE CVRTIANAE.

I.

Proloquium Q. Curtii Rufi.

Illorum, qui Alexandri res gestas scripsere, fide dignissimus Ptolemaeus Lagi videtur, quod ipse rebus interfuerat, nec vlla, si secus scripsisset, suspicio lucri apparebat: proximus Aristobulus, quos longo interuallo Diodorus Siculus, non minus gravis auctor, sequutus est.

Vt solent rerum antiquarum scriptores, videtur Curtius etiam de auctoritate, quam sequatur, praedixisse. Coniectura de Ptolemaeo & Aristobulo ex Arriani praefatione est: de Diodoro, ex vtriusque collatione, etiam testimonio Ioannis Freinshemii: quamquam dubium est, an Diodorum, quod recentior erat, cumque pressius nonnunquam sequebatur, nominatim manifestauerit.

II.

Genus Alexandri Magni.

Alexander Philippo Amyntae filio, & Olympiade Epirensi natus, vtroque parente nobilissimus fuit. Pater enim ad Herculem; mater ad Achillem genus referebat. Sic clarus aliis Alexander, sibi obscurus videbatur, nisi, abdicato mortali patre, ab Ioue genitus crederetur. Addita insolentiae fabula, draconem in cubili matris visum, quem Iupiter induerit.

Ad Herculem] Conditor Macedonici regni Caranus patria Argivus, qui a Temeno, Herculis filio, originem ducebat. *Vellei. Paterc. lib. 1. cap. 5.* *ad Achillem*] A Pyrrho, Achillis filio, Epirenses reges orti. *Pausan. in Atticis.* *Draconem*] Sic Plutarchus in Vita, Iustinus XI. 11. aliique: quod de adulterio a non paucis exponitur. vid. *Cedren.*

III.

Ossenta circa partum, & auguria magnitudinis.

Philippus, per quietem vidit obsignatam Olympiadis alium annulo, cuius sculptura leonem praeferret, quod vates Aristander de foetu generoso & leonina magnitudine animi interpretatus est. *Qua nocte autem natus Alexander Pellae est; eadem templum Ephesiae Dianae celeberrimum deflagrauit, quod maioris ruinae praefagium habuerunt, qui ex fortunae casu de futuris indicabant, ortam alicubi facem esse, quae Asiae regnum conflagraturum sit.*

annulo] Plutarchus hoc somnium narrat, cum interpretatione. *templum Dianae*] Cicero lib. I. de *Diuinat. cap. XXIII.* tradit, ubi lucere post incendii noctem coepisset, exclamasse magos, *pestem ac perniciem Asiae proxima nocte natam.*

IV.

Educatio Alexandri.

Qvanta Philippi in educando filio sollicita fuerit, epistola documento est, qua sibi gratulatus fuit, quod iis temporibus filio auctus sit, quae Aristotelem dare praefectorem possint, qui

qui patriae urbis instaurationem praemium laboris ab rege tulit. Assidui autem nutritores & paedagogi fuerunt, *Leonidas*, *Lyfimachus* Acarnan, & eiusdem gentis *Philippus*, rector valetudinis. Eloquentiae magistro usus est *Anaximene* Lampfaceno, cuius calliditati postmodum euerfionem patriae donavit. *Homeri* carmina tanti fecit, vt nunquam *Iliadem* non comitem haberet.

Epistola] *Philippi* ad *Aristotelem* epistola apud *Cellium* IX. 3. *Aristotelem praeceptorem*] Bis *Aristotele* vsus est *Alexander*, primum admodum puer ad elementa descendit. *Quintilianus* lib. I. cap. I. *Ant. Philippus*, inquit, *Alexandro filio suo prima litterarum elementa tradi ab Aristotele, summo eius aetatis philosopho, voluisset, aut ille suscepisset hoc officium, si non studiorum initia a perfectissimo quoque tractari, pertinere ad officium credidisset?* Ad primam hanc institutionem praedicta epistola pertinet. Deinde postquam discesserat *Aristoteles*, reuocatus *Mitylenis* διέτριψε χρόνον ὀκτώετην παρὰ φιλιππου καὶ ἑγόμενος Ἀλεξάνδρου, hoc est octo annos apud *Philippum* *Alexandro* philosophia imbuendo operam dedit. *Dionys. Halicarnass. ad Amnaeum. p. 121.* Quamvis tam *Laertius*, quam *Dionysius* vnus tantummodo ad *Philippum* accessus (sine dubio posterioris) mentionem faciant. *patriae urbis*] *Stagira*, vna cum *Olyntho*, in cuius ditione fuerat, euerfae. *Diogen. Laert. in Vita Aristot. & Plin. VII. 29.* cum *Harduini* emendatione 95. *Leonidas, Lyfimachus*] ex *Plutarcho* Hic ille *Leonidas* est, qui *Alexandrum* puerum thure largius sacrificantem, castigauit, tum decere liberaliorem esse, cum thuriferam regionem ditionis suae fecerit: cuius reprehensionis rex *Asia* potitus reminiscens, immensam thuris copiam *Leonidae*

submisit, cumque ad liberalitatem erga deos per iocum hortatus est. *Idem Plutarch. Philippus*] Cuntio ipso prodente III. 6. 1. *euerfionem patriae*] Lampfaci, quae Persis fauerat. Alexander Anaximenem extra moenia prodeuntem videns, iurando negauit se facturum, quod ille precaturus esset: hic autem euerfionem callide rogans, conseruationem vi iurandi obtinuit. *Valer. Max. VII. 3. 4. Iliadem*] τῆς πολεμικῆς ἀρετῆς ἐφόδιον, *viaticum militaris virtutis* Iliadem Homeri dixit, Plutarcho auctore: etiam puluino cum pugione dormiturus supposit: & postea preciosissimo scrinio, ex Persica praedaa, adseruauit. *Plin. VII. 29.*

V.

Rudimenta militiae.

PRaesagium militaris magnitudinis in Buccphalo puer Alexander dedit, quem mirifice, vmbrae ratione habita, ita rexit domuitque, ut pater omine inde capto exclamarit, *aliud filio regnum quaerendum esse, quoniam Macedonia non caperet.* Decimum annum & septimum agebat, cum pater Byzantium oppugnans ipsi administrationem regni commisisset. Rebelauit tum Thraciae quaedam ciuitas, quam adulescens collectis, qui domi relictis erant, militibus improuisa celeritate oppressit, & urbem conuenis habitandam dedit, qui eam *Alexandriam* appellauere. Sed cum male procederes Byzantina obsidio, Atheniensium classe obsessis suppetias ferente; Philippus filio vsus ad subigenda Chersonesi oppida. Idem cum ex Getico bello redux per Triballos iter faceret, & Graeci merce-

mercenarii milites praedae societatem postularent, alteratione in pugnam erumpente, ipse rex equo interfecto vulneratur, quem clypeo Alexander iacentem texit, irruentium alios occidit, alios armis longius inde propulsavit. Iam tantus euaserat Alexander, ut sine rectore aut custode exercitui posse praefici videretur, quum de se opinionem in Illyrios missus victorius confirmavit.

Bucephalo] adi Plutarchum, *Byzantium*] Iustin. IX. 1. *Thraciae civitas*] Vide Stephanum de Urbibus in *Αλεξάνδρεια*. Plutarcho *Αλεξανδροπολις* est. *Atheniensium classe*] etiam alii Atheniensium exemplum sequuti sunt, Coi, Chii, Rhodii, & quibuscunque Philippi inualescens potentia suspecta erat. *Diodor. Sicul. XVI. 78.* *Chersonesi oppida*] Iustinus cit. loco. *Graeci mercenarii*] Sic ipse Alexander apud nostrum VIII. 1. 24. enarrat: Iustianus IX. 3. inter Macedonas & Triballos pugnam exortans esse: quod hi, nisi praedae portionem acciperent, transire negassent. *in Illyrios*] hanc expeditionem nemo prodidit, quod nobis constat. Curtius vero VIII. 1. eandem summam repetit sub Alexandri persona Philippi res gestas obtuleris, suas extolentis.

VI.

Oppressio libertatis Graecorum:

Philippus artibus consequutus est, ut Graeciae servitutis iugum acciperet. Ultro enim quietos laceffere, inter concordantes odia intruere, dissidentium rixas alere, ita alterutram partem iuuare, ut utramque opprimeret,

solennis illi consuetudo fuit. Pauci expertes eius dominationis erant, quos Demosthenis eloquentia in libertate sustentabat. Sed & horum tandem ad Chaeroneam victor, facile obtinuit Philippus, ut imperator Graeciae aduersus Persas crearetur.

artibus] Lege Iustinum VIII, 1. *Demosthenis eloquentia*] In concilio Boeotorum Thebanis iam dubiis, cuius partes sequerentur, contra Pythonem Byzantium, facundum Philippi oratorem, persuasit libertatem tuendam esse, & Philippum hostem iudicandum. *Diodor. Sicul. XVI. 86.* Vtriusque orationem Freinsheimii ingenium tentauit expressitque. De Philippicis autem Demosthenicis nihil attinet dicere, quum notissimae sint, hodieque doctorum manibus voluntur. *ad Chaeroneam victor*] *Diodor. Sicul. XVI. 87. 89.* *Imperator Graeciae*] *ibidem cap. 92.*

VII.

Alexandri & Philippi dissidium.

Bellicis rebus plerumque Alexander, etiam ad Chaeroneam proelio intererat, in quo penes ipsum victoria itetisse dicitur. In cornu enim, cui praerat, initium vincendi factum, sacra Thebanorum cohorte, quae ex lectissimis constabat, fortiter profligata. Ceterum a patre aliquando aberat, caussae matris inseruiens, cui Philippus Cleopatram superinduxerat, in cuius nuptiis parum abfuit, quin Alexander nouae prolis voto, quod Attalus fecerat, reclamans, a patre interficeretur.

penes

penes ipsum victoria] Diodor. Sic. XVI. cap. 87.
sacra cohorte] Plutarchus: λέγεται πρῶτος ἐνεστῆαι
 τῷ ἱερῷ λόχῳ τῶν Θεβαίων dicitur primus sacram The-
 banorum cohortem concussisse. aberat] in Epi-
 ro & Illyride. Iustin. IX. 7. Cleopatram] Plu-
 tarcho & Iustino IX. 7. consulas. nonne pro-
 lis voto] Attalus inter pocula hortatus est Macedo-
 nas, ut a Diis Philippo ex Cleopatra successorem
 precarentur: cui Alexander scyphum in os impingens,
 Ἡμεῖς δὲ σοὶ νόθει δοκῶμεν; an vero, inquit, nos
 spurii sumus? Plutarch.

VIII.

Apparatus belli Persici.

Philippus dux belli a Graecis factus, bellum
 Persicum molitus est, praemisso Attalo &
 Parmenione cum copiarum parte, ut Graecas in
 Asia ciuitates liberarent. Ipse oraculo laetus,
 seu potius deceptus, iam cepisse sibi orientem
 videbatur.

praemisso Attalo & Parmenione] Diodor. Sic.
 XVI. 92. *oraculo deceptus*] Delphos miserat,
 qui Pythiam de bello Persico consulerent, quae cum
 pro more ambiguis verbis cecinisset.

Ἐσεπται μὲν ὁ ταῦρος, ἔχει τίλος, ἔστιν δὲ δῶν,
 Serta gerit taurus, iamque adstat qui immolet
 illum,

Is de regis Persarum nece interpretatus est, sua autem
 impleuit oraculorum. Diodor. cit. loco & Pausan. in
 Arcad. l. 24.

IX.

Caedes Philippi regis.

Olympias Cleopatrae posthabita fratrem
 Alexandrum, Epiri regem, in bellum Phi-

lippo inferendum concitavit, quod ne alieno is tempore exciperet, adfinitatis gratia praeueniens, Cleopatram filiam, Alexandri germanam, Epirotae despondit, Aegis, in Macedoniae vrbe, nuptiarum apparatu splendidissime instructo. Sed inopinatus casus laetitiam interuertit. Etenim Pausanias quidam, ab Attalo contumeliose habitus, cum frustra conquestus de iniuria esset, inter nuptiarum sacra regem, cum spectatum ludos iret, ex improviso interfecit. Consciam caedis Olympiadem fuisse, nec expertem Alexandrum, multorum suspicio erat, exinde fidei propior visa, quod parricidae in cruce pendenti corona aurea audacius, quam pro priuati fortuna, imposta fuerat.

in bellum Philippo inferendum] Iustinum IX. 7. *alieno tempore*] quia bello Persico intentus erat. *frustra conquestus*] quo Philippus Attalum, quo opus sibi videbatur contra Persas fore, propter adolescentuli violationem castigare haud sustinuit. *consciam caedis*] vide Iustinum IX. 7. *audacius, quam &c.*] quod nemo alius audere, nisi haec, superstite Phlipi filio, potuisset, *Iustin. l. c.*

X.

Vltio Olympiadis & Alexandri.

Olympias poenam de Cleopatra sumtura, peremta sobole, matrem ad suspendium adegit. Attalum etiam auunculum huius, res nouas in Asia molientem, Alexander per Hecataeum & Parraenionem sustulit.

ad suspendium] Iustin. loco saepe cit.
lum sustulit] Diodorus Sic. XVII. cap. 2.

Atto-

XI.

Alexander Graeciae imperator factus.

GRaeci & barbari ad spem libertatis erecti,
a nouo rege opinione citius opprimuntur.
Obsessis ad Tempe angustiis, per inuia Ossaie in
Thessaliam irrupit, & celeritate perfecit, vt
Pyliaco Amphictyonum concilio in patris locum
dux Graeciae sufficeretur, quod ad Corinthum
conuentu, quo rex a Thermopylis abierat, pu-
blica voce repetitum fuit, & auxilia contra Per-
sas decreta. Forte in Craneo, Corinthiaco luco,
Diogenes degebat, quem cum Alexander roga-
ret, vt diceret, si quibus opus esset; *a sole*, inquit,
mibi velim non obsles, apicanti enim offece-
rat. Cuius continentiam admiratus rex dixisse
fertur: *Vellem Et ego Diogenes esse, nisi essem*
Alexander.

per inuia Ossaie] Polyaeus lib. IV. Strategem. tra-
dit, suffosis petris & effectis gradibus in iugum eua-
fisse. Thessalii autem angustias obsederant, ad tran-
situm prohibendum. *Pyliaco Amphictyonum con-*
cilio] Commune Graeciae concilium a Pylis sine Ther-
mopylis, vbi habebatur, *Pyliacum*; ab Amphictyone,
Deucalionis filio, duodecim Graeciae populos in
vnum cogente, *Αμφικτυόνων* nominatur. *Suidas.*
in Craneo] Pausanias in Corinthiacis post principi-
um: *πρὸ τῆς πόλεως κυπαρίσσω ἐστὶν ἄσος, ὀνομαζό-*
μενον Κράνειον, hoc est, *suburbanus cypressorum lo-*
cus, cui Craneo nomen est. *Diogenes*] Passim
leguntur, apud Ciceronem Tuscul. V. cap. 32. *Vat*

Maximum IV. 3. extr. *Vellem Diogenes esse*]
Laetius Diogenes in vita Cynici hoc addidit.

XII.

Motus barbarorum suppressi.

GRaecorum rebus pro tempore ordinatis, in barbaros rex Alexander mouit, & Thracibus in Haemo monte victis, regem Triballorum Syrmum, qui in Peucen Istri insulam refugerat, ad petendam pacem coegit, Getas traiecto Istro superauit, & cum Germanorum legatis foedus percussit. Per Agrianos Macedoniam repenti motus Illyriorum nunciatur, qui Taulantios quoque in societatem pertraxerant. Hos domi eorum rex Agrianus, amicus Alexandro, laceffens, a vexandis Macedonibus auertit, qui illos postea ad Pelium, Dassaretiae oppidum, ita concusserunt, vt fuga singuli, incensa vrbe, dilaberentur.

Thracibus victis] Haec & pleraque quae sequuntur, ex Arriani libro I. deprompta sunt. *Germanorum*] Arrianus *Celtas* vocat, qui longe ad Istrum, etiam vltra Germaniae limitem coluerunt. vid. Clauer. Germ. Antiq. *Agrianos*] Agrianes siue Agriani sine Stephano Byzantio inter Haemum & Rhodopen siti Regi illorum *Langaro* nomen erat, *Pelium*] Πέλλιον Arrianus.

XIII.

Motus Graecorum compressus.

INterea rumore, *Alexandrum in Triballis eecidisse*, per Graeciam increbrescente, noua spes nouum

nouum tumultum excitauit, qui Thebanorum ciuitati exitialis fuit. Hi enim, praefectis Cadmeae trucidatis, acriter instabant praefidio arcis, mittentes quaquaersus, qui libertatis communiter vindicandae concitores essent. Nihil vero auxilii submissum fuit, plerisque expectantibus, quo fortuna inclinaret. Rex citius opinione in Boeotiam irrumpens, post tridui apparatus intra vnum diem, & oppugnauit, & cepit Thebanorum urbem, in quam crudelius, quam pro ingenio suo saeuuit, vt peregre in Persas abiturus exemplum relinqueret, quod fidei tuendae ceteros admoneret. Solis Pindari posteris in honorem vatis pepercit, eiusque domum cremari vetuit. Seruauit etiam deorum delubra, & fortium virorum statuas, religione permotus, quod milites coelesti igne, cum fanum in suburbio spoliarent, ambusti dicebantur.

rumore] Iustinus XI. 2. *praefectis Cadmeae*] extra arcem progressis, nihilque mali suspicantibus, *Arrian.* *praefidio arcis*] praefidiariis Cadmeae, qui Macedones erant. *Diodor. Sic. XVII. 8.* *quo fortuna inclin.*] *Diodor. c. 1.* cuius & cetera sunt de celeriter expugnata vrbe. *Pindari*] *Aelianus Var. Histor. XIII. 7.* & *Arrian, lib. I.* *coelesti igne*] *Pausanias in Bocot. p. 301.*

XIV.

Athenienses regi denuo conciliati.

Alexander Athenienses vturus tanquam auctores defectionis Thebaeae, & post

eadem receptores elapforum, Demoithenem sibi, & Charidemum, & Ephialten aliosque tradi postulat. Legatione autem effectum est, ut rex solius Charidemi exsilio placaretur.

defectionis Thebanæ] Arrian. lib. I, p. 29. *receptores*] quod inter patriæ ruinas elapsos contra regis editum susceperant. *Charidemi*] qui ad Darium in Persiam profugit. Arrian. c. I. Hic est, qui de Persarum militia censere iussus, intempestivæ libertatis poenas dedit. Curt. III. 2.

CONIECTURA
DE SUPPLEMENTO LIBRI II.
HISTORIÆ CURTIANÆ.

PROcul dubio ita libros Q. Curtius diuiserat, ut secundus res gestas a principio expeditionis Asiaticæ usque ad Memnonis mortem contineret, cuius partes coniecimus ita dispensatas fuisse:

I.

*Iter ex Macedonia per Thraciam ad
Hellepontum.*

Alexander Græciæ rebus compositis, & administratione regni Antipatro commissa, in bellum Persicum, ad quod se pridem parauerat, profecturus, triginta millia peditum, & quinque equitum secum educit. Classem, quam iuxta lacum Cercinitem & Strýmonis ostia habebat, eodem sequi iubet. Abderam & Maroneam prætergressus, & Hebro ac Melane fluuiis traiectis, vicesimo die, postquam domo discesserat, Sestum venit.

Anti-

Antipatro] qui ex hoc tempore Macedoniae rebus continua administratione praefuit, nec illam deposuit Alexandro mortuo. *Arrian. lib. I. Curt. IV. 1. 39. VI. 1, 17. 18. X. 10, 18.* *se pridem parauerat*] in curas patris succedens, qui & ipse bellum Persicum molitus fuerat. *iuxta lacum Cercinitem*] Interpretes Arriani : *Per lacum Cercinitem Amphipolin versus, Et deinde ad Strymonis fluvii ostia classem agit.* At Graece : ἦν δὲ αὐτῶ δ ἑβλος παρὰ τὴν λίμνην τὴν Κερκινίτιν, ὡς ἐπ' Ἀμφίπολιν καὶ τῆ Στρυμόνης ποταμῆ τῆς ἑμβολῆς.

II.

Traiectus in Asiam.

Sesto Elaeunte profectus rex Protefilao, qui Troiano bello primus in Asiam dicitur pedem intulisse, inferias dabat. Interea Parmenio exercitum Sesto Abydum transportauit : rex Elaeunte in portum Achaicum, qui ad Sigaeum est, traiecit.

Protefilao inferias] Vt melioribus auspiciis, quam Protefilao, hostile litus attingeret. Elaeunte ad sepulchrum eius sacrificauit. *Arrian.* Is autem vt primus ex Agamemnonis classe exscenderat, ita primus etiam fuit, qui illo bello periret. *Ouid. XII. Metamorph. v. 67.*

---- *Hectoris primus fataliter hasta
Protefilae cadis.*

Sesto Abydum] Ita tam exercitus, quam regis transportationem Arrianus descripsit. Eadem ergo Macedoniae exercitus nauigiis traiecit, qua ponte venerat sub Xerxe Persicus. *Elaeunte*] Chersonesi Thraciae oppido ad Hellepontum,

III.

Perfarum contra Macedones apparatus.

Darius, Codomannus vulgari nomine, ea tempestate rex Perfarum erat, paullo ante Philippi necem, propter bellicam famam & genus a regio forte non alienum, in id fastigium euectus. Hic contempta Alexandri iuuentute omnia securius agebat: cognitis vero rebus, quas apud Graecos, Thracas, & Illyrios gesserat, summa se cura instanti bello praeparabat, missis quoque in Graeciam, qui mercede militem conducerent. Nec mercenariis modo, sed vniuersis in maritima ora copiis Memnonem Rhodium, virum peritissimum rei bellicae, praefecit.

propter bellicam famam] Bello contra Cadusios singulari pugna prouocatore interfecerat. *Diodor. Sicul. XVII. 6. 6. Iustin. 3. 3.* *regio genere*] Codomanni pater Arsanes Artaxerxis frater, Ochi patrus fuerat. *Diodor. c. 1.* *mercede conducerent*] *Curr. III. 2. 9. V. II. 5.* *Memnonem praefecit*] passim apud Diodorum & Arrianum leguntur.

IV.

Alexander diis atque heroibus sacra facit.

IN mediis Hellepontis fluctibus diis maris sacra fecit, & delatus in continentem in hostilem agrum iaculum immisit, primusque de navi proficiens deos precatus est, ne se regem illae terrae inuite acciperent. In Ilio quoque ad tumulos heroum, qui Troiano bello ceciderant, parentauit.

in mediis fluctibus] Neptuno ibi & Nereidibus sacrificauit. *Arrian. p. 32.* *iaculum immisit*] Iustin. XI. 5, 10. *deos precatus*] Ioui *Ἀποβαρυσιῶ* *Defensori*, & Mineruae, ac Herculi in eo loco, vbi exscenderat, altaria struxit. *Arrian. ad tumulos heroum*] praesertim Achillis, quem felicem praedicauit, quod viuis amicum Patroclum, mortuus Homerum praeconem inuenerit. *Cicero pro Arch. c. 10.* *Plutarch. in Alex.* Priamo etiam ad Iouis Hercii aram sacrificasse dicitur, vt illius iram aduersus Neoptolemi progeniem, ad quam ipse pertingebat, deprecaretur. *Arrian.*

V.

Proelium ad amnem Granicum.

EX Illo rex Arisben, vbi castra habebat, reuertit: inde Lampfacum praetergressus, cui ignouit, ad Granicum amnem venit, in cuius altera ripa hostilis exercitus stabat transitum prohibiturus. Alexander instructa acie ingressus flumen, magno nisu in altiore ripam euasit, Persasque tandem non sine suo periculo, ex quo Clitus seruauerat, in fugam coniecit, circumuentis etiam mercenariis, qui globo facto diutissime repugnauerant. Barbarorum ceciderunt viginti & duo millia: Macedonum tantummodo XXXIV, vt Plutarchus ex Aristobulo tradidit. Fuga elapsi, in quibus & Memnon erat, Miletum perrexerunt, & Halicarnassum.

Arisben] oppidum Troadis, in boream supra Ilium situm. *Lampfacō ignouit*] Vide quae diximus ad lib. I. coniecturam IV. *Granicum*] fluuium Mysiae supra Hellepontum. *Clitus seruauerat*] tam galea regis ictu diffracta erat, declinato periculo, cum

cum illum alius ab tergo petiit : cuius manum Clitus amputavit. Hunc *Rhosacen* Curtius vocat, VIII, 7. *Spiridatem* Arrianus, & quidem Lydiae satrapam, in fugam coniecit] euentum proelii Arrianus & Plutarchus scripserunt.

VI.

Sepulturae cura & donariorum.

Quod humanitatis officium est, Alexander illis praestitit, qui proelio occubuerant. Hos enim ad ceterorum exemplum impense humatos equestribus statuis donari iussit, cognatisque eorum immunitatem dedit. Ex spoliis CCC clypeos Athenas misit in Mineruae templo cum civilissima inscriptione adfigendos.

Equestribus statuis] a Lysippo praestantissimo artifice ex aere fictis, & in Macedoniae oppido Dio erectis, cuius perlongo tempore singulare ornamentum fuerunt. *Arrian. p. 47. Plutarch. p. 673. Livius XLIV. 2. Justin. XI. 6.* *civilissima inscriptione*] Apud Plutarchum & Arrianum haec est : ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΣ ΦΙΛΙΠΠΟΤΚΑΙ ΟΙ ΕΛΛΗΝΕΣ ΠΑΝΗ ΔΑΚΕΔΑΙΜΟΝΙΩΝ ΑΠΟ ΤΩΝ ΒΑΡΒΑΡΩΝ ΤΩΝ ΤΗΝ ΑΣΙΑΝ ΚΑΤΟΙΚΟΥΝΤΩΝ Hoc est, ALEXANDER PHIL. F. ET GRAECI PRAETER LACEDAEMONIOS HAEC DE BARBARIS ASIAM INCOLENTIBVS.

VII.

Urbes quaedam in fidem acceptae, quaedam expugatae.

Tanta victoriae ad Granicum fama erat, ut plures Asiae urbes se Alexandro dederent, Sardes

Sardes inprimis, ac Ephesus: Miletus breuiore obfidione; ac Halicarnaffus operofiffima, expugnata fuit. Adae illuftri feminae regnum Cariae redditum, a quo expulfa fuerat per Pexodorum. Quum gratiam relatura mulier, mirae artis & faporis cibos cum coquis & cupediariis offerret, ex Alexandro didicit, *optimos coquos effe ad prandium laborem antelucanum; ad coenam frugale prandium.* Claffem hoc tempore Alexander dimifit, vt superuacaneam ad vfus futuros, nec ita inftitutam, vt Perfarum claffiariis opponi poffet.

Sardes, Ephesus] Vide Arrianum, qui etiam Tralles & Magnesium deditiois exempla ponit: etiam de obfidione Mileti & Halicarnaffi pluribus verbis fcripfit. *Adae*] Arrian. & Plutarch. *optimos coquos*] idem Plutarch. in Alex. p. 677. & Apophth. 26. *dimifit claffem*] quae confilii huius cauffa fuerit, difputat Arrianus p. 58. *Perfarum claffiariis*] qui & numero & peritia rei naualis praeualebant. Erant enim ex nauicis gentibus Phoeniciae ac Cypri, plerique.

VIII.

Infidiae manifeftantur.

Cum rex Lyciam transfiret, oppidis in deditioem acceptis, captiui iudicio cognouit, ab Alexandro Lyncefta, genero Antipatri, infidias fibi parari, quem veritus interficere, ne quis motus in Macedonia oriretur, in vinculis diuturnis habuit.

Lyncefta] Lynco Macedoniae oppido, vel Lynceftide regione ortus. *infidias parari*] Adi Iufti-

num XI. 7. & Arrianum. *vinculis diuturnis*] Tertium annum custoditus fuerat, quum ad causam dicendam productus inter haesitationes memoriae ab adstantibus confoderetur. *Curt. VII. 1.*

IX.

Iter per Climaca, & proelium cum Pisidis.

Phaselide in fidem accepta, per Climaca, hoc est, angustias inter montes & mare Pamphylium, aegre exercitum hiberno tempore transduxit, & Aspendiis post defectionem receptis, Telmessum praetergressus Pisidas ad Sagalassum graui proelio superauit.

Phaselide] Phaselis in Lyciae ad Pamphyliam termino v. bs maritima, in qua Alexander Theodeci statuac, sui quondam sub Aristotele condiscipuli, iam vita defuncti, coronas iniicit. *Plutarch. pag. 674. per Climaca*] Mons Climax. Pamphylio mari imminens, aetum transitum in litore relinquit, & fluctibus saepo ita opertum, vt Alexandri milites vmbilico tenus demersi ibidem iter fecerint. *Plutarch. & Strab. lib. XIV. Pisidas graui proelio*] Adi Arrianum.

X.

Memnonis morte res Persarum labefactantur.

Inter haec Memnon locis quibusdam in maris ora recuperatis & Chio insula, dum Mitylenem obsidet, morbo correptus Persarum spem maximam morte intempestiua destituit. Nam hoc duce bellum Darius ex Asia in Europam transferri posse sperauerat.

locis

locis quibusdam] in quibus & Lampfacus fuit.
Chio, -- Mitylenen] Chion prodicione cepit, *Arri-*
an. lib. II. ineunte : Mitylenaei post mortem ducis,
 quum se vndique inclusos viderent, pacti salutem sunt
 & Macedonici praesidii discessionem liberam. *Arri-*
an. c. I. ex Asia in Europam] Diodor. Sic. XVII.
 c. 29.

Q. CVRTHI RVFI
 DE
 REBUS GESTIS
 ALEXANDRI REGIS
 MACEDONVM
 LIBER III.
 CAP. I.

Celaenarum vrbe & arce recepta, primariam Phry-
giae urbem Alexander ingreditur : in qua fa-
talem Gordii nodum soluit. Ac deinde obuiam
Dario ire statuit.

INter haec Alexander, ad conducendum
 ex Peloponeso militem, Cleandro cum
 pecunia misso, Lyciae Pamphyliaeque
 rebus compositis, ad urbem Celaenas

1. *Inter haec Alexander*] Transitionis schema ar-
 gumento est, sub finem secundi libri de alia re, quam
 Alexandri, actum fuisse, quae Diodoro & Arriano
 auctoribus non potuit alia esse, quam gesta & mors
 Memnonis, praesertim quod post paullo sub finem hu-
 ius I. capituli, & initio II, ad Memnonis historiam conti-
 nuandam pergitur. *C. militem*] collectiuum est,
 quod in singulari multitudinem significat. *S. Ly-*
ciae Pamphyliaeque] etiam Pisidiae, vt in coniecturis
 exer-

- 2 exercitum admouit. Mediam illa tempestate
 3 interfluebat Marsyas annis, fabulosis Graeco-
 rum carminibus inclutus. Fons eius ex summo
 montis cacumine excurrrens, in subiectam petram
 magno strepitu aquarum cadit : inde diffusus,
 4 duntaxat vndas trahens. Itaque color eius

supplementorum libri II, diximus. Pisidis enim partim
 in fidem acceptis, partim proelio victis, iuxta Asca-
 nium lacum in Phrygiam Alexander intrauit, *Arrian.*
lib. I. extr. C. compositis] pacatis. Virgil.
Aeneid. I. — sed motos praestat componere fluctus. S.
Celaenas] Celaenae, ad fontes Marsyae & Maeandri
 sitae, caput quondam Phrygiae fuerunt, *Liuius*
xxxviii. 13. Max. Tyrius Dissert. xxxviii. C.
2. illa tempestate] illo tempore, quo Alexander
 Asiam inuadebat, nam inde postea migratum fuit ad
 Lycum amnem, nouaeque urbi *Apameae* nomen
 inditum, non ab Apamea sorore Seleuci, vt *Liuius*
c. l. tradit, sed a matre Antiochi Soteris, siue vxore
 Seleuci Nicatoris, vt *Strabo* docet lib. XII. Add.
Octav. Falconerii Dissertat. de Nummo Apamensi. C.
fabulosis carminibus inclutus] Fabula haec est: Mar-
 syam satyrum reperta tibia, quam *Minerua* propter
 oris deformitatem, cum inflaret, abiecerat; ipsum
Apollinem in certamen prouocasse, sed victum ab hoc,
 & pelle exutum, manante sanguine flumen *Marsyam*
 effecisse, *Hygin. Fab. CLXV.* vel satyrorum nympharumque
 lacrymis, quibus *Marsyam* crudeliter occisum
 prosequuti fuerant, eiusdem nominis fluiuium exortum
 esse. *Ouid. VI. Metamorph. Fab. VI. C. liquidus]*
limpidus, clarus. Vnde & *Virgilius Ecl. 6. 33.*
liquidum ignem dixit, i. e. clarum. S. suas
vndas trahens] non cum alio se commiscens. *S.*
liquidus & suas vndas trahens] *Illustri Salmasio sub*
initium Tomi II. Excre. Plin. videtur noster fluiuium
 placido

placido mari similis, locum Poëtarum mendacio
 fecit: quippe traditum est, *Nymphas amore
 amnis retentas, in illa rupe considerare.* Ceterum,
 quamdiu intra muros fluit, nomen suum retinet:
 at quum extra munimenta se euoluit, maiore vi
 ac mole agentem vndas *Lycum* appellant. Ale- 6
 xander quidem urbem destitutam a suis intrat:
 arcem vero, in quam confugerant, oppugnare
 adortus: caduceatorem praemisit, qui denun-
 ciaret, *ni dederent, ipsos vltima esse passuros.* Illi 7
 caduceatorem in turrim, & situ & opere multum
 editam, perductum; *quanta esset alitudo, intu-
 eri iubent, ac nunciare Alexandro, non eadem
 ipsum & incolas aestimatione munimenta metiri:
 se scire inexpugnabiles esse, ad vltimum, pro fide*

Organ (Opyzv) cum Marfya confundere. Illum enim
 Strabo lib. XIV. vocat πρῶτον καὶ μαλακόν. C. 4.
Nymphas) Ouid. c. l. v. 394. *& nymphae sterunt.* C.
 5. *Lycum appellant*] Manifestus error. Diuersi e-
 nim Lycus & Marfya, quamuis ambo in Macandrum
 influentes. Ad Plinium, Strabonem, Salmasium c. l.
 C. *destitutam*] *relictam, auxilio carentem.* S.
 6. *caduceatorem*] Caduceator, qui mittitur concili-
 andae pacis causa. Nomen a *caduceo* est, pacis sym-
 bolo, siue virga, quali Mercurius fingitur vsus esse. C.
ultima passuros] *suppliciorum & periculorum ex-
 tremo.* Sic & noster IX. p. 22. ac Florus I. 13. 12. C.
 7. *situ*] *natura* nam forte in colle sita erat. S. *o-
 pere*] *labore* hominum. S. *editam*] *altam.* S.
metiri] *aestimare.* Sensus est; Alexandrum non
 tanti aestimare firmitatem munimentorum suorum:
 quanti quidem ipsos, quum sciant inexpugnabilem esse,
 quod non putet Alexander. S. *ad vltimum*] *pro
 Denique, postremo, si quid secus fortuna tulerit, pro
 mori-*

- 8 *morituros*. Ceterum ut circumfideri arcem, & omnia sibi indies arctiora viderunt esse; *sexaginta dierum inducias* pacti, *vt nisi intra eos auxilium Darius ipsis misisset, dederent urbem*: postquam nihil inde praesidiū mittebatur, ad
 9 praestitutam diem permisere se regi. Superueniunt deinde legati Atheniensem, petentes, *vt capti apud Granicum amnem redderentur sibi*. Ille *non hos modo, sed etiam ceteros Graecos restitui suis iussurum* respondit *finito Persico bello*.
 10 Ceterum, Dario imminens, quem nondum Euphratem superasse cognouerat; vndique omnes copias contrahit: totis viribus tanti belli
 11 discrimen aditurus. Phrygia erat, per quam ducebatur exercitus; pluribus vicis, quam vr-
 12 bibus frequens. Tunc habebat quondam nobilem Midae regiam; *Gordium* nomen est vrbi, quam Sangarius amnis interfluit, pari interuallo Pontico & Cilicio mari distantem.

fide suo regi seruanda morituros esse. Addi Florus potest IV. 7. 15. C. 8. *vt*] pro *postquam*. Et sic infra saepius, quod semel monere sufficit. S. *inde*] a Dario, vel quo auxilii petendi causa miserant. S. *permisere*] *tradidere*. Nos dicimus, *sic haben sich seiner Discretion übergeben*. S. 9. *capti apud Granicum*] Vide Supplement. lib. II. num. 5. C. *non hos modo*] Quot mercenariorum viuos Alexander ceperat, victos in Macedoniam ad ergastula misit. *Arrian. lib. 1. C. 10. imminens*] propius ad ipsum accedens. S. 12. *Gordium Midae regiam*] Midas ille poetarum fabulis celebratus, rex fuit Phrygiae. C. *regiam*] *aulam vel arcem regiam*. S. *Sangarius*] qui per Phrygiam & Bithyniam decurrens Euxino·Ponto infunditur. C. *pri interuallo*]

Inter

Inter haec maria angustissimum Asiae spatium¹³ esse comperimus, utroque in arctas fauces com-
 pellite terram. Quae quia continenti adhae-
 ret, sed magna ex parte cingitur fluctibus, spe-
 ciem insulae praebet; ac nisi tenue discrimen
 obiiceret, maria, quae nunc diuidit, committeret.
 Alexander vrbe in suam ditionem redacta, Iouis¹⁴
 templum intrat. Vehiculum, quo Gordium
 Midae patrem vectum esse constabat, adspexit,
 cultu haud fane a vilioribus, vulgatisque vsu
 abhorrens. Notabile erat iugum adstrictum¹⁵
 cum pluribus nodis in semetipsum implicatis, &
 celantibus nexus. Incolis deinde adfirmantibus,¹⁶
*editam esse oraculo sortem; Asiae potiturum, qui
 inexplicabile vinculum soluisset: cupido incescit*

Linus XXXVIII, 18. de emporio Gordio: *Tria maria
 pari forme distantia interuallo habet, Hellepontum,
 ad Sinopen, & alterius orae litora, quae Cilices mari-
 timi colunt. C.* 13. *angustissimum spatium*] sat
 amplum inter Ponticum mare & Cilicium, nisi respectu
 vniuersae Asiae minorem siue Natoliam ita arctari di-
 cas. C. *continenti*] *terra firma, das feste land,*
quae contradistinguitur insulae & peninsulae. S.
tenue discrimen] an tenue, quod per trium regnorum,
 Ponti, Cappadociae, Ciliciae distinguitur amplitudi-
 nem? C. Caeterum *discrimen* h. l. notat *interual-*
lum. S. 14. *Gordium patrem*] vide historiam
 ab Iustino XI. 7. traditam. C. *cultu*] *elegantia*
& artificiositate, vt ita loqui liceat. S. *haud ab-*
horrens] *conueniens cum iis, vel simile. S.* 16.
editam oraculo sortem] Quia oracula certo ordine &
 forte reddebantur, factum est, vt ipsa *sortes* dicerentur.
 Cicero de Diuin. II. c. 33. *Auspicia restant & sortes*
cae, quae ducuntur, non illae, quae vaticinatione fun-
amino

- 17 animo fortis eius implendae. Circa regem erat & Phrygum turba, & Macedonum : illa exspectatione suspensa, haec sollicita ex temeraria regis fiducia. Quippe serie vinculorum ita adstricta, vt vnde nexus inciperet, quoue se conderet, nec ratione, nec visu percipi posset, adgressus ; iniecerat curam, ne in omen vertetur inritum inceptum. Ille nequaquam diu luctatus cum latentibus nodis ; *nihil*, inquit, *interest quomodo solvatur* : gladioque ruptis omnibus loris, oraculi fortem vel elusit, vel
- 19 impleuit. Quum deinde Darium, vbiicumque esset, occupare statuisset, vt a tergo tuta relinqueret, Amphoterum classi ad oram Hellepontis, copiis autem praefecit Hegelochum ; Lesbum, & Chium, & Con praesidiis hostium liberaturos.
- 20 His talenta ad belli vsum quingenta adtributa :

duntur, quae ORACULA verius dicimus. Virgil, *Aen.* IV. v. 546. de Pataraeo oraculo :

Italiam Lyciae iussere capeffere sortes. C.

Asiae positurum] vniuersae maioris. C. *Potior* cum genitiuo, vt ad Nepotem notauimus. S. 17. *suspensa*] *dubia*. S. 18. *vel elusit, vel impleuit*] si arte explicari, non dissectari oportuit, elusit : si quocunque modo dissolui satis erat, impleuit. C. 19. *a tergo tuta*] Sic fugientem Pompeium non prius Caesar persequutus est, quam Pompeianas in Hispania legiones subuertisset. C. *a tergo*] post tergum. S. *Lesbum, Chium, Con*] Has inter Asiam Graeciamque insulas Memnon ad Persas reducerat, sola Mitylenaeorum vrbe adhuc repugnante. Vide Supplement. lib. 2. extrem. C. 20. *talanta quingenta*] Talentum nostrae monetae valet thaleros 750. quingenta ad

ad Antipatrum, & eos qui Graecas vrbes tue-
bantur, sexcenta missa: ex foedere naues fo-
ciis imperatae, quae Hellefpono praesiderent.
Nondum enim Memnonem vita excessisse co-2
gnouerat: in quem omnes intenderat curas;
fatis gnarus, cuncta in expedito fore, si nihil
ab eo moueretur. Iamque ad urbem Ancy-2
ram ventum erat, vbi numero copiarum inito,
Paphlagoniam intrat: huic iuncti erant Eneti,
vnde quidam Venetos trahere originem cre-
dunt. omnisque haec regio paruit regi: da-2
tisque obsidibus, *tributum, quod ne Persis quidem
tulissent, pendere ne cogentur*, impetrauerunt.
Calas huic regioni praepositus est: ipse, adsum-2
ptis qui ex Macedonia nuper aduenerant, Cappa-
dociam petiit.

ergo sunt 375000, *thlr.* sexcenta vero 450000, *thlr.* S.
21. *in Memnonem curas intenderat*] Vir enim Rho-
dius erat, tam terrestris militiae, quam naualis, peri-
tissimus, ideoque a Dario summae belli praefectus. C.
moueretur] contra se tentaretur. S. 22 *Ancy-
ram*] Et in Phrygia, & in Galatia Ancyrae nomine
vrbs est, haec Galatica & celebratior intelligitur, quin
proxima Paphlagoniae est. Atrianus lib. II. cognomen
Γαλατικῆς signanter adiecit. C. *Venetos trahere
originem*] Ita Lilius I. 1. Nepos apud Plinium VI. 2.
Virgilius Aen. I. 242. & alii. C. 24. *Calas*] ad-
huc equitum Thessalorum ductor, nunc tam Phry-
giae, quam Paphlagoniae ab Alexandro praefectus.
Arrian. C. *Cappadociam*] propria Cappadociae
trans Halym annem fuit, cuius partem tantummodo
Alexander subegit. Idem. C. *petiit*] Pero cum
accusatiuo positum habet significationem *profisciscendi*,
& nullam recipit praepositionem. S.

CAP. II.

Exercitus Persici lustratio, de quo quum Darii iussu Charidemus Atheniensis verum liberumque protulisset indicium, capite multatus est.

- 1 **A**T Darius, nunciata Memnonis morte haud secus quam par erat, motus; omiſſa omni alia ſpe, ſtatuit ipſe decernere: quippe quae per duces ſuos acta erant, cuncta damnabat; ratus, pluribus curam, omnibus abſuiſſe fortunam. Igitur caſtris ad Babylonem poſitis, quo maiore animo capeſſerent bellum, vniuerſas vires in conſpectum dedit: & circumdato vallo, quod decem millium armatorum multitudinem caperet, Xerxis exemplo, numerum copiarum iniit.
- 3 Orto ſole ad noctem agmina ſicut deſcripta

1. *motus* Verbum *mouere* de quibusuis adſectibus accipitur, & prout materia fert, explicanda eſt. H. I. *timorem* notat, & *motus* idem eſt ac *territus*. S. *omiſſa*] ſp̄reta, contenta. S. *Memnonis morte*] Vid. Supplem. lib. II. extr. C. *Omiſſa ſpe alia ſtatuit ipſe decernere*] Sic Liuius xxxii. 31. *omiſſa ſpe per vnam dimicationem res decernenda*: & xxxv. 3. *parati de ſumma rerum decernere*. Neſos Eumene c. 9, 6. *quo integriori exercitu decerneret*. Eſt ergo *decernere* in his *proclium committere*. C. *damnabat*] ſibi non placere dicebat. Sicut iudices quos damnant, horum facta ſibi non placuiſſe, oſtendunt. S. *ratus*] participium a *reor*, quod notat *exiſtimo*, *puto*. S. *pluribus* &c.] plures quidem res ſibi commiſſas bene curaiſſe, ſed fortunam ipſorum curis non reſponſiſſe. S. 2. *in conſpectum*] vrbis Babylonis. S. *Xerxis exemplo*] qui ſingulas myriades intra vallum adductas luſtrauerat. Adi Herodotum VII. 60. C. 3. *Orto ſole ad erant,*

erant, intrauere vallum. inde occupauerunt
 emissa Mesopotamiae campos: equitum pedi-
 tumq; propemodum innumerabilis turba, maio-
 rem quam pro numero speciem gerens. Perfarum 4
 erant centum millia: in quis eques triginta mil-
 lia implebat. Medi decem equitum: quinquaginta
 millia peditum habebant. Barcanorum 5
 equitum duo millia fuere; armati bipennibus,
 leuibisque scutis cetrae maxime speciem red-
 dentibus: peditum decem millia pari armatu
 sequebantur. Armenii quadraginta millia mise- 6
 rant peditum; additis septem millibus equitum.
 Hyrcani egregii, vt inter illas gentes, sex millia
 expleuerant, equis militatura. Derbices qua- 7
 draginta millia peditum armauerant; pluribus
 haerebant ferro praefixae haetae, quidam lignum

noctem] Duarum particularum ellipsis hic occurrit,
 quam ita supplemus: *Ab orto sole, usque ad noctem.*

S. *speciem*] pulchritudinem. Exercitus iste ma-
 iorem prae se ferebat in armis & vestitu pulchritudi-
 nem, quam in tanto numero possibile fuisset. Nam
 paruum exercitum facile aliquis debito modo potest
 instruere. S. 4. *quis*] antiquum pro *quibus*.

Scribitur etiam *queis*, ex quo contractum est *quis*. S.
 5. *Barcanorum*] Stephanus Byzantius: Βαρκανοί
 ἄνθρωποι τοῦ Ἑρμανοῦ ἕμπορον, *gens Hyrcanis finitima.*
 Meminit eorum etiam Ctesias in Excerpt. C. *bi-*

pennibus] ferro ancipiti. Nonius Marcellus: *BI-*
PENNIS manifestum est id dici, quod ex utraque
 parte sit acutum. C. *cetrae speciem*] speciem
 minoris scuti, instar peltae, quo genere etiam Hispani,
 Galli & Afri vsi sunt. C. 7. *Derbices*] quos
 Oxus fluuius secat, Margianis vicinos, *Plin., VI. 16. C.*

igni duraverant. Hos quoque duo millia equitum ex eadem gente comitata sunt. A Caspio mari octo millium pedester exercitus venerat; ducenti equites. Cum his erant ignobiles Asiae gentes: duo millia peditum; equitum duplicem parauerant numerum. His copiis triginta millia Graecorum mercede conducta, egregiae iuuentutis, adiecta sunt. Nam Bactrianos, & Sogdianos, & Indos, ceterosque rubri maris accolas, ignota etiam ipsi gentium nomina, festinatio prohibebat acciri. Nec quidquam illi minus, quam multitudo militum defuit. cuius tum vniuersae adpectu admodum latus, purpuratis solita vanitate spem eius instantibus; conversus ad Charidemum Atheniensem belli peritum, & ob exsilium infestum Alexandro (quippe Athenis

igni] ablatius pro *igne*, quod ita frequens auctoribus. *S.* *Caspio mari*] Non mare est proprie, sed lacus magnus inter Mediam & Scythiam situs, uti ex inspectione tabulae patebit. Dicitur etiam alias *mare Hyrcanum* ab Hyrcanis populis adiacentibus. *S.* *8. Asiae gentes*] quidam *aleae* pro *Asiae*. Sed & Asiae paene multae obscurae gentes sunt. *C.* *9. Bactrianos, Sogdianos*] Hae gentes post mare Caspium in ortum longius remotae erant: quare ad festinam expeditionem non acciri potuerunt. *C.* *10. purpuratis*] Ita vocantur amicorum regionum principes ac satrapae, praesertim de barbaris si sermo est, ut apud Florum I. 10. 5. & nostrum c. 8. 3. qui tamen Parmenionem etiam fidissimum purpurarum dixit cap. 6. 4. huiusce libri. *C.* *Charidemum belli peritum*] De hoc Diodorus XVII. 30. ἀνὴρ θαυμαζόμενος ἐν ἀνδρείᾳ καὶ δεσπότῃ στρατηγός, admirandus propter fortitudinem & imperatorias virtutes. Addit sub Philippo iubente

inbente eo fuerat expulsus) percontari coepit; *satisne ei videretur instructus ad obtinendum hostem?* At ille & suae fortis, & regiae superbiae ¹ oblitus; *Verum, inquit, & tu forsitan audire nolis; & ego, nisi nunc dixerero, alias nequidquam consistebor.* *Hic tanti apparatus exercitus, haec ² tot gentium, & totius Orientis excita sedibus suis moles, finitimis potest esse terribilis: nitet pura auroque, fulget armis & opulentia, quantum qui oculis non subiecere, animis concipere non possunt.* *Sed Macedonum acies torua sane ³ & inculta, clypeis hastisque immobiles cuneos, & conferta robora virorum teget. Ipsi phalan-*

militalse omnium consiliorum participem, & principem in administrandis negotiis. C. ^{11.} *verum] veritatem. S. audire nolis] Tacitus Hist. III, 56. 6. Ita formatae principis aures, ut aspera quae utilia, nec quidquam nisi iucundum & laesurum accipiat. C. nequidquam] frustra. Exempla notauimus ad lunencum 4. 222. Quae ibi requirere potest lector, quia id a Tuscellino & eius continuatoribus animaduersum non est. S. ^{12.} *excita sedibus moles] Moles id est multitudo. Linius V. 8. Etruriam omnem excitant sedibus magna mole adesse. Florus III. 5. 14. Mithridates tota regni sui mole in Asiam rursus mari terra, fluminibusque veniebat. Noster V. 9. 5. maior bellum moles. C. ^{13.} *immobiles cuneos] Tacticis cuneus est forma militum in trigonum ordinata. Vegetius I. 26. quo falso, in trigonum, quem cuneum vocant, acies ipsa mutanda est. Deinde cunei sunt manipuli militum viis dissepti, a cuneorum theatralium forma appellati. Frontinus Strateg. II. 3. 20. Aemilius Paulus aduersus Persen triplicem aciem cuneis instruxit, inter quos subinde velites emisit. C. robora viro-***

gem vocant peditum stabile agmen, arma vir viro,
armis conferta sunt: ad nutum momentis intenti,
Ia sequi signa, ordines seruare didicere. Quod im-
peratur, omnes exaudiunt: obsistere, circumire,
discurrere in cornua, mutare pugnam, non duces

rum] i. e. robustos viros. Conferta vero robora vi-
rorum dum dicit, innuere vult, omnes Macedonas adeo
firmiter stare quasi constipatos, vt, nisi omnes euertas,
vnum commouere non possis. S. teget] recta &
quasi a nemine cognita seruabit. S. phalangem]
Vide ad Nepotem, S. ad nutum intenti] ita
prompti ad obediendum, vt vel nutum ducis sequantur.
Iornandes Geticis cap. 38. Turba regum, diuersa-
rumque nationum ductores nutibus Attilae attende-
bant, & vbi oculo aduissset, vnusquique adstabat. C.
signa] in bello sunt duplicia: vel muta, vt vexilla:
vel vocalia, vt tubae & tympana. Haec milites co-
rumque translationem & sonum sequi dicuntur. S.
14. exaudiunt] obedienter accipiunt, nam in tanta
multitudine tantoque fremitu non omnia auribus per-
cipiuntur. C. obsistere] consistere. Sic Plautus
Mil. II. 3. 26. Heic obsistam. id est: stabo, vt recentis-
simus Iacobus Operarius interpretatur: & Pareus prima
editione consistam, (nam iterata in obstabo mutauit)
quod approbat Cl. Freinshemius. C. discurrere
in cornua] ad firmanda aciei cornua, hoc est, partes
hosti maxime oppositas, ex posteriore acie iussu du-
cum procurrere, vt ordines in fronte duplicentur. C.
mutare pugnam] id est, ex fronte in dextrum, sini-
strum latus, in tergum, & vbiicumque opus est, sine
turbatione ordinum celeriter conuerti: etiam ita subi-
to circumagi, vt vltimi primum, primi vltimum locum
occupent. C. non duces magis, quam milites]
Iustinus XI. 6. 4. de hoc Alexandri exercitu: non
tam milites, quam magistros militiae electos puta-
res, C.

magis,

magis, quam milites callent. Et ne auri argenti-
 tique studio teneri putes, adhuc illa disciplina
 paupertate magistra stetit, fatigatis humus cubile
 est: cibus quem occupant satiat: tempora somni
 arctiora quam noctis sunt. Iam Thessali equites, I 6
 & Acarnanes, Aetolique, inuicta bello manus,
 fundis credo, & hastis igne duratis repellentur?
 pari robore opus est. in illa terra, quae hos ge-
 nuit, auxilia quaerenda sunt: argentum istud
 atque aurum ad conducendum militem mitte.

15. teneri] delectari. Ne forte putes illud Mace-
 donas facere, quia multa illis pecunia soluitur, S.
 adhuc] ad hoc usque tempus, bis hieher, bis dato. S.
 paupertate magistra stetit] Noxia castris abundantia
 & luxus: paupertatis tolerantia fortitudinis confer-
 uatrix. C. Stetit i. e. inter eos durauit. S. fati-
 gatis humus cubile] Seneca ad Heluiam cap. X. qui-
 bus (maioribus) terra cubile erat. Ammianus XXII.
 6. (4. Vales.) de castrensi suorum temporum luxu:
 Non saxum erat, ut antehac, armato cubile, sed
 plumae & flexiles lectuli. C. quem occupant]
 quem forte nanciscuntur, & obuium ac parabilem
 habent. C. tempora somni arctiora] De Tapro-
 banae incolis Plinius VI, 22. Non in diem, aut inter-
 diu somnus. C. 16. Thessali equites] Diodorus
 Sicul. XVII. 332. εἰ τῶν Τετταλῶν ἰππέως πολλὸ τῶν ἄλλων
 διαφέροντας ταῖς τε ἀνδραγαθλαῖς καὶ ταῖς ἐμπειρίαις,
 Arriano lib. I. p. 71. sunt τὸ κράτιστον τὸ ἰππικῆ. C.
 Acarnanes Aetolique] Vtraque gens belli studiis cla-
 rissima. Adi Liuium XXVI. 25. XXXVI. 7. Illa Epiri
 pars erat; haec Graeciae Propriae, sed Epiro & Acar-
 nianae contermina, Acheloo vtramque interfluente. C.
 manus] pro copiis militaribus, saepissime occurrit
 apud Nepotem, S. credo] per ironiam hoc dicit:
 i. e. non credo. S.

Erat Dario mite ac tractabile ingenium, nisi NATVRAM plerumque fortuna corrumpere-
 17ret. Itaque, veritatis impatiens, hospitem ac
 supplicem, tunc maxime vtilia suadentem, ab-
 18strahi iussit ad capitale supplicium. Ille ne tum
 quidem libertatis oblitus, *habeo*, inquit, *para-*
tum mortis meae vltorem: expetet poenas mei
consilii spreto is ipse, contra quem tibi suasi. Tu
quidem licentia regni tam subito mutatus, docu-
mentum eris posteris, HOMINES, cum se per-
 19*misere fortunae, etiam naturam dediscere.* Haec
 vociferantem, quibus erat imperatum, iugulant.
 Sera deinde poenitentia subiit regem; ac vera
 dixisse confessus, eum sepeliri iussit.

17. *hospitem ac supplicem*] ideo inuiolabilem ex
 communi gentium iure. C. 18. *licentia regni*]
 postquam regnum adeptus es, & omnia statim licere
 tibi putasti. S. *naturam dediscere*] desciscere a
 natura sua & pristino ingenio, effratiorisque fieri. C.
 19. *quibus*] pro ii, quibus. S.

CAP. III.

Thymodes Pharnabazo; hic Memnoni succedit. Da-
rii somnium. eiusque varia interpretatio.
Pompa Persarum regum, orto Sole demum
procedentium. tum copiarum Alexandri de-
scriptio.

1 **T**H Y M O D E S erat, Mentoris filius, impi-
 ger iuuenis: cui praeceptum est a rege; vt
 omnes peregrinos milites, in quis plurimum ha-

1. *peregrinos milites*] mercenarios Graecos. C.

bebas

bebat spei, a Pharnabazo acciperet; opera eorum
 vſurus in bello: ipſi Pharnabazo tradit imperium,
 quod ante Memnoni dederat. Anxium de instantibus
 curis, agitabant etiam per ſomnum ſpecies imminen-
 tium rerum: ſiue illas aegritudo; ſiue diuinationo
 animi praefagientis arceſſit. Caſtra Alexandri magno
 ignis fulgore conſucere ci viſa ſunt: & paulo poſt
 Alexander adduci ad ipſum in eo veſtis habitu, quo ipſe
 fuiſſet: eoſque deinde per Babylonem veſtus, ſubito cum
 ipſo equo oculis eſſe ſubductus. Ad haec vates varia
 interpretatione curam diſtrinxerant: alii laetum
 id regi ſomnium eſſe dicebant; quod caſtra hoſtium
 arſiſſent, quod Alexandrum, depoſita

imperium, quod Memnoni] imperium maritimae
 orae & infularum, quae ipſa ſardiensis ſatrapia erat.
 Pausan. in Lacon. p. 90. αἱ Σάρδεες τῶ σατραπείωντι ἐπὶ
 θαλάσσει διηγήριον. C. 2. *Anxium*] ſubaudi Re-
 gem vel Darium. C. aegritudo, ſiue diuinationo]
 Sic diſtingui vult Curtus inter naturale ſomnium, cuius
 heic cauſam animi moerorem refert; & diuinum, de
 quo illud Homeri Iliad. A. v. 63 intelligendum eſt,
 ὄνειρος δὲ Διὸς ἐστίν. C. 3. *Viſa ſunt*] Eleganter
 videri de ſomniis. Liuius XXI. 22. Fama eſt in quiete
 viſum ab eo iuuenem diuina ſpecie. Tacitus annal.
 II. 14. Nox eadem laetam Germanico quietem tulit,
 viditque ſe operatum, & ſanguine ſacro reſperſa
 praetexta pulchriorem aliam manibus auiae Auguſtae
 accepitſe. C. Alexander adduci] ſubintellige
 viſus eſt. Et quia verbum hoc ante & poſt ſe nomi-
 natium adſciſcit, ideo ſequitur ſtatim veſtus & ſub-
 ductus. S. 4. *diſtrinxerant*] diſtraxerant, in
 diuerſa traxerant interpretes ſomniorum. C.

regia veste, in Persico & vulgari habitu perductum
 5 esse vidisset. Quidam contra augurabantur:
 quippe inlustria Macedonum castra visa fulgorem
 Alexandro portendere: quem regnum Asiae occu-
 paturum esse, haud ambigere; quoniam in eo-
 dem habitu Darius fuisset, quum appellatus est
 6 rex. Vetera quoque omina, vt fit, sollicitudo
 reuocauerat: Darium enim in principio imperii
 vaginam acinacis Persicarum iussisse mutari in
 eam formam, qua Graeci sterentur; protinusque
 Chaldaeos interpretatos; imperium Persarum
 ad eos transiturum, quorum arma esset imitatus.
 7 Ceterum ipse & vatum responso, quod edebatur

in Persico & vulgari] An veste ἀράβης, id est serui
 & cursoris regii, vt Plutarchus sub initium Orat. I. de
 fortuna Alexandri tradit? an regio quidem ortus gene-
 re, vt Diodorus XVII. 6. scribit, viliores tamen, quam
 regio, indutus habitu fuit, antequam rex fieret? C.
 5. quem] Relatiuum h. l. ponitur, quia propius ad
 verba antecedentia constructio nostra refertur, quod
 elegans est. Si vero constructio inuertatur: haud
 ambigere (sc. vates) eum (Alexandrum) regnum
 occupaturum esse: facilius intelligent rudiores, S.
 6. vetera omina] Infra VI. 6. 6. vestem Persicam
 fuisse, ne omen quidem veritus. Maiorum enim
 rerum mutationem haec vestium armorumque imita-
 tio credebatur portendere. C. acinacis] ita Per-
 sis vocatur gladius, S. Chaldaeos] Artis nomen,
 non gentis solum, quia Chaldaei ex gentis vocabulo
 nominati, diuturna obseruatione siderum scientiam
 putantur effecisse, vt praedici posset. Cic. I. de diuinat.
 cap. I. A siderum notitia ad omnium portentorum
 inuitatarumque rerum interpretationem progressi sunt.
 Adde nostrum V. 1. 22, C.

in vulgus, & specie quae per somnum oblata erat, admodum laetus; castra ad Euphratem moveri iubet. Patrio more Persarum traditum est, orto sole demum procedere. die iam inlustri, signum e tabernaculo regis buccina dabatur. Super tabernaculum, vnde ab omnibus conspici posset, imago Solis crystallo inclusa fulgebat. Ordo autem agminis erat talis. Ignis, quem ipsi *sacrum & aeternum* vocabant, argenteis altaribus praeferebatur. Magi proximi patrium cernere canebant. Magos trecenti & sexaginta quinque iuvenes sequebantur, puniceis amiculis velati, diebus totius anni pares numero: quippe Persis quoque in totidem dies descriptus est annus. Currum deinde Ioui sacratum albescentes vehebant.

8. *die inlustri*] cum multa iam lux esset, nihil diluculi reliquum. C. vnde] pro vt inde. S. *imago solis*] aurea forsan & expolita, vt splendorem solis referret: ambitu autem crystallino circumdata. C. 9. *Ignis, quem sacrum vocabant*] Antiqua religione orientis populi ignem coluerunt, quem *sacrum* dicebant & *aeternum*, quod nefas esset extingui, nisi rege mortuo. *Diodori Sicul. XVII. 114. C. 10. Magi*] Cicero *Diuinat. I. 23. Magi, genus sapientum & doctorum habebatur in Persis.* Penes hos erat *μαγεία* id est, diuinationis studium, *Aelian. Var. Hist. II. 17. & περί θεωμάτων θεῶν διαρρήξιν καὶ θυσιῶν καὶ θυγῶν*, hoc est, cura omnium sacrorum, *Diogen. Laert. prosem.* Vnde Apuleius *Apologeticus: Persarum lingua Magus est, qui nostra sacerdos. C. 11. albescentes equi*] Sacer color, praesertim in equis ad solennia adhibitis, v. g. ad triumphum. *Plinius Panegy. cap. 22. quadriungo currum & albenibus equis.* *Quidius de Arte I. v. 214.*

equi: hos eximiae magnitudinis *equus*, quem
Solis appellabant, sequebatur. aureae virgae, &
 12 albae vestes, regentes equos adornabant. Haud
 procul erant vehicula decem, multo auro, argen-
 toque caelata. Sequebatur haec equitatus duo-
 13 decim gentium variis armis & moribus. Proximi
 ibant quos Persae *immortales* vocant, decem
 millia. cultus opulentiae barbarae non alios ma-
 gis honestabat: illi aureos torques, illi vestem
 auro distinctam habebant, manicatasque tuni-
 14 cas; gemmis etiam adornatas. Exiguo inter-

Quatuor in niueis aureis ibis equis. C.

equus solis] Soli equos propter pernicitatem sa-
 cratos fuisse, ex d'uinis etiam historiis notissimum est,
 II, Reg. XXIII. 11. C. *regentes equos*] eos, quos
equos regebant, vel *rectores equorum*. Participium
 admittit casum verbi sui, quemadmodum dico *rego*
equos, ita & *regens equos*. S. 12. *haec*] sc. *vehi-*
cula, nam sequor constructur cum accusatiuo non
 datiuo. S. *duodecim gentium*] Non facile has
 aliquis distincte explicuerit. Septem enim nisi fallor,
 cap. II. recensebantur, quae lustrationis vallum intra-
 uerant. Plinius quidem IV. 10. ext. duodecim enu-
 merat ab Alexandro deuotus, sed dubitatur, an pariter
 Persae distinxerint. Etiam Bactrianos admiscet, quos
 mox tum dixit (III. 2. 9.) propter locorum longin-
 quitatem abfuisse. C. 13. *immortales*] Decem millia
 militum erunt. quos *immortales* ideo dixerunt Persae,
 quia si quis fato vel casu interisset, statim alius suffice-
 batur, ut nunquam maior minorue numerus, quam
 decem millium esset. Herodot. VII. 83. C. *mani-*
catas tunicas] Molliorem in Persis notari seias, sicut in
 coniuratis adolescentulis apud Ciceronem Catil. II. c. 10.
 Adde Gell. VIII. 12. C. 14. *Exiguo intervallo*]
 subaudi ex antecedentibus *ibant*. S.

uallo;

uallo, quos *cognatos regis* appellant, decem & quinque millia hominum. Haec vero turba, muliebriter propemodum culta, luxu magis quam decoris armis conspicua erat. *Doryphori* voca-¹⁵ bantur proximum his agmen, soliti vestem excipere regalem, hi currum regis anteibant; quo ipse eminens vehebatur. Vtrumque currus latus¹⁶ deorum simulacra ex auro argentoque expressa decorabant: distinguebant internitentes gemmae iugum; ex quo eminebant duo aurea simulacra cubitalia, quorum alterum Nini, alterum Beli gerebat effigiem. inter haec auream aquilam pinnas extendenti similem sacrauerant.

cognatos regis] cum vere tales, tum honoris causa illis adscriptos. Hi enim eximium locum in aula Persarum tenebant. Adi Casaubonum lib. II. cap. IX. in Athenaeum. C. 15. *Doryphori*] Δορυφόροι, hastati, satellites: δόρυ enim hastam sonat. Multa autem hastarum genera, αἰχμή, δόρυ, σάρισσα, unde non est, quod mireris, alios *hastatos* num, 20 memorari. C. *agmen vocabantur*] *Agmen* nomen multitudinis est, ergo etiam in singulari pluralem verbi potest regere. S. *soliti vestem excipere*] ex quorum contubernio sumebantur ii, qui vestem Regis longiorem colligebant, & portabant, quod hodieque in usu est. S. 16. *Nini, Beli,*] Egregia haec Scaligeri emendatio est, cum antea vitiose legeretur, *alterum in alterum belli gerebat effigiem.* Hos antiquissimos orientis reges posteritas consecrauerat. C. *auream aquilam*] Lipsius in Taciti annal. II. 17. credit a Persis Romanos aquilae in militia signum accepisse. Xenophon de Paedia Cyri lib. VII. Ἦν αὐτὸ τὸ σημεῖον ἀετὸς χρυσοῦς ἐπὶ δόρατος μακρῆ ἀνατεταμένως, καὶ νῦν ἔτι τὸτο δὲ σημεῖον τῶν Περσῶν βασιλεῶν διμύει, C.

Cultus

- 17 Cultus regis inter omnia luxuria notabatur, purpureae tunicae medium albo intextum erat:
 18 pallam auro distinctam aurei accipitres, velut rostris inter se conruerent, adornabant, & zona aurea muliebriter cinctus acinacem suspenderat,
 19 cui ex gemma erat vagina. *Cidarim* Persae regium capitis vocabant insigne; hoc coerulea
 20 fascia albo distincta circumibat. Currum decem millia hastatorum sequebantur: hastas argento exornatas; spicula auro praefixa gestabant.
 21 Dextra laeuaque regem ducenti ferme nobilissimi propinquorum comitabantur. Horum

17. *Cultus*] *ornatus, vestitus. S. notabatur*] *erat notabilis. S. medium*] *media pars vel medietas. S. medium albo intextum*] Ita cum Salmasio Exerc. Plin. p. 706. scribimus pro vulgato: *medium album intextum. C. 18. aurei accipitres*] quin accipitres felix augurium Dario Hytaspis & sociis principibus contra Magos fuerant. *Herodot. III. 76. C. ex gemma vagina*] non ex vna perforata, quod mirae artis & difficillimi operis fuisset, vt de infinito precio taceamus; sed vel ex multis compacta & conglutinata; vel ita variis multisque connecta, vt quasi vna gemma appareret. *C. 19. Cidarim regium capitis insigne*] Hesy chius: κίδαρης πῖλος βασιλικός, ἐν καὶ τιάραν (subaudi λέγεσθαι) *Cydaris regius pileus est, quam etiam Tiaram vocant.* Aliis non ipse pileus, sed ornamentum in pileo est. Vt cumque se habet, tamen Περσῶν Ἰδίων, *Persarum proprium fuit, Polluce auctore VII, 13. C. 20. hastatorum*] vel ἀιχμοφόρος intelligit, vel σαρισσοφόρος, nam de *doryphoris* superius num. 15. actum fuit. *C. 21. propinquorum*] *consanguineorum, qui propinqua cognatione erant coniuncti, vt loquitur Nepos in praefat. S.*

agmen claudebatur triginta millibus peditum, quos equi regis quadringenti sequebantur. In-2 2
teruallo deinde vnus stadii, matrem Darii Sisy-
gambim currus vehebat : & in alio erat coniunx.
turba foeminarum reginas comitantium equis
vestabatur. Quindecim inde, quas *armamaxas* 2 3
adpellant, sequebantur. in his erant liberi regis,
& qui educabant eos, spadonumque grex, haud
fane illis gentibus vilis. Tum regiae pellices 2 4
trecentae sexaginta vehebantur, & ipsae regali
cultu ornatae. Post quas pecuniam regis
sexcenti muli, & trecenti cameli vehebant; prae-
sidio sagittariorum prosequente. Propinquorum 2 5
amicorumque coniuges huic agmini proximae;

22. *armamaxas*] *Armamaxa* siue *Harmamaxa* vehi-
culi aut lecticae muliebris genus apud orientales erat.
Xenophon lib. I. Exped. Cyri, post principium : Κύρος
παρελάυνων ἐφ' ἄρματος, καὶ ἡ Κίλισσα ἐφ' ἄρμαμάξης.
Cyrus lustrandas copias praetervehebatur curru; *Ci-
lissa* regina *plastro curuli*. (Sic *Romulus Amasaeus*
harmamaxam vertit.) Persis praecipue in vsu fuit,
Max. Tyrius Diff. XXXIV. *Si tu Graecus coeperis mi-
rari τιάραν Μηδικὴν, καὶ ἄρμαμάξαν Περσικὴν, περιλλείεις,
βαρβαρλίεις, tiaram Medicam, & harmamaxam Per-
ficam; perffissas, barbariffas.* *Theoph. Simocatta*
lib. VI. cap. vlt. ἄρμαμάξαν χρυσοκόλλητον ἰναυρατῆται
currum vocat. *Alexandri* etiam corpus *harmamaxa*
Alexandriam deductum fuit, *Athenaeo* auctore lib.
V. 9. quia mollissimae vestationis vehiculum fuit. C.
liberi regis] duae filiae & *Ochus* puer. C. haud
fane illis gentibus vilis] *Tacitus* VI. 31. 4. *Proximus*
huic *Abdus*, *ademptae virilitatis*, non despectum
id apud barbaros; vltroque potentium habet. C.
25. amicorumque] *Amici* sunt *consilarii* principum

lixarumque & calonum greges vehebantur. Vltimi erant cum suis quisque ducibus qui cogerent
 26 agmen, leviter armati. Contra si quis aciem
 Macedonum intueretur, dispar acies erat: equis
 virisque non auro, non discolori veste; sed ferro,
 27 atque aere fulgentibus. Agmen & stare paratum,
 & sequi: nec turba; nec sarcinis praegraue:
 intentum ad ducis, non signum modo; sed etiam nutum.
 & castris locus; & exercitui
 28 commeatus suppetebant. Ergo Alexandro in acie miles non defuit.
 Darius tantae multitudinis rex, loci, in quo pugnauit, angustius
 redactus est ad paucitatem, quam in hoste contempserat.

adiutoresque rerum gerendarum. Vide Nepotem XVIII. 1. 4. Iulium XXXIV. 3. 3. aliosque passim. C. *lixarum* & *calonum*] *Lixae*, qui militibus aquam adferunt, aut cibos praeparant. Nonius Marcellus in *ELIXVM*: *Lixam* aquam veteres esse dixerunt, unde & *lixae* dicti, qui militibus aquam ad castra, vel ad tentoria solent ferre. Sextus Pompeius Festus: *Lixa*, qui exercitum sequuntur quae stus gratia, puta vendendo cibos & alia necessaria. At *calones* serui sunt, custodes suppellectilis castrensis. Seruius in *Aeneid.* VI. v. 1. *Calas* dicebant maiores nostri *fustes* quos portabant serui, sequentes dominos ad praelium: unde etiam *CALONES* dicebantur. C. 26. non auro, sed ferro] Lilius IX. 40. *Romani* docti a ducibus erant, horridum militem esse debere, non caelatum auro & argento, sed ferro & animis fretum. C. 27. sed etiam nutum] Repete dicta ad cap. 2. n. 13. C. 28. miles non defuit] satis multos habuit pro loci natura & angustia. C.

CAP. IV.

*Desertas ab Arsane Davii praefecto Ciliciae fauces,
Alexander opportune occupat.*

INTEREA Alexander Abistamene Cappa- 1
dociae praeposito; Ciliciam petens cum
omnibus copiis, regionem, quae *castra Cyri*
appellatur, peruenerat. statua ibi habuerat Cy-
rus, quum aduersum Croesum in Lydiam duce-
ret. Aberat ea regio quinquaginta stadia ab 2
aditu quo Ciliciam intramus: *Pylas* incolae
dicunt, arctissimas fauces; munimenta, quae
manu ponimus, naturali situ imitante. Igitur 3
Arsanes, qui Ciliciae praecerat, reputans quid
initio belli Memnon suafisset; quondam salubre

1. *Abistamene*] Sabictam vocat Arrianus lib. II. C. *Cappadociae*] parti eius citeriori, quae ad Halyn amnem est: vltiorem enim non occupauerat. *Arrian. c. I. C.* *Ciliciam petens*] Ciliciam versus proficiscens. S. 2. *Quinquaginta stadia*] Stadium est 32. pars milliaria: vel vnum milliare continet stadia 32. Ergo 50. stadia sunt milliare cum dimidio. S. *munimenta*] Ordo: naturali situ imitante munimenta, quae manu ponimus. S. *Cyrus quum aduersum Croesum*] Curtius a Cyro maiore nomen ducit: Arrianus a minore, siue τὸ εὖν ξενοφῶντι κέρει, eo Cyro, cui Xenophon adsuit, lib. II. p. 88. Praestat Arrianum sequi quia maioris in hoc tractu nulla statua legimus; maioris aliqua apud Xenophontem lib. I. ἀναβάτεως. C. 3. *Memnonis salubre consilium*] Consilium hoc erat: nolle pugnare ad Granicum, quia hostis peditatu valentior, & rege praesente alacrior esset: sed retrocedendo omnia vastare, vt commeatuum inopia excedere Asia Alexander cogeretur. *Arrian. lib. I. p. 36. C.* *Quondam salubre*] per Hyphen haec sunt coniungenda pro *consilium, quod quondam salubre erat. S.* COR-

consilium fero exsequi statuit: igni ferroque Ciliciam vastat, vt hosti solitudinem faciat: quidquid vsui esse potest, corrumpit; sterile ac nudum solum, quod tueri nequibat, relicturus.

- 4 Sed longe vtilius fuit angustias aditus, qui Ciliciam aperit, valido occupare praesidio, iugumque opportune itineri imminens obtinere; vnde inultus subeuntem aut prohibere, aut opprimere
- 5 hostem potuisset. Nunc paucis, qui callibus praesiderent, relictis, retro ipse concessit populator terrae, quam a populationibus vindicare debuerat. Ergo, qui relictis erant, proditos se rati, ne conspectum quidem hostis sustinere voluerunt; quum vel pauciores locum obtinere
- 6 potuissent. Namque perpetuo iugo montis asperi ac praecepti Cilicia includitur: quod quum a mari surgat, veluti sinu quodam, flexuque curuatum, rursus altero cornu in diuersum

hosti solitudinem faciat] faciat solitudinem vel deuastationem eo loco quo perueniendum erat hostibus. S. tueri] scil. hostem. Tueri enim est conseruare, alere, sustinere, quod saepissime apud Columellam occurrit. S. 4. qui Ciliciam aperit] per quem incipit introitus in Ciliciam. S. iugum] notat seriem continuam montium, quale in Cilicia habet Taurus, vt statim sequitur n. 6. S. obtinere] praesidio munire. S. inultus] sine damno, quod hostes vltionem meditantes, inferre possent. S. subeuntes] subtus, vel sub montis radicibus praetereuntes. Repetitur hoc verbum a nostro pluries. S. 5. praesiderent] qui praesidio eos munirent. S. 6. surgat] incipiat. S. altero cornu] altera parte vel latere. S.

littus excurrit. Per hoc dorsum, qua maxime 7
 introrsum mari cedit; asperi tres aditus, &
 perangusti sunt: quorum vno Cilicia intranda
 est. campestris eadem qua vergit ad mare, plani-
 ciem eius crebris distinguentibus riuis: Pyra-
 mus & Cydnus inclyti amnes fluunt. Cydnus 8
 non spatio aquarum, sed liquore memorabilis:
 quippe leni tractu e fontibus labens, puro solo
 excipitur. nec torrentes incurrunt, qui placide
 manantis alueum turbent. Itaque incorruptus, 9
 idemque frigidissimus, vbique multa riparum
 amoenitate inumbratus, vbique fontibus suis
 similis in mare euadit. Multa in ea regione 10
 monumenta, vulgata carminibus, vetustas exede-
 rat. Monstrabantur vrbium sedes, Lyrnesi &
 Thebes Typhonis quoque, specus, & Corycium

7. *asperi tres aditus*] Primus a septentrione ex
 Cappadocia per *Cilicias pylas*, de quibus num. 2.
 actum fuit: secundus per *Amani pylas*, ex Syriae supe-
 rioribus partibus, vbi in Armeniam itur: tertius per
Syriae portas ad sinum Issicum, quibus ex Antiochene
 aditur. C. *Pyramus*] e Cataonia in Ciliciam de-
 latus vrbem Mallon praeterfuit. *Infra cap. 7. n. 5. C.*
10. exederat] *corruperat. S. Lyrnesi & The-*
bes] Error auctoris, quem ex Periegeta Dionysio hau-
 sit. Non enim in Cilicia hae vrbes, sed in Pamphilia
 fuerant: neque hae ipsae, verum matres earum in
 Troiano, aut Lesbo insulae opposito agro, videntur,
 poetarum, Homeri praesertim, carminibus vulgatae.
 Vid. *Strab. lib. XIII.* His autem ab Achille deletis,
 profugi incolae in Pamphilia vrbes cognomines condi-
 disse dicuntur. *Idem Lib. XIV. add. Salmas. Exerc.*
Plin. p. 775. C. Typhonis specus] Fabulam

nemus,

nemus, vbi crocum gignitur: ceteraque in quibus nihil praeter famam durauerat. Alexander fauces iugi; quae *Pylae* appellantur, intrauit. Contemplatus locorum situs, non alias magis dicitur admiratus esse felicitatem suam, obrui potuisse vel saxis confitebatur; *si fuissent, qui*
 12 *in subeuntes propellerent.* Iter vix quaternos capiebat armatos: dorsum montis imminebat viae, non angustae modo, sed plerumque praeruptae, crebris oberrantibus riuus, qui ex radicibus montium manant. Thracas tamen leuiter armatos praecedere iusserat, scrutarique calles, ne occultus hostis in subeuntes erumperet. sagittariorum quoque manus occupauerat iugum; intentos arcus habebant, moniti, non

gigantis Typhonis, Tartari ex terra filii, tradit Hyginus num. CLII. montem & specum describit Mela lib. I. cap. XIII. additque, *aliquando cubile Typhonis fuit.* Solinus cap. LI. repetit, sed errore admisso, quem notat Salmasius p. 777. C. *nemus, vbi crocum gignitur*] In antro pendulae virgulae, quas nemus vocant. Vide Melam c. I. De croco ita Strabo lib. XIV. τὸ Κρόκιον ἄντρον, ἐν ᾧ ἡ ἀρίστη κρόκος φύεται. Martialis lib. III. epig. LXV.

--- de Corycio quae venit aura croco. C.

11. *felicitatem suam*] Plura enim fortuna sibi, quam virtus, in Alexandri gestis vindicauit. C. 12. *capiebat*] De loco eleganter. Sic infra VII. 8. in Scytharum oratione: *orbis te non caperet.* Iustinus XX. extremo: *Dionysium paullo ante non Sicilia capiebat.* C. *radicibus*] ima montium parte. Metaphora ab arboribus desumpta. S. 13. *manus*] copia, agmen, vt apud Nepotem saepissime. S. non

iter

iter ipsos inire, sed proelium. Hoc modo agmen 14
 peruenit ad urbem Tarson, cui tum maxime
 Persae subiiciebant ignem; ne opulentum op-
 pidum hostis inuaderet. At ille Parmenione 15
 ad inhibendum incendium cum expedita manu
 praemisso, postquam barbaros aduentu suorum
 fugatos esse cognouit, urbem a se conseruatam
 intrat.

iter inire, sed proelium] Tacitus XIII. 40. 2. *viae
 pariter & pugnae composuerat exercitum: & nosse*
 III. 8. 23. *itineri simul paratus & proelio.* C. 14.
ad urbem Tarson] Tarsus vibs Ciliciae primaria.
 Ammianus XIV. 25. *Ciliciam, quae Cydno amne ex-
 sultat, Tarsus nobilitat, vrbis perspicabilis.* C.
 Pauli Apostoli patria, Acto. XXI. 39. S. 15.
Parmenione] Quod primam nunc mentionem summi
 ducis superstites libri faciunt, in laudem eius solum
 Curtium aduocasse sufficiat ex VII. 2. 33. *Militiae
 domique clarus vir. Multa sine rege prospere: rex
 sine illo nihil magnae rei gesserat.* C.

CAP. V.

*Cum in Cydnum Alexander abluendi corporis gratia
 intempestiue descendisset, grauisimo morbo
 corripitur Rex ipse.*

MEDIAM Cydnus amnis, de quo paullo
 ante dictum est, interfluit, & tunc aestas
 erat, cuius calor non aliam magis quam Ciliciae

1. *Mediam*] scil. urbem Tarsum S. non
 aliam magis quam Ciliciam] quia sub Tauro sita est.
 Quae enim ad meridiem huic monti per totam Asiam
 stiticiuntur, radiis obiectu montis altissimi reper-
 cussis, congeminant ardorem: quemadmodum frigore
 horrent, quae a septentrione illum respiciunt. Soli-

orata

- oram vapore solis accendit : & diei feruidissimum tempus coeperat. puluere ac sudore simul perfusum regem inuitavit liquor fluminis, vt calidum adhuc corpus ablueret. Itaque veste deposita in conspectu agminis; decorum quoque futurum ratus, si ostendisset suis leui ac parabili cultu corporis se esse contentum; descendit in flumen. vixque ingressi subito horrore artus rigere coeperunt : pallor deinde suffusus est, & totum propemodum corpus vitalis calor reliquit.
- 4 Exspiranti similem ministri manu excipiunt, nec satis compotem mentis in tabernaculum deferunt. Ingens sollicitudo, & paene iam luctus,
- 5 in castris erat. Flentes querebantur *in tanto impetu cursuque rerum, omnis aetatis ac memoriae*

nus cap. LI. de Tauro : *Quantus meridiem videt, sole inaequat : quidquid septentrioni oppositum est, vento tunditur & pruina. C.* 2. *regem inuitavit liquor*] id est, commouit, incitauit. Sic noster etiam VIII. 2. 14. *vbertas terrae aduenas inuitat.* Florus III. 5. 4. *occasio inuitabat.* Plinius VIII. epist. II. *inuitabat precium. C.* liquor] claritas, qua notione iam supra adfuit. S. leui ac parabili cultu] curatione corporis non delicatior, sed vili ac vulgari esse contentum. C. 3. *vixque ingressi*] sc. ipsius Alexandri. Ordo : *artus* (membra ipsius) *vix ingressi* &c. S. 4. *Exspiranti*] subaudi animam h. e. morienti. S. *compotem mentis*] non, vt alias, notat insanum, sed qui debilitate & morbo adeo laborat, vt non possit mente & ratione sua vti. *Wenn man sich nicht besinnen kan, oder nicht weiß, wie einem geschiehet. S.* 5. *in tanto impetu cursuque rerum*] quando res ipsius tam felici impetu curabant. S.

claris-

clarissimum regem, non in acie saltem, non ab hoste deiectum; sed abluentem aqua corpus, ereptum esse & extinctum. Instare Darium, victorem antequam vidisset hostem, sibi easdem terras, quas victores peragrassent, repetendas. omnia aut ipsos, aut hostes populos. per vastas solitudines, etiam si nemo insequi velit, euntes, fame atque inopia debellari posse. Quem signum datorum fugientibus? quem ausurum Alexandro succedere? Iam ut ad Hellespontum fuga penetrarent; classem, qua transeant, quem praeparaturum? Rursus in ipsum regem misericordia versa; illum florem iuventutis, illam vim animi, eundem regem & commilitonem, diuelli a se & abripi, immemores sui querebantur. Inter haec liberius meare spiritus coeperat: adleuabat rex oculos: & paulatim redeunte animo circumstantes amicos agnouerat. Iaxataque vis morbi ob hoc solum videbatur, quia magnitudinem mali sentiebat. Animum autem aegritudo corporis vrgebat; quippe Darium quinto die in Ciliciam fore nunciabatur. Vincitum ergo se

6. instare] ipsis imminere, prope esse. S. populatos] subaudi esse. S. 7. ausurum succedere] ad perficiendas res, quae ille inchoauerat? C. classem quem praeparaturum] quia classem, quam in Caria ageret, rex dimiserat. Supplem. lib II. 7. C. 8. immemores sui] non perpendebant aut cogitabant, quid agerent. S. 9. spiritus] halitus regis Alexandri. S. 10. in Ciliciam fore] Eleganter quarto casu in Ciliciam, Nam etiam Cicero esse in potestatem praedonum; pro Leg. Manil. cap.

tradi, & tantam victoriam eripi sibi e manibus; obscuraque & ignobili morte in tabernaculo suo
 I 1 extingui se querebatur. Admissisque amicis pariter & medicis, in quo me, inquit, articulo rerum mearum fortuna deprehenderit, cernitis. Strepitum hostilium armorum exaudire mihi videor, & qui vltro intuli bellum, iam prouocor.
 I 2 Darius ergo quum tam superbas litteras scriberet, fortunam meam in consilio habuit: sed nequidquam,
 I 3 si mihi arbitrio meo curari licet. Lenta remedia & segnes medicos non expetunt tempora mea, vel mori strenue, quam tarde conualescere mihi melius est. Proinde, si quid opis, si quid artis in medicis est; sciant, me non tam mortis,
 I 4 quam belli remedium quaerere. Ingentem omnibus incusserat curam tam praecipuus temeritas eius, ergo pro se quisque precari coepere; ne festinatione periculum auget, sed esset in potestate
 I 5 medentium. in experta remedia haud iniuria ipsis esse suspecta, quum ad perniciem eius etiam

XII. dixit, & Plautus Amphitr. actu I. sc. I. v. 25. fuit in mentem, vtrumque defendente Gellio lib. I. cap VII. C. II. articulo rerum mearum] statu, conditione rerum. Sic in ipso articulo temporis, Cicero pro Quinctio cap. V. dixit. C. fortunam meam in consilio habuit] praefagit hunc casum meum, quasi cum fortuna mea. scripturus tam superbe de me ad praefectos suos, consultasset. C. nequidquam] frustra. Supra c. II. II. S. 13. tempora mea] praesens rerum mearum status. C. 14. esset in potestate medentium] permetteret se medicis, eorumque sequeretur consilia. C. 15. haud iniuria] non sine causa. S.

a lato

*a latere ipsius pecunia sollicitaret hostis (quippe Darius mille talenta interfectori Alexandri daturum se pronuciari iusserat) Itaque ne au- 16
surum quidem quemquam arbitrabantur experi-
riri remedium, quod propter nouitatem posset esse
suspectum.*

*a latere ipsius] eos, qui proximi, & ad latus regi
essent, sicut seruus a pedibus dicitur. C. 16. arbi-
trabantur] Ita Erasmus, Bruno, Tellierus, Pitiscus:
alii arbitrabatur, nisi utrumque glossema est, quod
etiam Freinshemio visum fuit. Nam expuncto verbo
fuit oratio rotundius. C.*

CAP. VI

*Rex a fidei sapientique medico Philippo, cui a toto
exercitu ingentes gratiae habentur, pristinas
valetudini mox restituitur.*

ERAT inter nobiles medicos e Macedonia
regem sequutus Philippus, natione Acarnan, fidus admodum regi; puero comes & custos
salutis datus, non ut regem modo, sed etiam ut
alumnum, eximia caritate diligebat. Is non
praeceps se, sed strenuum remedium adferre,
tantamque vim morbi potione medicata leua-

*1. Acarnan] ex Acarnania Epiri regione ortus. S.
puero] Alexandro puero adhuc existenti. S. cu-
stos salutis] id est sanitatis: siue qui valetudines ejus
regeret, ut Tacitus loquitur VI. 30. 3. C. ut
alumnum] a se educatum. nam & hunc cum pueritiae
rektoribus coniectura IV. lib. I numerauimus. C.*

- turum esse promisit. Nulli promissum eius placebat, praeter ipsum, cuius periculo pollicebatur.
- 3 Omnia quippe facilius, quam moram, perpeti poterat: arma & acies in oculis erant; & victoriam in eo positam esse arbitrabatur, si tantum ante signa stare potuisset: id ipsum, quod post diem tertium medicamentum sumpturus esset (ita enim medicus praedixerat) aegre ferens.
- 4 Inter haec a Parmenione; fidissimo purpuratorum, litteras accipit, quibus ei denunciabat, *ne salutem suam Philippo committeret. mille talentis a Dario, & spe nuptiarum sororis eius esse corruptum.* Ingentem animo sollicitudinem litterae incusserant; & quidquid in utramque partem aut metus aut spes subiecerat, secreta aestimatione pensabat. *Bibere perseverem? Ut, si venenum datum fuerit, ne immerito quidem, quidquid acciderit, evenisse videatur? Damnem*

2. ipsum, cuius etc.] Alexandrum. S. 3. Omnia facilius, quam moram] Odit moras ingenii vigor, qualis in heroibus inest. C. 4. purpuratorum] a Persis ad Graecos translata notio, potentem ministrum & magnis rebus praefectum significans. Adde supra cap. II. adnotata. C. litteras accipit] ex Cappodocia, ubi reliquus fuerat Parmenio. *Insin. XII, 8.* Quod vero Seneca de Ira II. 23. matris, non Parmenionis, epistolam vocat, contra Arriani. Plutarchi, Valerii, & nostri fidem, videtur Alexandri Lyncestae crimen, ab Olympiade per literas proditum (de quo in coniectatoriis supplementis lib. II. num. VIII. praediximus) cum hac corrupti medici suspicionem confundere. C. 5. animo] Alexandri scil. subiecerat] proposuerat. S.

medici

*medici fidem? in tabernaculo ergo me opprimi
 patiar? At satius est alieno me mori scelere, quam
 metu meo. Diu animo in diuersa versato, nulli, 7
 quid scriptum esset, enunciat; epistolamque,
 sigillo anuli sui impressam, puluino, cui incum-
 bebat, subiecit. Inter has cogitationes biduo 8
 absumpto, inluxit a medico destinatus dies, &
 ille cum poculo, in quo medicamentum diluerat,
 intrauit. Quo viso Alexander leuato corpore 9
 in cubitum, epistolam, a Parmenione missam,
 sinistra manu tenens, accipit poculum, & hau-
 rit interritus; tum epistolam Philippum legere
 iubet: nec a vultu legentis mouit oculos, ratus,
 aliquas conscientiae notas in ipso ore posse de-
 prehendere. Ille, epistola perfecta, plus in-10
 dignationis quam pauoris ostendit: proiectis-
 que amiculo & litteris ante lectum; Rex, inquit,
*semper quidem spiritus meus ex te pependit, sed
 nunc vere, arbitror, sacro & venerabili ore tra-
 hitur. Crimen paricidii, quod mihi obiectum**

9. notas in ipso ore] indices conscientiae. Hinc
 enim est culpa pallefcere, & crimen vultu prodere. C.
 Os autem pro vultu ponitur, tanquam pars pro to-
 to. S. 10 sacro & venerabili ore trahitur]
 Raderò trahitur est hauritur, bibitùr, haustu medi-
 camenti intellectu, a quo tum regis, tum medici salus
 pendeat. Sed quum exhausto iam medicamento haec
 locutus sit Philippus, praefcrenda est Freinshemii inter-
 pretatio, quam his verbis vberius declarat Michael
 Tellierus: *Semper quidem, o rex, mea salus in tua
 incolumitate posita fuit; nunc vero maxime, ita vt
 isto sacro ore non tibi magis, quam mihi, vitalem
 spiritum trahas. C.*

est, tua salus diluet. seruatus a me vitam tibi
 dederis, oro, quae soque, amissoque metu patere
 medicamentum concipi venis. laxa paulisper
 animum, quem intempestiua sollicitudine amici
 sane fideles, sed moleste seduli turbant. non
 securum modo haec vox, sed etiam laetum regem,
 12 ac plenum bonae spei fecit. Itaque, si dii, in-
 quit, Philippe, tibi permisissent, quo maxime
 modo animum velles experiri meum; alio profecto
 voluisses: sed certiore quam expertus es, ne
 optasses quidem. haec epistola accepta, tamen
 quod dilueras, bibi. Et nunc credo, te non minus
 pro tua fide, quam pro mea salute esse sollici-
 13 tum. Haec eloquutus dextram Philippo offert.
 14 Ceterum, tanta vis medicaminis fuit, vt quae
 sequuta sunt, criminationem Parmenionis adiu-
 uerint. interclusus spiritus arcte meabat. Nec
 Philippus quidquam inexpertum omisit. ille
 fomenta corpori admouit; ille torpentem, nunc
 15 sibi, nunc vini odore excitauit. Atque, vt
 primum mentis compotem esse sensit; modo
 matris, sororumque, modo tantae victoriae

ii. salus] reconvalescentia. S. 14. crimi-
 nationem adiuuerint] quia si extinctus fuisset rex,
 nemo non credidisset, vera scripsisse Parmenionem, C.
 15. mentis compotem] nachdem er wieder zu sich
 selbst gekommen. Vide supra ad c. 5. 4. S. ma-
 tris sororumque] quas impense amabat, earumque
 memoria ad animi serenitatem, quae medicinam adiu-
 uat, facile excitabatur. C.

adpro-

adpropinquantis admonere non destitit. Vt¹⁶
 vero medicamentum se diffudit in venas, & sen-
 sim toto corpore salubritas percipi potuit; primo
 animus vigorem suum, deinde corpus quoque
 expectatione maturius recuperavit: quippe post
 tertium diem, quam in hoc statu fuerat, in con-
 spectum militum venit. Nec auidius ipsum re-¹⁷
 gem, quam Philippum intuebatur exercitus: pro-
 fe quisque dextram eius amplexi grates habebant
 velut praesenti deo. Namque haud facile dictum
 est, praeter ingenitam illi genti erga reges suos
 venerationem, quantum huius quoque regis vel
 admirationi dediti fuerint, vel caritate flagra-
 verint. Iam primum nihil nisi diuina ope ad-¹⁸
 gredi videbatur. nam, quum esset praesto vbi que

16. Vt] postquam, quod semel monemus, ne id
 in posterum saepius facere necesse sit. S. 17. ve-
 lut praesenti deo] Puta Aesculapio, aut alii huius
 generis reperiendi medicinae, quos posteritas deorum
 loco coluit. Quid? quod superstites etiam tanquam
 deo simillimos venerabantur, sicut Machaon apud
 Homerum Iliad. Δ v. 212. dicitur ἰσθδεις φῶς. C.
 ingenitam erga reges venerationem] Idem noster V.
 10. 2. in illis gentibus regum eximia maiestas est,
 barbaras gentes intelligens, de quibus etiam Cicero
 pro lege Man. cap. IX. regale, inquit, iis nomen
 magnum & sanctum esse videtur, nam, quod Hesi-
 odus canit Theogon. v. 96.

ἐκ δὲ Διδς βασιδης. C.

18. temeritas in gloriam cesserat] Infra IV. 9. 23.
 Audaciae, qua maxime viguit, ratio minus potest,
 quia nunquam in discrimen venit, an temere fe-
 cisset. C.

19 fortuna, temeritas in gloriam cesserat. *Ætas* quoque vix tantis matura rebus, sed abunde sufficiens, omnia etiam eius opera honestabat. Et quae leviora haberi solent, plerumque in re militari gratiora vulgo sunt: exercitatio corporis inter ipsos; cultus habitusque paullulum a privato abhorrens; militaris vigor: queis ille vel ingenii dotibus, vel animi artibus, vt pariter carus ac venerandus esset, effecerat.

19. *ætas honestabat*] quae vel senis satis magna fuissent facinora, maioris aestimabantur in iuvene. C.

CAP. VII.

Vegetior factus, Darium adgredi cogitat, Sisinemque Persarum imprudentia delinquentem, occidi iubet.

1 **A**T Darius, nuntio de aduersa valetudine accepto, celeritate, quantam capere tam graue agmen poterat, ad Euphratem contendit: iunctoque eo pontibus, quinque tamen diebus traiecit exercitum, Ciliciam occupare festinans.

1. *iuncto Euphrate pontibus*] iuxta *Thapsacum*, Syriae urbem, quia fugiens ex proelio ibi riuus flumen traiecit, *Arian lib. II. p. 116.* & olim Cyrus minor ibidem traiecerat, quam exercitum aduersus fratrem duceret. *Xenoph. Expedit. lib. I. Diod. Sicul. XIV. 22. C.* tamen] Ostendit haec particula, totam aliquam constructionem ab auctore esse amissam, quam hoc modo supplemus: *Licet magnus esset Darii exercitus, quinque tamen diebus traiecit. S.*

Iamque

Iamque Alexander viribus corporis receptis, ad 2
 urbem Solos pervenerat : cuius potitus, ducentis
 talentis nomine multae exactis, arci praesidium
 militum impofuit. Vota deinde pro falute fu- 3
 fcepta per ludum atque ocium reddens, oftendit,
 quanta fiducia barbaros sperneret. Æſculapio 4
 & Mineruae ludos celebravit. Spectanti nun-
 cius laetus adfertur ex Halicarnaffo ; *Persas acie*

2. *ad urbem Solos*] Ex Tarfo primo die *Anchi-*
alum peruenit, ad cuius moenia ſepulcrum Sardanapali
 exſtabat (nam conditum ab hoc rege oppidum fere-
 bant) cum famoſa epigraphe : *Anchialo demum*
Solos perrexit Mineruae ibi & Æſculapio ſacrificaturus
Arrian, lib. II. Soloe autem ſive Sole ciuitas illa ſunt,
 quae ob ſermonis indiligentiam *ſoloeciſmo* nomen de-
 dit, poſtea *Pompeiopolis* a Pompeio piratarum victore
 appellata. C. *cuius potitus*] *Potiri* cum geni-
 tivo. Vide ad Nepotem 17. 2. 1. S. 3. *Vota pro*
ſalute ſufcepta] Ludos diis, rex, & ſine dubio etiam
 milites vouerant, ſi ille ſanitati redditus fuerit. C.
 4. *Æſculapio & Mineruae*] diis ſoteribus Æſculapio,
 vt medicorum deo : Mineruae, vt pote quam in primis
 Alexander colebat, vt paſſim apud Curtium & Arri-
 anum exſtat. C. *ludos celebravit*] Paganorum
 ea ſuperſtitio fuit, vt nihil gratius eſſe diis exiſtimarent,
 quam ludicrorum certamina, quibus tum mala auer-
 runcari, tum vota liberationis perſolui credebant.
 Hinc *ludi ſcenici coeleſtis irae placamina inſtituti*
dicuntur, Liv. VII, 2. & *theatra excogitata cultus*
deorum, & *hominum delectationis cauſa*, Valer.
 Max. II. 4. 1. C. 4. *Spectanti*] ludos ſubaudi. S.
Halicarnaffo] vrbs Cariae maritima, vnde Herodotus
 & Dionyſius, Hiſtorici celeberrimi, orti fuerant. S.
Persas acie a ſuis ſuperatos] orontobatem Perſicum
 ducem ab Alexandri ducibus Ptolemaeo & Afandro.
Arrian, lib. II. p. 92. C.

a suis esse superatos : Myndios quoque, & Caunios, & pleraque tractus eius suae facta ditionis.

5 Igitur edito spectaculo ludico, castrisque motis, & Pyramo amne ponte iuncto, ad urbem Mallon peruenit : inde alteris castris ad oppidum Castabalum. Ibi Parmenio regi occurrit, quem praemiserat ad explorandum iter saltus, per quem ad

6 urbem, *Isson* nomine, penetrandum erat. Atque ille angustiis eius occupatis, & praesidio modico relicto, *Isson* quoque desertam a barbaris cepit. Inde progressus, deturbatis, qui interiora montium obsidebant, praesidiis cuncta firmavit : occupatoque itinere, sicut paullo ante dictum est, idem & auctor, & nuncius venit. *Isson* inde rex copias admouit : ubi consilio habito, *Strumne*

Myndios & Caunios] Myndus & Caunus Cariae oppida, hoc ad Rhodium mare ; illud prope Halicarnassum situm, & frustra ab Alexandro, ad maiora tum festinanti, oppugnatum. *Arrian. lib. I. pag. 60. C.*

pleraque tractus eius] Idem historicus praeter ista oppida etiam *Tberam, Callipolin & Triopium* memorat, nec non ipsam *arcem Halicarnassae*, adhuc ab *Orontobate* defensam. *C.*

5. *Mallon, (castabulum)* Ciliciae oppida sunt, qua ad Syriam & Amanum montem vergit. *Mallon* Pyramus praeterfluit. *C.*

6. *Parmenio occurrit*] Quum aegrotaret rex, *Parmenio* in Cappadocia erat. *Ex de rebus, post haec, rex illum ad praeoccupandas Syriae portas misit, vnde nunc recurrit. Arrian. lib. II. p. 90. C.*

saltus] silvae, a qua tamen differt, quod silua densior est, saltus rariores habet arbores. *Isidorus Orig. 17. 6. S.*

urbem Isson nomine] *Issus* vltimum fere Ciliciae aduersus Syriam oppidum vnde *sinus Issicus*, & quod iam scribetur, *proesium Issicum* denominatur. *C.*

Ultra progrediendum foret ; an ibi operiendi essent milites noui , quos ex Macedonia aduentare constabat : Parmenio non alium locum proelio aptiorem esse censebat. quippe illic vtriusque 9 regis copias numero futuras pares, quum angustiae multitudinem non caperent. planitiem ipsis camposque esse vitandos, vbi circumiri vbi accipiti acie opprimi possent. Timere, ne non virtute hostium, sed lassitudine sua vincerentur. Persas recentes subinde successuros, si laxius stare potuissent. Facile ratio tam salubris consilii accepta 10 est. itaque inter angustias saltus hostem opperiri statuit. Erat in exercitu regis Sisines Perfes : 11 quondam a praetore Aegypti missus ad Philippum, donisque & omni honore cultus ; exilium patria sede mutauerat : sequutus deinde in Asiam Alexandrum, inter fideles socios habebatur. Huic epistolam Cretenis miles, ob signatam, 12 annulo, cuius signum haud sane notum erat, tradidit. Nabarzanes praetor Darii miserat eam, hortabaturque Sisinem ; vt dignum aliquid notabilitate, ac moribus suis ederet ; magno id ei

9. *planitiem camposque vitandos*] Contra numerosiorem hostem angustiae aptae sunt proeliis, ne circumiri pauciores possint. Id naualibus etiam pugnis feliciter obseruari, Themistocles ad Artemisium & Salaminem exemplo docuit. C. 12. *Cretenis miles*] ad fallendum & mentiendum, ex gentis ingenio aptus. C. *Nabarzanes praetor*] post proditor Darii cum Besso factus. vide librum V. C. *ac moribus suis*] *Quidam maioribus legunt, nec male. Plures tamen moribus habent, intellige, generosis & audacibus, C.*

- 13 *apud regem honori fore.* Has litteras Sifines, utpote innoxius, ad Alexandrum saepe deferre tentauit: sed quum tot curis apparatuque belli regem videret vrgeri; aptius subinde tempus exspectans, suspicionem initi scelesti consilii
- 14 praebuit. Namque epistola, priusquam ei redderetur, in manus Alexandri peruenerat, lectamque eam, ignoti annuli sigillo impresso, Sifini dari iusserat, ad aestimandam fidem barbari.
- 15 *Qui* quia per complures dies non adierat regem, scelesto consilio eam visus est suppressisse, & in agmine a Cretensisibus, haud dubie iussu regis, occisus est.

14. *aestimandam] probandam. S. barbari] Sifinis, per antonomasian adpellatiui pro proprio. S.*

CAP. VIII.

Darii ante pugnam consilia: tum exercitus Persicæ conseruatio, proximæ interuentionis praesagium.

- 1 **I**AM Graeci milites, quos Thymodes a Pharnabazo acceperat; praecipua spes & prope modum vnica, ad Darium peruenerant. Hi magnopere suadebant, *ut retro abiret, spatiososque Mesopotamiae campos repeteret. Si id consilium damnaret; at ille diuideret saltem*

1. *praecipua spes] in quos Darius praecipuam spem suam posuerat. S.* 2. *Mesopotamiae campos] Montosa Syria, magis Cilicia: at trans Euphratem ad Babyloniam usque spatiosissimi campi patent. C. damnaret] minus adprobaret, S.*

copias

copias innumerabiles, neu sub vnum fortunae
 ietum totas vires regni cadere pateretur. Minus 3
 hoc consilium regi, quam purpuratis eius displice-
 bat: ancipitem fidem, & mercede venalem
 proditionem imminere; & diuidi non ob aliud
 copias velle, quam vt ipsi in diuersa digressi, si
 quid commissum esset, traderent Alexandro. Nihil 4
 tutius esse, quam circumdatos eos exercitu toto
 obrui telis, documentum non inultae perfidiae
 futuros. At Darius, vt erat sanctus & mitis, 5
 se vero tantum facinus negat esse facturum, vt
 suam sequutos fidem, suos milites iubeat truci-
 dari. Quem deinde amplius nationum exterarum
 salutem suam crediturum sibi, si tot militum
 sanguine imbuisset manus? Neminem stolidum 6
 consilium capite luere debere. defuturos enim,
 qui suaderent, si suasisse periculum esset. De-
 nique, ipsos quotidie ad se vocari in consilium,
 variasque sententias dicere; nec tamen melioris

neu] pro neue vel neque. S. 5. sanctus]
 aequus, placidus, bonus, quod etiam adparet ex adiecto
 mitis. S. 6. Neminem stolidum consilium &c.]
 Thucydides lib. III. p. 202. τὴν σάφρονα πόλιν, τῶ
 τε πλείστα ἔν ββαλεύοντι μὴ προσιδέσθαι τιμὴν, ἀλλὰ μὴδ'
 ἰλασθῆν τῆς ὑπαρχέουσας, καὶ τὸν μὴ τυχόντα γνώμης, ἢ χ
 ἔπος ζημιῶν, ἀλλὰ μὴδ' ἀτιμάζειν. hoc est, bene morata
 ciuitas nullo eum honore adscit, qui bene consuluit,
 sed nec honorem, quem ille habet, imminuit: pariter
 eum, qui in consulendo inferior fuit, nullo dedecore,
 ne dum supplicio prosequitur. C.

7 fidei haberi, qui prudentius suaserint. Itaque Graecis nunciari iubet; ipsum quidem benevolentiae illorum gratias agere; ceterum, si retro ire pergat, haud dubie regnum hostibus traditurum. fama bella stare, & eum, qui recedat, 8 fugere credi. Trabendi vero belli vix ullam esse rationem. tantae enim multitudini, utique quum iam hiems instaret, in regione vasta, & inuicem a suis atque hoste vexata, non suffectura 9 alimenta. Ne diuidi quidem copias posse seruatō more maiorum, vniuersas vires semper discrimini 10 bellorum obtulerint. Et hercule terribilem antea regem, & absentia sua ad vanam fiduciam elatum, posteaquam aduentare se senserit, cautum pro temerario factum, delituisse inter angustias saltus ritu ignobilium ferarum, quae strepitu praetereuntium audito, silvarum latebris se occulte- 11 runt. Iam etiam valetudinis simulatione frustrari suos milites. sed non amplius ipsum esse

7. fama bella stare] Seneca Epist. XII. fama conficere bellum solet, & Liuius XXVII. 45. ait famam bellum conficere, & parua momenta in spem metumque impellere animos, & Tacitus XIII. 8. fama in nouis coeptis validissima est. C. 8. Trabendi belli] Trabere bellum est moram in gerendo quaerere, proelia, & quidquid illud conficere potest, de industria declinare. Liuius III. 62. Et trahi bellum salubriter, & mature perfici potest. Idem V. 10. Vnum bellum, annum iam tertium, trahi. & consulto male geri: ut diutius gerant. Ciceroni Epist. VII. 3. & Nepoti V. II. 8. idem est ducere bellum. C. 10. regem] Alexandrum nempe. S. II. valetudinem] morbum, S. frustrari] sc. Alexandrum regem, passim

passurum detrectare certamen, in illo specu, in quem pauidi recessissent, oppressurum esse cunctantes. Haec magnificentius iactata, quam verius. 12 Ceterum, pecunia omni rebusque preciosissimis Damascum Syriae cum modico praesidio militum missis, reliquas copias in Ciliciam duxit, insequentibus more patrio agmea coniuge & matre. virgines quoque cum paruo filio comitabantur patrem. Forte eadem nocte & Alexander ad fauces, quibus Syria aditur, & Darius ad eum locum, quem *Amanicas Pylas* vocant, peruenit. Nec dubitauere Persae, quin Isthm¹⁴ relicta, quam ceperant, Macedones fugerent. Nam etiam faucii quidam & inualidi, qui agmen non poterant persequi, excepti erant. Quos¹⁵ omnes, instinctu purpuratorum, barbara feritate saeuientium, praecisis adustisque manibus circumduci, vt copias suas noscerent; satisque omnibus spectatis, nunciare quae vidissent regi

quod ἀπὸ τοῦ εἰρησίου repetendum. S. 12. magnificentius, quam verius] Sic premuntur metus, confirmandi militis causa. Seneca ad Polyb. c. XXIV. Quod duces magni faciunt, rebus adfectis, vt hilaritatem de industria simulent, & aduersas res adumbrata laetitia abscondant, ne militum animi, si fractam ducis sui mentem viderint, & ipsi collabuntur: id nunc tibi quoque faciendum est. C. 13. ad fauces -- & locum quem pylas] Supra cap. IV. tres huiusmodi angustias indicauimus. Per aquilonales pylas ex Cappadocia Ciliciam Alexander intrauerat: per fauces, quibus Syria aditur, hoc est per Syriae portas, ibant, redibant Macedones: Persae paullo superius per *Amanicas* aut prope eas irruebant. C.

- 16 suo, iussit. Motis ergo castris, superat Pinarum
 amnem, in tergis, vt credebat, fugientium haesu-
 rus. At illi, quorum amputauerat manus, ad
 castra Macedonum penetrant, Darium quam
 maximo cursu posset, sequi nunciantes: Vix
 17 fides habebatur. itaque speculatores in mari-
 timas regiones praemissos explorare iubet, ipse ne
 adesset, an praefectorum aliquis speciem prae-
 18 buisset vniuersi venientis exercitus. Sed quum
 speculatores reuertentur, procul ingens multi-
 tudo conspecta est. ignes deinde totis campis
 conlucere coeperunt; omniaque velut conti-
 nenti incendio ardere visa: quum incondita
 multitudo, maxime propter iumenta, laxius
 19 tenderet. Itaque eo ipso loco metari suos castra
 iusserat; laetus quod omni expetiuerat voto, in
 illis potissimum angustiis decernendum esse.
 20 Ceterum, vt solet fieri, quum vltimi discriminis
 tempus aduentat; in sollicitudinem versa fidu-
 cia est. Illam ipsam fortunam qua adspirante
 res tam prospere gesserat, verebatur; nec iniuria,

16. Pinarum] Ciliciae fluium, qui in tabula
 Graeciae & Asiae minoris falso scribitur *Pyramus*. S.
 17. Iubet] subaudi Rex Alexander. S. 18. con-
 tinenti] continuo in una serie. S. 19. tenderet]
 tentoria figeret, castra poneret. Salustius Jug. c. 51.
 neque illis castra esse, neque munimentum ullum, quo
 sedentes tenderent. S. 20. fortunam vereba-
 zur] propter inconstantiam eius & mutabilitatem.
 Sic Caesar ante proelium Mundense fuit moestior non
 ex more, siue respectu fragilitatis humanae, siue
 nimiam prosperorum suspectam habens continua-

ex his quae tribuisset sibi, quam mutabilis esset, reputabat. *enam superesse noctem, quae tanti discriminis moraretur euentum.* rursus occur-²¹ rebat, maiora periculis praemia; *Et sicut dubium esset, an vinceret; ita illud vixque certum esse, honeste, Et cum magna laude moriturum.* Itaque²² corpora milites curare iussit, ac deinde tertia vigilia instructos & armatos esse. ipse in iugum editi montis adscendit, multisque continentibus facibus patrio more sacrificium diis praesidibus loci fecit. Iamque tertium sicut praeceptum²³ erat, signum tuba miles acceperat. itineri simul paratus & proelio: strenueque iussi procedere, oriente luce peruenerunt ad angustias, quas occupare decreuerant. Darium triginta inde²⁴ stadia abesse praemissi indicabant. tunc consistere agmen iubet; armisque ipse sumptis, aciem ordinabat. Darío aduentum hostium pauidi agrestes nunciauerunt, vix credenti occur-

zationem; vel eadem timens, postquam idem esse coeperat, quod Pompeius. FLORES IV. 2. 79. C. ^{22.} *corpora curare] cibo potuque rescere.* LIIUS III 2. de militibus ante proelium: *Tum quidem corpora cibo somnoque curant.* C. *tertia vigilia] in quatuor enim partes nox veteribus erat distributa, quas ex vigillum officio vigilias appellabant. Exempla sunt obuia etiam apud nostrum crebra.* vide IV. 5. 19. IV. 10. 8. &c. C. *diis praesidibus loci] loci genii, vt Virgilius vocat V. 95 VII. 136. Suum enim cuique loco numen praesidere credebatur.* C. ^{23.} *tertium signum] quod initium tertiae vigiliae significaret.* C. ^{24.} *vix credenti] Nunciauerunt rustici, eos etiam, quos vt fugientes sequebatur, Darío vix rere*

- 25 rere etiam, quos vt fugientes fequebatur. Ergo non mediocris omnium animos formido incesferat: quippe itineri quam proelio aptiores erant, raptimque arma capiebant. sed ipfa feftinatio difcurrentium, fuosque ad arma vocantium,
- 26 maiorem metum incuffit. Alii in iugum montis euaferrant; vt hoftium agmen inde profpicerent: equos plerique fraenabant. difcors exercitus, nec ad unum intentus imperium, vario tumultu
- 27 cuncta turbauerat. Darius initio montis iugum cum parte copiarum occupare ftatuit, & a fronte, & a tergo circumiturus hoftem: a mari quoque, quo dextrum eius cornu tegebatur, alios obie-
- 28 cturus, vt vndique vrgeret. Praeter haec viginti millia praemiffa cum fagittariorum manu, Pinarum amnem, qui duo agmina interfuebat, transfire, & obicere feffe Macedonum copiis iufferat; fi id praefrare non poffent, retrocedere in montes, & occulte circumire vltimos hoftium.
- 29 Ceterum, deftinata falubriter OMNI ratione

credenti occurrere. S. 26. *euaferrant] adscenderant. S.* 27. *alios] fc. milites. S.* *vrgeret] fubaudi hoftes. S.* 28. *transfire & obicere feffe] quo fecurius cis amnem Darius aciem ordinare poffet. Tranfierunt etiam, poft vero reuocati funt ab ipfo Dario. Arrian. pag. 100. 102. C.* 29. *deftinata falubriter] ea, quae falubriter excogitata erant. S.* *ratione potentior fortuna] Nihil enim confilia eius valent, in quem fortunae faeuire fatali forte contigit. Caffius ac Brutus proftragaturi Antonium & Octauianum fuiffent, fi par virtuti confiliiſque fortuna adfuiffet. Florus IV, 7. xi. C.*

potentior fortuna discussit: quippe alii prae metu imperitum exsequi non audebant; alii frustra exsequebantur: quia, VBI partes labant, summa 3 o turbatur.

30. *summa*] totum corpus. S.

CAP. IX.

Vtriusque exercitus membra praecipua & collatio.

ACIES autem hoc modo stetit. Nabarzanes 1
equitatu dextrum cornu tuebatur; additis
funditorum, sagittariorumque viginti fere mil- 2
libus. In eodem Thymodes erat Graecis pedi-
tibus mercede conductis, triginta millibus prae-
positus. hoc erat haud dubium robur exerci-
tus, par Macedonicae phalangi acies. In laeuo 3
cornu Aristomedes Thessalus viginti millia
barbarorum peditum habebat. In subsidiis
pugnacissimas locauerat gentes. Ipsum regem 4
in eodem cornu dimicaturum tria millia dele-
ctorum equitum, adueta corporis custodiae; &
pedestris acies quadraginta millia sequebantur.
Hyr cani deinde Medique equites: his proximi 5

3. *In subsidiis pugnacissimas*] Festus, vel Paulus
Diaconus: SVBSIDIUM, quod postpositum est ad
subueniendum laborantibus. Recte autem pugna-
cissimi ibi locabantur. Vegetius III. 17. *Leuissimos*
de peditibus & equitibus habeat dux post aciem prae-
paratos, ut sicubi hostis vehementius insillit; ne
rumpatur acies, prouolent subito & suppleant
loca. C.

cete-

ceterarum gentium, dextra laeuaque dispositi. Hoc agmen, sicut dictum est, instructum, sex millia iaculatorum funditorumque antecede-
 6 bant. Quidquid in illis angustiis adiri poterat, impleuerant copiae; cornuaque hinc a iugo, illinc a mari stabant: vxorem matremque regis, & alium feminarum gregem in medium agmen
 7 acceperant. Alexander phalangem, qua nihil apud Macedonas validius erat, in fronte constituit. dextrum cornu Nicanor Parmenionis filius tuebatur: huic proximi stabant Coenos, & Perdicas, & Meleager, & Ptolemaeus, &
 8 Amyntas sui quisque agminis duces. in laeuo, quod ad mare pertinebat, Craterus & Parmenio erant; sed Craterus Parmenioni parere iussus. Equites ab utroque cornu locati: dextrum Macedones Thessialis adiunctis; laeuum Peloponnenses tuebantur. Ante hanc aciem posuerat funditorum manum, sagittariis admixtis. Thraces quoque & Cretenses ante agmen ibant,
 10 & ipsi leuiter armati. At iis, qui praemissi a

6. cornua] extremitates exercitus. S. a iugo] iugo montium cum Tauro cohaerentium & Amano, ut latitudo aciei a monte ad mare significetur. C.
 7. phalangem qua nihil validius] Appianus Bello Syr. de Antiochi apud Sipyllum acie: τὸ κρᾶτιστον ἢ φάλαγγξ ἢ Μακεδόνων, ἄνδρες ἐξακισχίλιοι καὶ μύριοι, ἔς τὸν Ἀλεξάνδρου καὶ Φιλίππου πρότερον, ἐπιχοσμέμενοι. Robur erat phalanx XVI. millia, Macedonum, ornata ex instituto Alexandri & Philippi. C. 10. ii] qui montes occupauerant. S.

Dario

Dario iugum montis infederant, Agrianos opposuit ex Graecia nuper aduectos. Parmenioni autem praeceperat, *ut quantum posset, agmen ad mare extenderet; quo longius abesset montibus, quos occupauerant barbari.* At illi neque ob-
 stare venientibus, nec circumire praetergressos ausi; funditorum maxime ad spectu profugerant territi: eaque res tutum Alexandro agminis latus, quod ne superne incessetur timuerat, praestitit. Triginta & duo armatorum ordines
 ibant; neque enim latius extendi aciem patiebantur angustiae. paullatim deinde se laxare sinus montium, & maius spatium aperire coeperant; ita ut non pedes solum pluribus ordinibus incedere, sed etiam a lateribus circumfundi posset equitatus.

Agrianos] Agriani inter Æmum & Rhodopen sui, ex foedere & amicitia Alexandri militiam secuti, optimi milites. Adde lib. I. Supplem. coniecturam XII. C. 11. *superne*] ab iis qui in montibus basant. S. 12. *Triginta & duo ordines*] Hoc institutum etiam posteriores Macedones tenuere. Numerantur autem hi ordines a fronte ad tergum, *ἕς τὸ βῆδος δύο καὶ τριάκοντα ἄνδρες.* Appian. c. l. De numero-
 rum ordine Valla lib. III. Elegant cap. XIV. tradit, minorem ita praeponendum esse, *duo & triginta*, quod quanquam vsitatus est, tamen nec triuales sunt, qui interdum postposuerunt. Seneca Apocolocynt. post principium: *Annus sexagesimus & quartus est, ex quo cum anima luctatur.* C.

CAP. X.

Alexandri oratio ad milites.

- 1 **I**Am in conspectu, sed extra teli iactum vtraque acies erat; quum priores Persae inditum & trucem sustulere clamorem. Redditur & a Macedonibus maior, exercitus impar numero, sed iugis montium vastisque saltibus percussus: quippe semper circumiecta nemora petraeque quantamcumque acceperere vocem,
- 3 multiplicato sono referunt. Alexander ante prima signa ibat, idemtidem manu suos inhibens; ne suspensi, acrius ob nimiam festinationem concitato spiritu, capefferent bellum.
- 4 Cumque agmen obequitaret, varia oratione, ut cuiusque animis aptum erat, milites adloque-

1. *extra teli iactum*] nondum duo isti exercitus telis iactis se invicem contingere poterant. S. 2. *exercitus impar numero*] Clamor Macedonum maior erat, impar quidem clamori Persarum numero exercitus (nam Persarum exercitus multo maior erat) augebatur tamen ex percussione montium. S. 3. *ne suspensi acrius concitato spiritu*] ne propter velociorem cursum vehementius incitato anhelitu ad proelium languidiores accederent. In vitis enim tactici numerant, si vires militis accursu vel itinere ante proelium hauriantur. Vegetius lib. III. cap. XI. *Observetur, ne longo spacio fatigatum militem ad proelium cogas.* C. *Suspensi* ergo h. l. *retenti* vel *impediti* aliquo incommodo. S. 4. *varia oratione*] pro cuiuslibet gentis ingenio & cupiditate. Macedonas gloriae stimulo percellens, Thracas & Illyrios praedarum spe instigans, & sic alios aliter hortabatur. C.

batur.

batur. Macedones, tot bellorum in Europa
 victores, ad subigendam Asiam atque vltima Ori-
 entis, non ipsius magis, quam suo ducto profecti,
 inueteratae virtutis admonebantur. Illos terra-
 rum orbis liberatores, emensosque olim Herculis
 & Liberi patris terminos, non Persis modo, sed
 etiam omnibus gentibus imposituros iugum:
 Macedonum Baetra & Indos fore, minima esse,
 quae nunc intuerentur; sed omnia victoria pa-
 rari. Non praeruptis petris Illyriorum & Thra-
 ciae saxis sterilem laborem fore; spolia totius
 Orientis offerri. Vix gladio futurum opus; to-

S. orbis liberatores] Videri voluit Alexander hanc
 sibi causam gerundi belli constituisse, vt orbem terra-
 rum a Persarum iugo & tyrannide liberaret, ideoque
 se Herculi comparabat, quasi vero non ipse durius
 iugum, quam abstulerat, imposuisset gentibus a Se-
 neca ob id grauiter notatus l. b. I. de Benef. cap. XIII.
 Hercules, inquit, nihil sibi vicit: orbem terrarum
 transiit non concupiscendo, sed vindicando. At hic
 (Alexander) a pueritii latro gentiumque vastator. C.
 Hercules] qui occidentem versus vsque ad extremos,
 & eo tempore adhuc ignotos Hispaniae fines penetra-
 uerat. Vnde duo montes vnus in Africa, alter in
 Europa non procul a Gadibus (vbi hodie Cadix est)
 columnae Herculis dicuntur. S. Liberi patris]
 Bacchi, qui orientem versus proficiscens extremos
 Indos deicit, S. Baetra & Indos] Baetra caput
 Baetriae, opulentissimae prope Indiae fines regi-
 onis, vt pote adhuc intactae bello. Infra V. 9. 5. C.
 6. saxis sterilem] Sicut dicimus victoria fertilis opi-
 bus. ita & noster vocem sterilis cum sexto casu con-
 struxit. S. futurum opus] vix fore, vt opus
 habeant gladio. S.

tam aciem suo pauore fluctuantem & mbonibus
 7 posse propelli. Victor ad haec Atheniensium Phi-
 lippus pater inuocabatur; domitaeque nuper
 Boeotiae, & vrbis in ea nobilissimae ad solum
 dirutae, species repraesentabatur animis. iam
 Granicum amnem; iam tot vrbes, aut expugna-
 tas, aut in fidem acceptas; omniaque, quae
 post tergum erant, strata, & pedibus ipsorum sub-
 8 iecta memorabat. Quum adierat Graecos; ad-
 monebat ab iis gentibus illata Graeciae bella
 Darii prius, deinde Xerxis insolentia, aquam
 ipsam terramque postulantium: Et neque fontium
 9 haustum, nec solitos cibos relinquerent. Dein
 deum templa ruinis & ignibus esse deleta: Vrbes

7. inuocabatur] aduocabatur, memorabatur, vt
 eius exemplum intuiti fortiter capefferent proelium.
 Post paullo cap. XI. num. 25. reginas dominasque veris
 quondam, tunc alienis nominibus inuocantes, id est,
 adpellantes. C. domitae Boeotiae] sc. victor
 Philippus inuocabatur. S. vrbis nobilissimae]
 Thebarum Boeotiae. Vide Supplem. lib. I. num. XIII. C.
 Granicum amnem] Supplem. lib. II. num. V. C.
 8. aquam terramque postulantium] Persae bellum
 illaturi, per facialem legatum aquam & terram hosti-
 um postulabant, quas qui darent, quia sine illis vita
 hominum nulla est, se suamque vitam & omnia victo-
 ris arbitrio permitti profitebantur. Polybio IX. 32.
 dicitur πρεσβευτῆς ὕδατος καὶ γῆς ἀντιβήμενος, quem Lace-
 daemonii puteo immersum terra iniecta obruebant,
 Xerxiue lepido cauillo nunciabant, se dedisse legato
 eius, quod postulauerat. C. 9. Deum templa
 deleta] Strabo lib. XIV. post initium auctor est,
 Xerxem omnia templa praeter Ephesinum incendisse.
 Et Aconius in Cic. de Praet. Urb. Erant, inquit,

eorum expugnatas: foedera humani diuinique iuris violata referebat. Illyrios vero & Thracas, raptò viuere aduetos, aciera hostium auro purpuraque fulgentem intueri iubebat; praedam, non arma gestantem. Irent, & imbellibus feminis aurum viri eriperent. aspera montium suorum iuga, nudosque colles, & perpetuo rigentes gelu, ditibus Persarum campis agrisque mutarent.

Persae & aedium sacrarum & simulacrorum euerfores. Caussam hanc adfert, quia nulla diu in terris templa condenda esse credebant, praesertim quum uni soli, quem venerarentur, vix mundus ipse sufficeret. C. foedera diuini iuris] propter templa incensa & deleta. C. 10 imbellibus feminis] Persis muliebriter exornatis. Supra III. 3. num. 14. & 18. Silius XIV. v. 130.

Femineum credas maribus concurrere vulgum. C. nudos colles] steriles agros in editioribus locis. Calles mauult Freinshemius, quod iam montium iuga praecesserint. Sed nec ineptum vulgare colles, vt minores montes maioribus opponantur. C.

CAP. XI.

Pugna cruenta, in qua 100000. perditum, ac 10000. equitum Persarum occumbunt: reliquis fufis fugatisque.

I AM ad teli iactum peruenerant; quum Persarum equites ferociter in laeuum cornu hostium inuecti sunt. Quippe Darius equestri

1. ad teli iactum] Diodorus de hoc proelio XVII. 33. αι δυναμεις εντας βελος γενοντο. Nec aliter Arrianus lib. II. p. 105. C. Vide supra c. 10. 1. S.

D

proelio

- proelio decernere optabat ; Phalangem Macedonici exercitus robur esse coniectans. iamque etiam dextrum Alexandri cornu circum-
- 2 batur. Quod ubi Macedo conspexit : duabus alis equitum ad iugum montis iussis subsistere, ceteros in medium belli discrimen strenue trans-
- 3 fert. Subductis deinde ex acie Thessalis equitibus, praefectum eorum occulte circumire tergum suorum iubet, Parmenionique coniungi, &
- 4 quod is imperasset, impigre exsequi. iamque ipsi in medium Persarum undique circumfusi egregie se tuebantur; sed conferti, & quasi cohaerentes, tela vibrare non poterant: simul erant emissa, in eosdem concurrentia implicabantur, leuique & vano ictu pauca in hostem, plura in humum innoxia cadebant. ergo coninus pugnam coacti conferere, gladios impigre
- 5 stringunt. Tum vero multum sanguinis fufum est. duae quippe acies ita cohaerebant, ut armis arma pulsarent; mucrones in ora dirigerent. Non timido, non ignauo cessare tum licuit: conlato pede, quasi singuli inter se dimicarent, in eodem vestigio stabant, donec vincendo
- 6 locum sibi facerent. Tum demum ergo promo-

2. Macedo] Alexander. S. 3. Thessalos equites] quos supra ad cap. II. huius libri laudauimus. quae etiam inclinatas iam res fortiter restituunt num. 14. huius cap. XI. C. 4. conferti & quasi cohaerentes] Supra III. 2. num. 13. conferta robora viro- rum. C. simul] pro simul ac. S. innoxia] adeo ut Macedonibus non nocerent, S.

uebant gradum, quum hostem prostrauerant. At illos nouus excipiebat aduersarius fatigatos; nec vulnerati, vt alias solent, acie poterant excedere, quum hostis instare a fronte, a tergo sui vrgerent. Alexander non ducis magis, quam militis munera exsequebatur; opimum decus caeso rege expetens. quippe Darius curru sublimis eminebat; & suis ad se tuendum, & hostibus ad incessendum, ingens incitamentum. Ergo frater eius Oxathres, quum Alexandrum instare ei cerneret, equites, quibus praeerat, ante ipsum currum regis obiecit; armis & robore corporis multum super ceteros eminens; animo vero & pietate in paucissimis. illo utique proelio clarus, alios improuide instantes prostrauit,

7. non ducis magis quam militis] Sallustius de Catilina cap. IX. frenui militis & boni imperatoris officia simul exsequebatur. C. opimum decus] opima spolia, quae dux duci detrahit, vide Liuium IV. 20. De Druso Suetonius in Claudio cap. I. Ex hoste super victorias opima quoque spolia captasse, summoque saepius discrimine duces Germanorum tota acie insectatus. Ita autem his proprium opimorum agnomen est, vt simpliciter etiam opima dicantur apud Plin. Paneg. cap. XVII. Senec. Herc. Fur. v. 48. Flor. II. 17. n. 11. C. 8. frater eius Oxathres] frater regis Darii, Curt. III. 12. 13. ex captiuo postea corporis Alexandri custos, VII. 5. 40. C. animo & pietate] affectum fratrem. Pietas enim in Deum, parentes, patriam, cognatos & horum similes fertur. adde post paullo III. 12. 6. Diuidi etiam possunt, vt animo fortitudo significetur. Erat enim Oxathres κατά τὴν ἀνδρείαν ἐπαινόμενος. Diodor. XVII. 34. C.

alios in fugam auertit. At Macedones, vt circa regem erant, mutua adhortatione firmati, cum ipso in equitum agmen inrumpunt. Tum vero similis ruinae strages erat. Circa currum Darii iacebant nobilissimi duces, ante oculos regis egregia morte defuncti, omnes in ora proni, sicut dimicantes procubuerant, aduerso corpore
 IO vulneribus acceptis. Inter hos Atizyes, & Rheomithres, & Sabaces praetor Ægypti, magnorum exercituum praefecti, noscitantur: circa eos cumulata erat peditum equitumque obscurior turba. Macedonum quoque non quidem multi; sed promptissimi tamen caesi sunt: inter quos Alexandri dextrum femur leuiter mucrone per-
 I I strictum est. Iamque qui Darium vehebant equi, confossi hastis & dolore efferati, iugum quaterere, & regem curru excutere coeperant;

9. omnes in ora proni] sine fugae indicio: quem quisque locum acceperat, eum, amissa anima, corpore tegebat, vt de Catilinariis, quamuis in turpi causa, Sallustius loquitur *cap. ult.* in meliore de Atheniensibus Iustinus IX. 3. 10. C. *aduerso corpore vulneribus]* Haec virtutis decora: vt infamiae, si sine auerso corpore. Sallustius c. 1. *omnes aduersis vulneribus conciderant:* & D. Iugurt. c. 85. *cicatrices aduerso corpore.* Et autem *aduersum*, quod in pectore, sicut *auersum*, quod in tergo habetur. Gellius II. cap. XI. de Siccio Dentato: *pugnasse in hostem dicitur CXX. proeliis: cicatricem auersam nullam, aduersas XLV. tulisse.* Quod etiam aliter efferunt. Florus I. 18. 17. *omnium vulnera in pectore.* Tacitus Histor. III. 84. 5. *cecidere omnes contrariis vulneribus, versis in hostem. C.*

quum

quum ille, veritus, ne viuis veniret in hostium potestatem, desiluit, & in equum, qui ad hoc sequebatur, imponitur: insignibus quoque imperii, ne fugam proderent, indecore abiectis. Tum vero ceteri dissipantur metu; & qua cuique patebat ad fugam via, erumpunt, arma iacientes, quae paullo ante ad tutelam corporum sumpserant: adeo pavor etiam auxilia formidat. In stabat fugientibus eques, a Parmenione missus, & forte in id cornu omnes fuga abstulerat. At in dextro Persae Thessalos equites vehementer urgebant. iamque vna ala ipso impetu proculcata erat: quum Thessali strenue circumactis equis dilapsi, rursus in proelium redeunt; spar-

II. *desiluit, & in equum*] prius in alium currum ascendit, quo in aspretis viarum impedito, in equum desiluit. *Diodor. Sic. c. l. C.* *in equum, qui ad hoc sequebatur*] Equam feminam. ἵππον θήλυον, fuisse, & quidem ex partu recentem, *Ælianus VI. 48. Hist. animal.* auctor est, quod etiam *Plutarchus* de fuga ex proelio apud Arbela commisso confirmat. θήλειαν δὲ νεοτόκου ἵππον περιβὰς ἔφυγεν, equam, inquit, recens enixam conscendens in fugam se effudit, *Vita Alexandr. p. 685.* Causam addit *Ælianus* quia huiuscemodi equa ad pullum relictum properans, velocissime decurrat. *C. insignibus imperii abiectis*] paludamento & armis regis. *Arrianus κἀνδὸν* illud amiculum vocat, etiam scutum ac arcum cum curru reliquisse tradit. *C. 12. qua crigue patebat via*] **QVA** vulgo adverbium est: ubaudi *via*, vel quia haec vox recto casu sequitur, regione; vel his similem. *C. 13. pavor auxilia formidat*] non *formidabat*, vt vulgo legunt, quia gnome est, ad omnium temporum homines pertinens. *Tanaq. Faber lib. I. Epist. LI. C.*

15 fosque & incompósitos victoriae fiducia barba-
 16 ros ingenti caede prosterunt. Equi pariter
 equitesque Persarum serie laminarum graues,
 agmen, quod celeritate maxime constat, aegre
 moliebantur. quippe in circumagendis equis
 17 suis Thessali multos occupauerant. Hac tam
 prospera pugna nunciata; Alexander non ante
 ausus persequi barbaros, vtrimque iam victor
 instare fugientibus coepit. Haud amplius re-
 gem quam mille equites sequebantur, quum
 18 ingens multitudo hostium caderet. sed quis aut
 in victoria, aut in fuga copias numerat? Age-
 bantur ergo a tam paucis pecorum modo; &
 idem metus, qui cogebat fugere, fugientes mora-
 18 batur. At Graeci, qui in Darii partibus stete-
 rant; Amynta duce (praetor hic Alexandri fuit,
 nunc transfuga) abrupti a ceteris, haud sane

15. *serie laminarum graues*] Cataphraeti hi equi-
 tes & clibanarii vocantur, genus militum orientis po-
 pulis, quam aliis, vltatius. Ad Ammianum XVI. 16.
 qui nitorem illorum sic expressit: *Praxitelis manu
 polita crederes simulacra, non viros.* Addit miri-
 fic descriptas circularum ambientium, quocunq;
 artium necessitas postulauerit, iuncturas atque varios
 flexus. C. 17. *Agebantur pecorum modo*] Pe-
 cora cum pelluntur, agi dicimus. Sallustius Iugurth,
 cap. XC. *pecus omne equitibus auxiliariis agendum
 attribuis.* Horatius I, od. II. *Proteus pecus egit.* C.
 18. *haud sane fugientibus similes*] quia seruatis ordi-
 nibus sensim cedentes, Tripolim Phoeniciae tandem
 euasere, vnde nauibus conscensis in Cyprum & Aegy-
 ptum auferunt. *Arrian. lib. II, pag. 116. & noster
 IV. 1. 27. C.*

fugi-

fugientibus similes euaserant. Barbari longe
 diuersam fugam intenderunt: alii, qua rectum
 iter in Persidem ducebat; quidam circumitu
 rupes, saltusque montium occultos petiuere;
 pauci castra Darii. Sed iam illa quoque hostis
 victor intrauerat, omni quidem opulencia ditia.
 Ingens auri argentique pondus, non belli, sed
 luxuriae apparatus, diripuerant milites, quum-
 que plus raperent, passim strata erant itinera vili-
 oribus sarcinis, quas in comparatione meliorum
 auaritia contemserat. Iamque ad feminas per-
 uentum erat; quibus, quo cariora ornamenta
 sunt, violentius trahebantur: nec corporibus
 quidem vis ac libido parcebat. Omnia planctu
 tumultuque, prout cuique fortuna erat, castra
 repleuerant, nec vlla facies mali deerat, quum
 per omnes ordines aetatesque, victoris crude-
 litas ac licentia vagaretur. Tunc vero impo-
 tentis fortunae species conspici potuit: quum

19. *qua*] aduerb. pro *qua via vel per quam vi-*
am. S. 20. *illa*] castra sc. Darii S. non
 belli &c.] per adpositionem: *pondus auri & argen-*
ti, quod non belli sed luxuriae adparatus erat. S.
 21. *corporibus parcebat*] h. e. *feminis a militibus*
puccitia erepta est, per concubitum violentum & illi-
citum. S. 22. *omnia planctu tumultuque*] Non
 alia captis castris facies est, quam expugnataram vrbi-
 um. De his Tacitus Annal. I. 41. *velut in vrbe victa*
facies, gemitusque ac planctus. C. *facies*] *facies*
species, varietas. Tale quid enim haec vox teste
 Gellio 13, 29. aliquando notat. S. 23. *impotentis*
fortunae species] Tunc adparuit, fortunam se plane
 continere non posse, sed se huc & illuc vertere. S.

ii, qui tum Dario tabernaculum exornauerant, omni luxu & opulentia instructum; eadem illa Alexandro, quasi veteri domino referuabant, namque id solum intactum omiserant milites, ita tradito more, vt victorem victi regis tabernaculo exciperent. Sed omnium oculos animosque in semet conuerterant captiuæ, mater, coniunxque Darii: illa non maiestate solum, sed etiam ætate venerabilis; hæc formæ pulchritudine, nec illa quidem sorte corrupta. Acceperat in sinum filium nondum sextum ætatis annum egressum, in spem tantæ fortunæ, quantum paullo ante pater eius admiserat, genitum.

25 At in gremio anus auiaie iacebant adultæ virgines duæ, non suo tantum, sed etiam illius moerore confectæ. ingens circa eam nobilium feminarum turba constiterat, laceratis crinibus, abscissaque veste, pristini decoris immemores, reginas dominasque, veris quondam, tunc

24. *nec illa quidem sorte corrupta*] forte captiuitatis ac moeroris nihil aut parum de pulchritudine eius immutatum. C. 25. *abscissa veste*] Ritus gentium orientis in magno dolore & luctu, ex facris etiam litteris notissimus. Xenophon de Armeni Tigranis filio lib. III. Paed. p. 38. *ὡς ἤκουσε τὰντα, περισπάσατο τὴν τιάραν, καὶ τὰς πέπλους κατεβήξατο.* Hæc audiens tiaram discerpfit pepulumque discidit. Et extremo hoc libro de Assyriis mulieribus: *αἱ δὲ καταβήγνυμεναι τὰς πέπλους, καὶ δρυπτόμεναι, lacerantes peplos, seque laniantes.* Idem principio libri V. de captiua nobili femina: *κατεβήξατο τὸν ἄνωθεν πέπλον καὶ ἀνωδύρατο, laceravit a summo usque pepulum & eiulabatur.* C.

alienis

alienis nominibus inuocantes. Illae suae calamitatis oblitae, utro cornu Darius stetit; quae fortuna discriminis fuisset, requirebant. negabant se captas si uiueret rex. sed illum equos subinde mutantem longius fuga abstulerat. In 27 acie autem caesa sunt Persarum peditum centum millia, decem vero millia interfecta equitum. At ex parte Alexandri quatuor & quingenti saucii fuere; triginta omnino & duo ex peditibus desiderati sunt: equitum centum quinquaginta interfecti. tantulo impendio ingens victoria stetit.

27. *Triginta omnino & duo*] Angustior caesorum numerus, quam pro tam vehementi exercituum validissimorum conflictu. Diodorus XVII. 36. *περὶ εἰς τριακοσίτε, pedites trecenti.* Unde tam Iustini CXXX. (vide lib XI. 9.) quam Curtii XXXII. emendandum esse doctiores coniciunt. C. *stetit*] *constitit.* Sic & nos dicimus: *es ist mir hoch zu stehen gekommen.* S.

CAP. XII.

Matris & uxoris Darii, nec non aliarum captiuarum luctum lenat Alexander.

REX diu Darium persequendo fatigatus, 1 posteaquam & nox appetebat, & eum adsequendi spes non erat, in castra paullo ante a suis capta peruenit. Inuitari deinde amicos, 2 quibus maxime adfueerat, iussit: quippe summa duntaxat cutis in femore perstricta non prohibebat interesse conuiuio: quum repente e proximo tabernaculo lugubris clamor barbaro vlu-

latu planctuque permistus, epulantes conter-
 3 ruit. Cohors quoque, quae excubabat ad taber-
 naculum regis, verita ne maioris motus princi-
 4 pium esset, armare se coeperat. Causa patris
 subiti fuit, quod mater vxorque Darii cum capti-
 uis mulieribus nobilibus, regem, quem inter-
 5 fectum esse credebant, ingenti gemitu eiulatuque
 deflebant. Vnus namque e captiuis spadonibus,
 qui forte ante ipsarum tabernaculum steterat,
 amiculum, quod Darius, sicut paullo ante
 dictum est, ne cultu proderetur, abiecerat; in
 manibus eius qui repertum ferebat, adgnouit:
 ratusque interfecto detractum esse, falsum nun-
 6 cium mortis eius attulerat. Hoc mulierum
 errore comperto, Alexander fortunae Darii, &
 7 pietati earum inlacrimasse fertur. Ac primo
 Mithrenem, qui Sardeis prodiderat, peritum
 Persicae linguae, ire ad consolandas eas iusserat.
 veritus deinde ne proditor captiuarum iram
 doloremque grauaret; Leonnatum ex purpuratis
 suis misit, iussum indicare, falso lamentari eas
 Darium viuum. Ille cum paucis armigeris in
 tabernaculum, in quo captivae erant, peruenit,
 8 missumque a rege se nunciari iubet. At ii, qui
 in vestibulo erant, vt armatos conspexere, rati
 actum esse de dominis, in tabernaculum currunt,

5. cultu] ornatu, vestitu, vt supra. S. 6.
 pietati] vide Cellarium supra ad c. ii. 8. S. 7.
 armigeris] armatis, vt mox vocantur. Satellites
 autem & lectissimi stipatores intelliguntur. vide num.
 10. C. 8. dominis] foem. pro dominabus, quod

vociferantes, *adesse supremam horam, missosque qui occiderent captas.* Itaque, ut quae nec prohibere possent, nec admittere auderent; nullo responso dato, tacitae opperiebantur victoris arbitrium. Leonnatus expectato diu qui se intromitteret, posteaquam nemo procedere audebat; relictis in vestibulo satellitibus, intrat in tabernaculum. Ea ipsa res turbauerat feminas, quod inrupisse, non admissus videbatur. Itaque mater & coniux prouolutae ad pedes, orare coeperunt; *ut, priusquam interficerentur, Darii corpus ipsis patrio more sepelire permitteret: functas supremo in regem officio se impigre morituras.* Leonnatus, *et viuere Darium et ipsas non incolumes modo, sed etiam adparatu pristinae fortunae reginas fore.* Tum mater Darii adleuari se passa est. Alexander postera die cum cura sepultis militibus, quorum corpora inuenierat; Persarum quoque nobilissimis eundem honorem haberi iubet, matrique Darii permittit, quos vellet, patrio more sepeliret. Illa paucos arcta propinquitate coniunctos, pro habitu praesentis fortunae humari iussit; adparatum funerum, quo Persae suprema officia celebra-

alias differentiae causa in usu est. S. *ii. supremo officio] exsequiis, sepultura.* Petronius: *ultimoque mandauerunt officio, quod Instinus dixit exequiarum officium XXIII. 2. 8. C.* 14. *pro habitu fortunae] pro statu et conditione temporis ac captiuitatis.* Ouidius lib. I. Trist. eleg. I. de libro suo.

Infelix, habitum temporis huius habe. C.

rent, inuidiosum fore existimans, quum victores
 15 hauri preciose cremarentur. Iamque iustis de-
 functorum corporibus solutis, praemittit ad
 captiuas, qui nunciarent ipsum venire: inhibi-
 taque comitantium turba, tabernaculum cum
 16 Hephæstione intrat. Is longe omnium ami-
 corum carissimus erat regi, cum ipso pariter
 educatus; secretorum omnium arbiter: liber-
 tatis quoque in admonendo eo non alius ius
 habebat; quod tamen ita vsurpabat, vt magis
 a rege permissum, quam vindicatum ab eo vide-
 retur: & sicut aetate par erat regi; ita corporis
 17 habitu praestabat. Ergo reginae illum regem
 esse ratae, suo more veneratae sunt. inde ex

cremarentur] veteres enim plerique gentiles, non
 sepelire solebant, ut nos, sed in rogo cremare mortuos,
 eorumque cineres in terra humare. S. 15. *iustis*] *iusta*
dicitur vltimus honor, qui, requirentibus id iustitiae
legibus, mortuo soluendus est, S. 16. amicorum]
consiliariorum. S. secretorum arbiter] omnium regis
 arcanorum conscius & intimus consilia-
 rius. C. *magis permissum quam vindicatum]*
 quia concessam libertatem monendi prudenter obse-
 quio temperauit. C. *corporis habitu praestabat]*
 Valer. Maximus in hac ipsa historia IV, 7. 2. *statura &*
forma praestabat. Diodorus XVII. 37. *ἐχόντων*
ἀμφοτέρων ἐσθῆτας ὁμοίας, τῶ μεγέθει δὲ καὶ κάλλει
προέχοντος τῷ Ἡφαιστίωνος. Sic inter ea, quae princi-
 pem ostentant, Plinius, Panegy. cap. IV. refert etiam
proceritatem corporis. C. 17. suo more vene-
ratae sunt] more Persarum, quem προσκυνεῖν vocant,
 id est humi prosterni & adorare. Valerius c. l. *mater*
Darii Hephæstionem more Persarum adulata. Dio-
 dorus, προσκύνειν. C.

spadonibus captiuis, quis Alexander esset mon-
 frantibus, Sifygambis aduoluta est pedibus eius,
 ignorationem nunquam antea visi regis excu-
 sans. quam manu adleuans rex, *non errasti*,
 inquit, *mater; nam & hic Alexander est*. Equi-18
 dem, si hac continentia animi ad vltimum vitae
 perseuerare potuisset; feliciorem fuisse crederem,
 quam visus est esse, quum Liberi patris imitaretur
 triumphum, ab Helleponto vsque ad Oceanum
 omnes gentes victoria emensus. Vicisset pro-19
 fecto superbiam atque iram mala inuicta: absti-
 nuisset inter epulas caedibus amicorum: egre-
 giosque bello viros, & tot gentium secum domi-
 tores, inuicta causa veritus esset occidere. Sed 20
 nondum fortuna se animo eius infuderat. ita-
 que orientem eam moderate & prudenter tulit;
 ad vltimum magnitudinem eius non coepit.

Sifygambis] mater Darii. S. *nam & hic Alexander est*] Idem referunt Diodorus ac Valerius c. I. & Arrianus lib. II. qui vero ex fama potius, quam certo auctore, id se hausisse confitetur. C. 18. *potuisset*] Alexander scil. de quo haec iudicat noster Curtius. S. *quam Liberi patris triumphum*] vide infra IX. 10 24. C. & supra c. 10 5. S. 19. *mala inuicta*] per adpositionem pro: *superbiam & iram, quae mala inuicta sunt*. S. 20. *nondum fortuna se infuderat*] nondummersus secundis rebus deficiuerat a natura & animi contentia. C. *magnitudinem non cepit*] obitus & oppressus a nimia felicitate. Nam quod heic c. 38. Diodorus recte censet, τὰς πλείους ὀρεῖν ἐπὶ τὴν εὐτυχίαν, ὡς περὶ τι βαρὺ φορτίον, φέρειν ἀδυνάτωντας. C.

- 21 Tum quidem ita se gessit, vt omnes ante eum reges & continentia, & clementia vincerentur. Virgines enim regias excellentis formae tam sancte habuit, quam si eodem quo ipse parente
- 22 genitae forent: Coniugem eiusdem, quam nulla aetatis suae pulchritudine corporis vicit, adeo ipse non violauit, vt summam adhibuerit curam,
- 23 ne quis captiuo corpori inluderet: omnem cultum reddi feminis iussit, nec quidquam ex pristinae fortunae magnificentia captiuus praeter fiduciam, defuit. Itaque Sisygambis, rex, inquit, mereris, vt ea precemur tibi, quae Dario nostro quondam precatas sumus. Et, vt video, dignus es, qui tantum regem non felicitate solum, sed
- 24 etiam aequitate superaueris. Tu quidem matrem me, Et reginam vocas: sed ego me tuam famulam esse confiteor, Et praeteritae fortunae fastigium capio; Et praesentis iugum pati possum: tua interest, quantum in nos licuerit, si id potius
- 26 clementia, quam saeuitia vis esse testatum. Rex bonum animum habere eas iussit. Darii deinde filium collo suo admouit. atque nihil ille conspectu tunc primum a se visi conterritus, ceruicem eius manibus amplectitur: motus ergo rex constantia pueri, Hephaeestionem intuens,

21. tam sancte habuit] tam caste Et honeste tractauit. S. 22. aetatis suae] temporis istius, quo illa vixit. S. captiuo corpori inluderet] captivae feminae vim inferret, aut per contumeliam violaret. C.

quam vellem, inquit, Darius aliquid ex hac indole hausisset. Tum tabernaculo egressus, 27 tribus aris in ripa Pinari amnis, Ioui atque Herculi Mineruaeque sacratis, Syriam perit; Damascum, vbi regis gaza erat, Parmenione praemisso.

26. ex hac indole hausisset] Vtinam Darius tam fortis ac interritus esset, quam hic puer! Diodorus XVII. 38. tradit Alexandrum Hephaestioni dixisse: ὁ πικρὸς ὢν ἐξ ἐτῶν, καὶ τὴν ἀρετὴν ὑπὲρ τὴν ἡλικίαν προφαιώνων, πολλῶν βελτίων ἐστὶ τῷ πατρὸς. C. 27. tribus aris sacratis] tanquam tropaeis & victoriae monumentis. Cicero Epist. XV. 4. Castra in radicibus Amani habuimus, apud Aras Alexandri. Nec aras modo post hanc victoriam, sed urbem etiam Alexandream eodem prope loco condidit, cuius Plinius meminit V. 27. & Herodianus III. 4. & Stephanus Byzantius, qui Ἀλεξάνδρειαν τῆς Κιλικίας vocat. C. 27. Damascum] Damascus caput Syriae & olim regum sedes, vbi tanquam in tutissima arce thesaurus Darius repositus erat, cap. 13. n. 6. C.

CAP. XIII.

Darii gazam immensam, cum ingenti nobilium numero, Parmenioni Damasci praefectus prodit.

ATQUE is, quum praecessisse Darii satrapam comperisset; veritus ne paucitas suorum sperneretur, accersere maiorem manum statuit. Sed forte in exploratores ab eo prae-

1. is] Parmenio. S. satrapam] Persico vocabulo ita dicuntur *magnates*, *primores*. S.

missos

- missos incidit natione Mardus; qui ad Parmenionem perductus, litteras ad Alexandrum a praefecto Damasci missas tradit ei; nec dubitare eum, quin omnem regiam supellestem cum
- 3 pecunia traderet, adiecit. Parmenio adseruari eo iusso; litteras aperit: in quibus erat scriptum; *vt mature Alexander aliquem ex ducibus suis mitteret, cum manu exigua.* Itaque re cognita, Mardum datis comitibus ad proditorem remittit. Ille e manibus custodientium lapsus, Damascum
- 4 ante lucem intrat. Turbauerat ea res Parmenionis animum insidias timentis; & ignotum iter sine duce non audebat ingredi: felicitati tamen regis sui confusus, agrestes, qui duces itineris essent, excipi iussit. quibus celeriter repertis, quarto die ad urbem peruenit: iam metuente
- 5 praefecto, ne sibi fides habita non esset. Igitur quasi parum munimentis oppidi fidens; ante solis ortum pecuniam regiam, quam gazam Persae vocant, cum preciosissimis rerum efferri iubet: fugam siuulans; reuera, vt praedam hosti offer-

2. natione Mardus] vide V. 6. 17. C. nec dubitare eum] eum, id est praefectum, qui secum constituerit, thesauros Alexandro tradere. Tellihero eum pro se positum videtur, vt ad nuncium referatur. C. 3. ante lucem intrat] vt eo minus proditio a Damascenis obseruetur. C. ne non] duae negationes adfirmant i. e. vt. Vt autem post verbum timendi, vel metuendi positum, negatiue explicandum est, er befürchtete sich, man möchte ihm nicht geglaubt haben. S.

ret. Multa millia virorum feminarumque ex- 6
 dentem oppido sequebantur ; omnibus misera-
 bilis turba, praeter eum, cuius fidei commissa
 fuerat. quippe quo maior proditoris merces
 foret, oblicere hosti parabat gratiorem omni pe-
 cunia praedam, nobiles viros, praetorum Darii
 coniuges, liberosque ; praeter hos urbium Grae-
 carum legatos : quos Darius velut in arce tutis-
 sima, in proditoris reliquerat manibus. *Gan-* 7
gabas Persae vocant humeris onera portantes :
 hi quum frigus tolerare non possent, (quippe
 & procella subito niuem effuderat ; & humus
 rigebat gelu) tum adstrictas vestes, quas cum
 pecunia portabant auro & purpura insignes,
 induunt : nullo prohibere auso ; quum fortuna
 regis etiam humillimis in ipsum licentiam face-
 ret. Praebuere ergo Parmenioni non spernendi 8
 agminis speciem : qui interiore cura suos, quasi
 ad iustum proelium, paucis adhortatus ; equis

7. *niuem effuderat*] Proelium enim ad Isson com-
 missum fuit *μηνὸς χειμακτεριῶνος*, mense, qui Novem-
 bri vel Decembri respondet. *Arrian. lib. II. pag.*
no. C. *quum fortuna regis*] Darii victi & fugi-
 entis. Magnam enim fortunam e fastigio deturbatam
 illico contemptio & ludibrium sequuntur, *Phaedrus*
lib. I. fab. XXII.

Quicumque amisit dignitatem pristinam,

Ignavis etiam iocus est in casu graui. C.

8. *interiore*] *maiore.* Nam eas res, quas intus
 in domibus & cameris nostris ponimus, magis cura-
 mus, S.

calca-

calcaria subdere iubet, & acri impetu in hostem
 Sinuehi. At illi, qui sub oneribus erant, omiffis
 per metum capessunt fugam: armati, qui eos
 persequerantur, eodem metu arma iactare, ac
 nota diuerticula petere coeperunt. Praefectus
 quasi & ipse conterritus simulans, cuncta pauore
 compleuerat. Iacebant totis campis opes re-
 giae: illa pecunia stipendio ingenti militum
 praeparata: ille cultus tot nobilium virorum;
 tot inlustrium feminarum: aurea vasa: aurei
 freni: tabernacula regali magnificentia ornata:
 vehicula quoque a suis destituta, ingentis opu-
 lentiae plena facies etiam praedantibus tristis, SI
 I I QVA res auaritiam moraretur. Quippe tot
 annorum incredibili & fidem excedente fortuna
 cumulata, tunc alia stirpibus lacerata; alia in
 coenum demersa eruebantur: non sufficiebant
 I 2 praedantium manus praedae. Iamque etiam ad
 eos, qui primi fugerant, ventum erat: feminae

subdere iubet] Rarum hoc est. Nam alias *inbeo*
 eum infinitiuo passiuo, non actiuo, construitur. S.
 9. *omissis per metum*] sc. *oneribus*. S. 10. *quasi*
& ipse conterritus] subaudi *esset*. S. *vehicula*
a suis destituta] a suis, id est agentibus suis siue
 aurigis, vt Rutgerfius emendauit. Agere enim au-
 rigarum est. Noster V. 12. extremo: *ignoti iumenta*
agebant. Linius l. 48. *inhibuit freno is, qui iumenta*
agebat. C. 11. *facies*] per adpositionem, quam
 ita explicabis: *quale spectaculum etiam ipsi praedan-*
tibus triste & terribile posset esse; si &c. S. *for-*
tuna] bonis fortunae, S.

pleraeque paruos trahentes liberos ibant. inter
 quas tres fuere virgines, Ochi, qui ante Darium
 regnauerat, filiae, olim quidem ex fastigio pater-
 no rerum mutatione detractae; sed tum fortem
 earum crudelius adgrauante fortuna. In eodem 13
 grege vxor quoque eiusdem Ochi fuit, Oxathris-
 que (frater hic erat Darii) filia, & coniunx Artabazi
 principis purpuratorum, & filius, cui Ilio-
 neo fuit nomen. Pharnabazi quoque, cui sum- 14
 mum imperium maritimae orae rex dederat, vxor
 cum filio excepta est: Mentoris filiae tres; ac
 nobilissimi ducis Memnonis coniunx & filius.
 vixque vlla domus purpurati fuit tantae cladis
 expers. Lacedaemonii quoque & Athenienses 15
 societatis fide violata Persas sequuti; Aristogiton,
 Dropides & Iphicrates inter Athenienses
 genere famaue longe clarissimi: Lacedaemonii,
 Pausippus & Onomastorides, cum Monimo &
 Callicratide, ii quoque domi nobiles. Summa 16
 pecuniae signatae fuit talentorum duo millia

12. *Ochi, qui ante Darium*] interueniente Arse
 vel Arfame filio, sed breuioris imperii, regnaue-
 rat. C. *rerum mutatione*] patre & fratre regi-
 bus a Bagoa eunucho sublati. C. 14. *Memno-
 nis coniunx*] Barsine, Artabazi filia, nunc vidua,
 Graecis litteris & moribus instituta, quam propter
 generosam indolem formamque animo non minorem
 Alexander postea, Parmenione suafore, vxorem duxit.
Plutarch. pag. 676. C. 16, pecuniae signatae]
 Persae utebantur etiam signatis nummis, in quibus

& sexa-

& sexaginta; facti argenti pondus quingenta aequabat. Praeterea triginta millia hominum, cum septem millibus iumentorum, dorso onera 17portantium, capta sunt. Ceterum, dii tantae fortunae proditorem sepulturae celeriter debita poena persecuti sunt. namque vnus e consciis eius, credo, regis vicem, etiam in illa sorte reueritus, interfecti proditoris caput ad Darium tulit, opportunum solatium prodito: quippe & vltus inimicum erat; & nondum in omnium animis memoriam maiestatis suae exoleuisse cernebat.

celebrantur *Darici* aurei a Dario primo percussi, *Suidas* in Δαρεικός: & *Sagittarii*, χάραγμα τοξότην ἔχοντες, vt ex ioco *Agefilai* constat. qui decem milibus sagittariis se ex Asia submoueri dixit, id est tot nummis a rege missis Atheniensium & Thebanorum proceres in bellum contra Spartanos concitatos esse. *Plutarch*, in *Agefil.* pag. 604. C. facti argenti] *Isidorus* Orig. XVI. 17. Tria sunt genera argenti, & auri, & aeris, signatum, quod in nummis est: factum, quod in vasis & signis: infectum, quod in massis est. C. 17. sepulturae celeriter debita poena] Suspecta vox *sepulturae*, pro qua *Freinshemii* coniectura, quamuis dubii & timidi, *vturi* substituit. *Tanaquilli Fabri* *epist.* LI. lib. I. securum sceleris. C. Clericus *Artis Criticae* part. 3. sect. 3. 10. §. 4. legendum iudicat *imposturae*, quod & sub finem quartae editionis in textum recipi iubet *Cellarius*. S.

Q. CVR TII RVFI,
DE
REBVS GESTIS
ALEXANDRI REGIS
MACEDONVM,
LIBER IV.

CAP. I.

Alexander literis a Dario superbe scriptis regie respondet. Abdolonimum Sidoniis regem praeficit. Amyntas transfuga miro modo a Persis occiditur. Variarum locis praefectorum Darii clades.

DArius tanti modo exercitus rex, qui triumphantis magis, quam dimicantis more, curru sublimis inierat proelium; per loca, quae prope immensis agminibus compleuerat, iam inania, & ingenti solitudine vasta, fugiebat. Pauci regem sequebantur: nam nec eodem omnes fugam intenderant; & deficientibus equis; cursum eorum, quos rex subinde mutabat, aequare non poterant. Vnchas deinde peruenit, ubi exceperere eum Graecorum quatuor

1. modo] ante paruum temporis spatium. S.
3. Vnchas] Vox varie scripta, ideoque suspecta. saltem ignota geographis. Videtur idem locus esse, quem Seches Arrianus lib. II. p. 93. vocat, bidui itinere a portis Amani; Thapsacum versus, quo Darius fugiens contendit, remotus, C.

millia : cum quibus ad Euphratem contendit ;
 id demum credens fore ipsius ; quod celeritate
 4 praeripere potuisset. At Alexander Parmenionem , per quem apud Damascum recepta erat
 praeda, iussum eam ipsam, & captiuos, diligenti
 adseruare custodia, Syriae, quam Coelen vocant,
 5 praefecit. Nouum imperium Syri, nondum belli
 cladibus satis domiti, aspernabantur : Sed ce-
 lenter subacti obedienter imperata fecerunt. Ara-
 6 dus quoque insula deditur regi. Maritimam
 tum oram, & pleraque longius etiam mari rece-
 dentia rex eius insulae possidebat : quo in fidem
 7 accepto, castra mouit ad urbem Marathon. Ibi
 illi litterae a Dario redduntur : quibus vt superbe
 scriptis vehementer offensus est. praecipue cum
 mouit, quod Darius sibi regis titulum, nec eun-
 8 dem Alexandri nomini adscripserat. Postulabat
 autem magis quam petebat ; *vt accepta pecunia,*
quantamcumque tota Macedonia caperet, matrem
sibi ac coniugem liberosque restitueret : de regno,

ad Euphratem contendit] ad Thapsacum, vt modo
 diximus, iuxta quam urbem Euphratem traiecit, Arri-
 ano teste p. 116. C. 4. *Syriae quam Coelen vo-*
cant] Syriae pars Libano & Antilibano inclusa, Coele
 siue *Concaua* appellatur. *Vid. Strab. C. 5. Ara-*
dus insula] Aradus insula & oppidum Phoeniciae,
 Plinio CC. passibus, Straboni XX. stadiis a continente
 distans. C. *ad urbem Marathon*] Marathos vrbs
 ex aduerso insulae Aradi in continente sita. Plinius
 V. 20. *Marathos, contraque Aradus.* Arrianus II.
 pag. 119. *Μάραθος ἢ καταντικρὺ τῆς Ἀράδης ἐν τῇ ἡπειρῷ*
ἄκισμένῃ, C.

aequo, si vellet, Marte contenderet. Si saniora 9
 consilia tandem pati potuisset; contentus patrio,
 cederet alieni imperii finibus; socius amicusque
 esset. in ea se fidem & dare paratum & accipere.
 Contra Alexander in hunc maxime modum re-10
 scripsit: Rex Alexander Dario. Celes, cuius
 nomen sumfisti, Darius, Graecos, qui oram
 Hellesponti tenent, coloniasque Graecorum Ionias,
 omni clade vastavit: cum magno deinde exercitu
 mare traiecit, inlato Macedoniae & Graeciae
 bello. Rursus rex Xerxes gentis eiusdem, ad op-11
 pugnandos nos cum immanium barbarorum copiis
 venit: qui navali proelio victus, Mardonium
 tamen reliquit in Graecia; ut absens quoque popu-
 laretur vrbes, agros vreret. Philippum vero 12
 parentem meum quis ignorat ab iis interfectum

10. Celes, cuius nomen] Cognomen hoc Darii Hi-
 staspis, quod proprie equum significat & equitem, for-
 san, quod equi ille hinnitu electus rex fuerat. Hesy-
 chius: Κέλης ἵππος καὶ ἱππικῆς κελυτιῶν, κελυτιζέειν,
 ἰσπέειν. C. Graecos, qui oram Hellesponti]
 Latus Aegaei maris Asiaticum, ab Hellesponto ad mare
 Lycium, fere omne tenebatur Graecis coloniis, quae,
 quod nollent iugum subire Persicum, a Dario armis
 cogebantur, idque bellum in Graeciam tandem, vnde
 auxilia Ionibus venerat, devolutum fuit. C. 11.
 Xerxes, Mardonius] Xerxes patris Darii vlturus clam-
 dem in Graeciam inuasit: Mardonius dux Xerxis in
 Graecia relictus, & ad Plataeas acie superatus est. C.
 12. agros] praedia & villas, quae alias etiam vrba dicun-
 tur. S. 12. Philippum quis ignorat] Caedis
 invidiam, cuius crimine ipse Alexander & mater sus-
 specti erant, in Persas transfert, quasi Pausanias ab his
 corruptus regem interfecerit. Adde Supplem. lib. 1.

esse,

esse, quos ingentis pecuniae spe sollicitauerant
 Vestri? impia enim bella suscipitis, & quum ha-
 betis arma, licitamihi hostium capita. sicut tu
 proxime talentis mille, tanti exercitus rex, percuf-
 13 forem in me emere voluisti. Repello igitur bellum,
 non infero: & diis quoque pro meliore stantibus
 caussa; magnam partem Asiae in ditionem redege-
 14 meam, te ipsum acie vici. Quem etsi nihil a me
 impetrare oportebat; utpote qui ne belli quidem
 in me iura seruaueris: tamen, si veneris supplex;
 & matrem, & coniugem, & liberos sine precio
 recepturum te esse promitto, & vincere & consu-
 lere victis scio. Quod si te nobis committere times,
 dabimus fidem impune venturum. De cetero
 quum mihi scribes, memento non solum regi te;
 sed etiam tuo scribere. Ad hanc perferendam
 15 Therisippus missus. Ipse in Phoenicem deinde
 descendit: & oppidum Byblon traditum recepit.
 Inde ad Sidona ventum est, urbem vetustate
 17 fama que conditorum inclutam. Regnabat in
 ea Strato; Darii opibus adiutus; sed quia dedi-

cap. IX. C. 13. si veneris supplex] quod signum
 deditionis fuisse. Ita enim postulat apud Arrianum
 p. 123. Alexander: ὡς ἐμὲ τῆς Ἀσίας ἀπάσης κυρτὸς ὄντος,
 ἤνε πρὸς ἐμὲ. C. 14. impune venturum] subaudi
 te: te sine ullo periculo ad me venturum. S. 15.
 Byblon traditum] pactionibus siue ὁμολογίαι, quod
 Arrianus addit lib. II. C. Sidona fama condi-
 torum inclutam] Cap. IV. n. 15. ab Agenore condi-
 tam tradit. C. 16. Strato] alius a Stratone Aradi
 regulo: ille in amicitiam receptus hic regno exutus.
 Cap. I. νῦν. 6. C. Darii opibus adiutus]

tionem

tionem magis popularium, quam sua sponte fecerat, regno visus indignus, Hephæstionique permiffum, vt, quem eo fastigio e Sidoniis digniffimum arbitraretur, constitueret regem. Erant 17 Hephæstioni hospites clari inter suos iuuenes, qui facti ipsis potestate regnandi, negauerunt; quemquam patrio more in id fastigium recipi nisi regia stirpe ortum. Admiratus Hephæstio 18 magnitudinem animi spernentis, quod alii per ignes ferrumque peterent; *Vos quidem multæ virtute*, inquit, *estote, qui primi intellexistis, quanto maius esset, regnum fastidire quam accipere. Ceterum, date aliquem regiae stirpis, qui meminerit, a vobis acceptum habere se regnum.* At illi, quum multos imminere tantæ spei cerne-19 rent, singulis amicorum Alexandri, ob nimiam regni cupiditatem, adulantes; statuunt, neminem esse potioem: quam Abdolonimum quem-

Freinshemio & Telliæro addictus placet pro adiutus. C. 16. e Sidoniis] vulgo Sidones, inusitato casu pro Sidonii. Emendatio autem Gronouii est, quam Tellierus quoque amplectitur. C. 18. per ignes ferrumque] per quæuis pericula. C. quanto maius esset, regnum fastidire] Sic etiam Seneca Thyeste v. 470.

Immaue regnum est posse sine regno pati.

Hoc est, posse æquo animo carere regno & potentia, est magni regni & potentiae instar. Claudianus epithal. Palladii v. 81.

- - - *magnum delata potestas.*

Maiorem contempta probat. C.

E

dam,

dam, longa quidem cognatione stirpi regiae ad-
 nexum, sed ob inopiam suburbanum hortum
 20 exigua colentem stipe. Causa ei paupertatis,
 sicut plerisque probitas erat: intentusque operi
 diurno, strepitum armorum, qui totam Asiam
 21 concusserat, non exaudiebat. Subito deinde,
 de quibus ante dictum est, cum regiae vestis in-
 signibus hortum intrat, quem forte steriles her-
 22 bas eligens Abdolonimus repurgabat. Tunc
 rege eo salutato, alter ex his, *habitus*, inquit,
hic, quem cernis in meis manibus, cum isto squa-
lore permutandus tibi est. Ablue corpus inluvie,
aeternisque sordibus squalidum: cape regis ani-
imum, & in eam fortunam, qua dignus es, istam
continentiam profer. Et quum in regali solio resi-
debis, Vitae necisque omnium civium dominus,
caue obliuiscaris huius status, in quo accipis re-
 23 *gnum: immo hercule, propter quem. Somnio*
 similis res Abdolonimo videbatur: interdum,

19. *longa cognatione*] Barthius Aduers. XXVIII. 6.
haud longa scribi iubet, ut fortior fiat antithesis. Nec
 tamen vulgaris scriptura inepti sensus est. C. 20.
intentus operi] agri hortique culturae. Hanc enim
 opus singulari usu Latini dicunt. Seneca epist. LXXXVI.
exercebat opere se, terramque, ut mos fuit pristis,
ipse subigebat. Florus I. cap. XI. de L. *Quintio*
dictatore: lictor in ipso opere deprehendit, id est inter
 arandum. C. 22. *aeternis sordibus*] hoc est
 perpetuis. Manilius lib. IV. v. 3.

Aeternisque senes curis dum quaerimus aenum.
 & Martialis lib. VIII. epigr. LXXVII. *viuere in aeterna*
rosa, est viuere in perpetuis voluptatibus, perpetua vitae
 elegantia. C.

satissime

*satisne sani essent, qui tam proterue sibi include-
rent, percontabatur. Sed ut contanti squalor
ablutus est; & iniecta vestis purpura auroque
distincta, & fides a iurantibus facta; serio iam
rex, iisdem comitantibus, in regiam peruenit.
Fama, ut solet, strenue tota vrbe discurret: ali-
orum studium; aliorum indignatio eminebat:
ditissimus quisque humilitatem inopiamque eius
apud amicos Alexandri criminabatur. Admitti
eum rex protinus iussit; diuque contemplatus,
corporis, inquit, habitus famae generis non re-
pugnat: sed licet scire, inopiam qua patientia
tuleris? Tum ille, & tinam, inquit, eodem ani-
mo regnum pati possim. hae manus suffecere desi-
derio meo: nihil habenti nihil desuit. Magnae
indolis specimen ex hoc sermone Abdolonimi
cepit. Itaque, non Stratonis modo regiam supel-
lectilem adtribui ei iussit; sed pleraque etiam
ex praeda: regionem quoque vrbi adpositam
ditioni eius adiecit. Interea Amyntas, quem*

23. *serio iam rex] serio* opponitur verbo *include-
ret*, hoc est citra iocum, citra inclusionem, vere rex
factus. Male quidam *sero* legerunt. C. 24. *flu-
dium] fauor. S. 25. famae generis] quod
longa cognatione stirpi regis adnexus erat. supra
num. 19. C. regnum pati possim] Regnum pati
est regiam maiestatem posse sustinere. Silius lib.
XIV. v. 90.*

*Caligare alto in folio, nec pondera regni
Possè pati.*

Seneca epist. V. *infirmi animi est, pati non posse
diuitias. C. 26. regionem ditioni adiecit]*

ad Persas ab Alexandro transfugisse diximus; cum quatuor millibus Graecorum, ipsum ex acie persequuntis, fuga Tripolim peruenit. inde in naues militibus impostis Cyprum transmisit: & quum in illo statu rerum id quemque, quod occupasset, habiturum arbitraretur, velut certo iure possessum; Ægyptum petere decreuit: utri-
 28 que regi hostis, & semper ex ancipiti mutatione
 temporum pendens. hortatusque milites ad
 spem tantae rei, docet, *Sabacem praetorem Ægypti
 cecidisse in acie: Persarum praesidium & sine
 duce esse, & inualidum: Ægyptios semper prae-
 toribus eorum infensos, pro sociis ipsos, non pro
 29 hostibus aestimatos.* Omnia experiri necessi-
 tas cogebat: quippe QVVM primas spes fortuna
 destituit; futura praesentibus videntur esse poti-
 ora. igitur conclamant, duceret quo videretur.
 Atque ille VTENDVM animis dum spe cale-
 rent ratus; ad Pelusii ostium penetrat: simu-

*Ditioni est potestati & imperio, luculento inter regi-
 onem & ditionem discrimine, quae voces perperam
 vulgo confunduntur. C. 27. Tripolim peruenit]*
 Tripolim Phoeniciae, ut Arrianus nominauit. Vide
 quae supra III. II. 18. adnotauimus. C. *utrique
 regi] Alexandro & Dario. C. 28. praesidium
 sine duce] Mentitur Amyntas. Nam Mazaces super-
 erat IV. 7. 4. & alii. C. 29. Vtendum animis
 &c.] Putauit Amyntas, optimum esse, uti ea occa-
 sione, qua homines animosi & feruidi erant ad aliquid
 perficiendum, & spes illorum adhuc noua & recens,
 nec alio rumore aut quacunque re immutata. S. ad
 Pelusii ostium] Pelusium oppidum cum portu ad osti-
 um Nili maxime orientale. C.*

Ians a Dario se esse praemissum. Potitus ergo 30
 Pelusii Memphim copias promouit: ad cuius
 famam Aegyptii, vana gens, & nouandis quam
 gerendis aptior rebus, ex suis quisque vicis vrbi-
 busque ad hoc ipsum concurrunt, ad delenda
 praesidia Persarum, qui territi, tamen spem
 obtinendi Aegyptum non amiserunt. Sed eos 31
 Amyntas proelio superatos in urbem compellit;
 castrisque positis, victores ad populandos agros
 eduxit: ac velut in medio positis omnibus hosti-
 um cuncta agebantur. Itaque Mazaces, quam 32
 quam infelici proelio suorum animos territos esse

30. *Memphim copias promouit*] Memphis antiqua
 Aegyptiorum regia ad diuortium Nili, supra Delta,
 iuxta quam pyramides fuerunt. C. *Aegyptii,*
vana gens] Plinius. Panegy. cap. 31. de Aegyptiis,
ventosa atque insolens natio. Vopiscus in Saturnino
 ex epistola Hadriani: *genus hominum seditiosissimum,*
vanicissimum. Herodianus IV. 8. de Alexandrino po-
 pulo, *φύσει τὰς γυῖνας κερδοῦτος ὄν.* Vnde, quod
 Suetonius cap. 35. notauit, *veritus Caesar est Aegy-
 pium provinciam facere, ne quandoque violentiorem
 praesidem nacta nouarum rerum materia esset.* Ea-
 demque de causâ quum Augustus provinciam fecisset,
 non maioris quam equestris dignitatis praesidem im-
 posuit. Dio Cass. lib. LI. p. 455. C. 31. *velut*
in medio positis omnibus] Locus, si quis alius, Curtii,
 corruptus & desperatus. Raderus ita: *castrisque po-
 sitis victores ad populandos agros, velut cunctis hosti-
 um in medio positis vagabantur.* Freinshemius: *velut*
in medio positis omnibus, hostium cuncta agebantur.
 Audacior coniectura Barthii A duers. XXVIII. 6. *velut*
uno praelio sopitis hostium cunctis agebantur. C.

cognouerat; tamen *palantes*, & *victoriae fiducia incautos ostentans*, perpulit *ne dubitarent ex*
 33 *bibe erumpere, & res amissas recuperare.* Id con-
 silium non ratione prudentius, quam euentu
 felicius fuit: ad vnum omnes cum ipso duce
 occisi sunt. Has poenas Amyntas vtrique regi
 dedit; nihilo magis ei ad quem transfugerat
 34 *fidus*, quam illi quem deseruerat. Darii prae-
 tores, qui proelio apud Isson superfuerant, cum
 omni manu, quae fugientes sequuta erat, ad-
 sumpta etiam Cappadocum & Paphlagonum iu-
 35 *uentute*, Lydiam recuperare tentabant. Anti-
 gonus praetor Alexandri, Lydiae praerant: qui,
 quamquam plerosque militum ex praefidiis ad
 regem dimiserat; tamen barbaris spretis, in aciem
 suos eduxit. Eadem illic quoque fortuna par-
 tium fuit: tribus proeliis alia atque alia regione
 36 *commissis*, Persae funduntur. Eodem tempore
 classis Macedonum ex Graecia accita, Aristome-
 nem, qui ad Hellepontis oram recuperandam
 a Dario erat missus, captis eius aut meris nauis

32. *tamen palantes*] *dispersos, vagabundos.* Iu-
 stinus V. 5. 2. interpretatur *sine insidiarum metu spar-*
fos milites. Tacitus Hist. IV. 18. 7. *auxilia, foeda*
fuga dispersa, totis campis palantur. C. 33. *poe-*
nas dedit] Vide quae ad Nepotem notauimus 1. 3. 5. S.

34. *manu*] *exercitu.* S. Cappadocum & Paphla-
 gonum] Paphlagonum in fidem acceperat Alexander,
 Arriano teste II. 88. Oportet ergo illos defecisse. Cap-
 padociam autem non totam; sed quae circa Halyn est,
 tantummodo subegerat, *Ibidem.* C.

bus superat. A Milefiis deinde Pharnabazus³⁷
 praefectus Persicae classis pecunia exacta, &
 praesidio in urbem Chium introducto centum
 nauibus Andrum, & inde Siphnum petiit. eas
 quoque insulas praesidiis occupat; pecunia
 multat. Magnitudo belli, quod ab opulentis-³⁸
 simis Europae Asiaeque regibus, in spem totius
 orbis occupandi gerebatur; Graeciae quoque &
 Cretae arma commouerat. Agis, Lacedaemo-³⁹
 niorum rex, octo milibus Graecorum, qui ex
 Cilicia profugi domos repetierant, contractis;
 bellum Antipatro Macedoniae praefecto molie-
 batur. Creteneses has aut illas partes sequuti,⁴⁰
 nunc Spartanorum; nunc Macedonum praesidiis
 occupabantur. Sed leuiores inter illos fuere discrimina;
 vnum certamen, ex quo cetera pendebant,
 intuentem fortuna.

37. Chium, Andrum, Siphnum] Maris Aegaei insulae, Andrus & Siphnus in Cycladibus, Chios Ioniae opposita. C. 38. Graeciae & Cretae arma commouerat] Graeciae non omnis sed tantum Lacedaemoniae. Spartani autem cum Cretenesibus, quod viderent, Alexandrum, nisi confecto bello Persico, non reuerturum, arma commouerant. C. 39. Agis, Lacedaemoniorum rex] De regibus Lacedaemoniorum Corn. Nepos Agefilao cap. I. nomine magis, quam imperio reges. Neque enim erant αυτοκράτορες, sed ἡ γερουσία πάν εἶχε τῶν κοινῶν τὸ κράτος, potestas omnis penes senatum erat. Dionys. Halicarn. lib. II. p. 87. C. 40. praesidiis occupabantur] praesidiarios milites habebant. C. vnum certamen intuentem fortuna] vnum praelium, quo in oriente debellaretur. C.

CAP. II.

Tyrri, Alexandrum recipere recusantes, obsidentur.

- 1 **I**am tota Syria, iam Phoenice quoque, excepta Tyro, Macedonum erant; habebatque rex castra in continenti, a quo urbem angustum fretum dirimit. Tyrus & claritate, & magnitudine ante omnes vrbes Syriae Phoenicesque memorabilis, facilius societatem Alexandri acceptura videbatur, quam imperium. Coronam igitur auream legati donum adferebant; commeatusque large & hospitaliter ex oppido adduxerant.
- 3 Ille dona, vt ab amicis, accipi iussit; benigneque legatos adloquutus, *Herculi, quem praecipue Tyrri colerent, sacrificare velle se dixit. Macedonum reges credere, ab illo deo ipsos genus ducere: se vero vt id faceret etiam oraculo monitum.*
- 4 Legati respondent, *esse templum Herculis extra*

1. *In continenti*] ita vocatur *terra firma*, quam reliqua terra continet, nec vt insula vel peninsula a mari diuiditur. S. 2. *Coronam auream*] virtutis & victoriae symbolum, quod etiam aliis, quam regibus dari consuevit. Linius XXXI. 15. *Rhodium populus corona aurea virtutis gratia donatus. C.* 3. *quem praecipue Tyrri colerent*] Multi Hercules, & in his si non duo, saltim unus Tyrius. Diodorus XVII. 40. *βυλομένης βασιλέως τῷ Ἡρακλεῖ τῷ Τυρίῳ θύσαι, volebat rex Herculi Tyrio sacrificare. C.* 4. *templum Herculis extra urbem*] Herculi extra muros sacrificabatur, quia fuit paene semper peregrinus. Vide Scalig. Poetic. III. 25, & adde Plutarchum Quaest. Rom. XXVIII, C.

urbem,

urbem, in eam sedem quam Palaetyron ipsi vocant: ibi regem deo sacrum rite facturum. Non 5
 tenuit iram Alexander, cuius alioquin potens non erat. Itaque vos quidem, inquit, fiducia loci, quod insulam incolitis, pedestrem hunc exercitum spernitis: sed breui ostendam in continenti vos esse. proinde sciatis licet, aut intraturum me urbem; aut oppugnaturum. Cum hoc responso 6
 dimissos monere amici coeperunt, vt regem, quem Syria, quem Phoenice recepisset; ipsi quoque urbem intrare paterentur. At illi loco satis 7
 fisci, obsidionem ferre decreuerunt. Namque urbem a continenti quatuor stadiorum fretum diuidit, Africo maxime obiectum, crebros ex alto fluctus in litus euoluens. Nec accipiendo 8
 operi, quo Macedones continenti insulam iun-

in eadem sedem] in ea sede, vt supra III, 5. 10. in *Cilicianam fore*, vide quae ibi notauimus. C. Palaetyron vocant] Strabo lib. XVI. μετὰ τῆν Τύρον ἡ παλαιότερα ἐν τριάντοισι σταδίοις, post Tyrum est antiqua Tyrus, triginta stadiis distans in austrum Ptolemaida versus. Primum enim in continenti fuerat vrbs, post in insulam, vt locum tutiorem, reducta. C. 5. tenuit iram] sicut silentium tenere dicimus, pro silere, ita iram tenere, pro animum iratum nec verbis nec factis exferere. Sed Alexander iram non tenuit, sed potius verbis eam patefecit. S. in continenti] in continenti terra, sine insula, aggere per fretum ducto. C. 7. Africo maxime obiectum] Africus ab occasu hiberno erumpens ventus, creber procellis, vt poeta ait, hoc fretum maxime concitabat. C. ex alto] mari. Nam altum pro profundo: profundum autem pro mari ponitur. S. 8. accipiendo] suscipiendo, ad manus sumendo, S.

gere parabant, quidquam magis, quam ille ventus obstabat. quippe vix leni & tranquillo mari moles agi possunt; Africus vero prima quaeque congesta pulsu inlisa mari subruit: nec vlla tam firma moles est, quam non exedant vndae per nexus operum manantes; & vbi acrior flatus existit, summi operis fastigio superfusae. Praeter hanc difficultatem haud minor alia erat; muros turresque vrbis praealtum mare ambiebat: non tormento, nisi e nauibus procul, excussa emitti; non scalae moenibus adplicari poterant; praecipue in salum murus pedestre interceperat iter: naues nec habebat rex; &, si admonisset, pendentes & instabiles missilibus arceri poterant. Inter quae parua dictu res Tyriorum fiducia accendit. Carthaginensium legati ad celebrandum anniuersarium sacrum more patrio tunc venerant: quippe Carthaginem Ty-

nexus] *connexiones, commissuras. S.* 9.
praealtum mare] τριῶν μάλισα ὀργυσιῶν τὸ βάθος, Arrianus II. p. 130. id est non ultra tres orgyias profundum. Altitudo enim maris, aut fluminum, profunditas est. Vide Caesarem IV. 17. C. non tormento] Gronov. Observ. n. 8. C. parua dictu res] Alii plerique haud parua, sed Freinshemius voculam haud vt superfluam, tum sensu postulante, tum accedente manuscriptorum auctoritate, abiecit. C. 10. ad celebrandum anniuersarium sacrum] Polybius Excerpt. Legat. CXIV. vocat ναῦν ἱεραγωγὸν, sacra gestantem, qua εἰς τὴν Τύρον ἐκπέμπουσιν οἱ Καρχηδόνιοι τὰς πατρίδας ἀπαρχὰς τοῖς θεοῖς. C. Carthaginem Tyrii condiderunt] Vide Iustinum 18. 6. 3. 4. 5. S.

rui condiderunt, semper parentum loco culti. Hortari ergo Poeni coeperunt, vt obsidionem forti animo paterentur; breui Carthagine auxilia ventura. namque ea tempestate magna ex parte Punicis classibus maria obsidebantur. Igitur bello decreto, per muros turresque tormenta disponunt: arma iunioribus diuidunt: opifcesque, quorum copia vrbs abundabat, in officinas distribuunt. Omnia belli adparatu strepunt: ferreae quoque manus (harpagonas vocant) quas

parentum loco culti] Carthago Tyriorum colonia conditricem ciuitatem parentis loco coluit, vt Ilienses siue Troianos Romani apud Iustinum XXXI. 8. C. 32. *tormenta disponunt*] machinas, quibus maiora tela excutiebantur, vt ballistae ac similes. Lilius XXXI. 17. *Abydeni tormentis per muros dispositis, non terra modo adeuntes aditu arcebant, sed nauium quoque stationem infestam hosti faciebant.* C. *ferreae manus, harpagonas*] Lilius XXX. 10. *Asseres ferreo vnco praefixo (harpagonas vocat miles) ex Punicis nauibus iniici in Romanas coepti, quos cum neque ipsos, neque catenas, quibus suspensi iniiciebantur, incidere possent, &c.* Vfus erat in atrahendis retinendisque nauibus, vt in hostiles naues transcendere posset, Caesar Civ. I. 58. & pugna similis pedestri fieri, Lilius XXXVI. 44. & quasi in solido decerni, Florus II. 2. 8. Erat & alius vsus vt hostilem nauem in sublimem erigerent, rursusque demissam in fluctus praecipitarent. Xiphilinus Seuero Byzantium oppugnante: *ἀπάγας τε ἕραι ἔχουσι, καὶ καθέντο ἐγανίνας καὶ ἐνέστων διὰ βραχέως, ἵεραι nonnullis hisce machinis harpagoes, quas & demittebant subito, & rapta celeriter sursum trahebant.* Et Silius XIV. v. 323. *vncae, tela, manus, Adde Schefferum de milit. nauali II. 7. C,*

operibus hostium iniicerent, coruiq; & alia tuen-
 13 dis vrbibus excogitata, praeparabantur. Sed quum
 fornacibus ferrum, quod excudi oportebat, im-
 positum esset, admotisque follibus ignem flatu
 accenderent; sanguinis riuus sub ipsis flammis
 exstitisse dicuntur: idque omen in Macedonum
 14 metum verterunt Tyrii. Apud Macedonas quo-
 que, quum forte panem quidam militum fran-
 geret, manantis sanguinis guttas notauerunt.
 territoque rege, Aristander peritissimus vatum
 respondit; *si extrinsecus cruor fluxisset, Mace-*
donibus id triste futurum: contra, quum ab inte-
riore parte manauerit, vrbis, quam obsidere desti-
 15 *nassent, exitium portendere.* Alexander, quum
 & classem procul haberet, & longam obsidionem
 magno sibi ad cetera impedimento videret fore;
 caduceatores, qui ad pacem eos compellerent,
 misit: quos Tyrii contra ius gentium occisos
 praecipitauerunt in altum. atque ille suorum
 tam indigna nece commotus, vrbem obsidere

cornique] Diuersa coruorum genera. Haec in-
 strumentum significatur, quod ad lacerandas attra-
 hendasque naues tormento excutiebatur, a coruini
 rostri similitudine *cornus* appellatum. C. 14. *pe-*
ritissimus vatum] Erat enim Telmessensis Aristan-
 der. *Arrian. l. p. 72.* Telmessi autem, Lyciae mari-
 tima vrbe, ars diuinandi & prodigiorum interpreta-
 tio in primis colebatur. *Herodot. l. 78. & Suidas in*
Tελμισσις. C. 15. contra ius gentium] quo cadu-
 ceatores & legati sunt inuiolabiles. C. *in altum*]
 in profundum mare, *Virgil. Aen. III, v. 11. C.*

statuit.

statuit. Sed ante iacienda moles erat quae vr-¹⁶
bem continenti committeret. Ingens ergo ani-
mos militum desperatio incessit, cernentium
profundum mare, quod vix diuina ope posset
impleri: *quae saxa tam vasta. quas tam proceras
arbores posse reperiri? exhauriendas esse regiones,
vt illud spatium aggeraretur, & exaestuare semper
fratum, quoque arctius volutetur inter insulam
& continentem, hoc acrius furere.* At ille haud¹⁷
quaquam rudis tractandi militares amicos, *spe-
ciem sibi Herculis in somno oblatam esse pronun-
ciat, dextram porrigentis: illo duce, illo aperi-
ente in urbem intrare se visum.* Inter haec, *cadu-
ceatores interfectos, gentium iura violata, refe-
rebat: vnam esse urbem, quae cursum victoris
morari ausa esset.* Ducibus deinde negotium
datur, *vt suos quisque castiget: satisque omnibus
stimulatis, opus orsus est: Magna vis saxorum
ad manum erat, Tyro vetere praebente: mate-
ries ex Libano monte ratibus & turribus faci-*

16. committeret] cum continente coniungeret. S.
posse reperiri] subaudi dicebant siue querebantur.
Obliqua oratio. C. quoque - hoc] & quò - ed. S.
17. speciem sibi Herculis] In artibus regendae terren-
daeque multitudinis haud infima fuit religionis simula-
tio. sicut Egeriae nymphae congressus Numa iactabat,
Liv. I. 19. & ceruam albam, quae numine inflaretur,
Sertorius aiebat. Gell. XV. 22. C. vis] multi-
tudo. S. 17. Tyro vetere] Palaetyro. Vide
supra num. 4. Ruinae autem & rudera euerfae urbis vim
saxorum suppeditabant. C. materies] lignum.
Vide Catonem de re rustica c. 17. 31. III. S.

- 19endis vehebatur. Iamque a fundo maris in altitudinem montis opus excreuerat, nondum tamen aquae fastigium aequabat; &, quo longius moles agebatur a littore, hoc magis quidquid ingerebatur praealtum absorbebat mare;
- 20quum Tyrii paruis nauigiis admotis, per ludibrium exprobrabant, *illos armis inclutos, dorso sicut iumenta onera gestare*: interrogabant etiam, *num maior Neptuno esset Alexander?* haec ipsa
- 21infectatio alacritatem militum accendit. Iamque paullulum moles aquam eminebat, & simul aggeris latitudo crescebat, vrbique admuebatur, quum Tyrii magnitudine molis, cuius incrementum eos ante fefellerat, conspecta, leuibus nauigiis nondum commissum opus circumire coeperunt: missilibus eos quoque, qui pro opere
- 22stabant, incessere. Multis ergo impune vulneratis, quum & remouere, & adpellere scaphas in expedito esset, ad curam semet ipsos tuendi
- 23ab opere conuerterant. Igitur rex *munientibus coria velaque iussit obtendi, et extra teli ictum*

19. *in altitudinem montis*] Hyperbole. vt in his solenne est Curtio. Nam supra num. 9. huius Cap. ex Ariani libro II. diximus, vt tres orgyas profundum mare fuisse, hoc est duodeuiginti pedes. C. 21. *nondum commissum opus*] terrae reliquae nondum coniunctum. S. *pro opere*] ante vel ad opus. Euolue Turfelinum c. 168. 2. S. 23. *coria velaque obtendi*] Adi Lipsium Poliocret. V. 9. cuius etiam scriptura est *extra ictum* pro vulgari *extra iactum* teli. *Extra iactum* enim spatio tela excludi sonat: *extra iactum* intra spatium amoueri telorum noxam, C.

essent 3

essent ; duasque tures ex capite molis erexit ,
 e quibus in subeuntes scaphas tela ingeri pos-
 sent. Contra Tyrii nauigia procul a conspectu²⁴
 hostium litori adpellunt , expositisque militibus,
 eos, qui saxa gestabant , obtruncant. In Liba-
 no quoque Arabum agrestes incompósitos Mace-
 donas adgressi, triginta fere interficiunt, paucio-
 ribus captis.

ex capite molis] ex extremitate. *Caput* enim quod-
 uis extremum dicitur metaphoricè , vt *tignorum* Caes.
 B. C. II. 9. *loramentorum* Iustin. XI. 7. C. *sub-*
euntes] *subtus* vel *infra praetereuntes*. S. 24.
In Libano Arabum agrestes] Arabum latrones per
 Syriam diffusi in Libano receptacula habuerunt.

CAP. III.

Dubiis belli euentibus Tyri obsidio nobili-
tatur.

EA res Alexandrum diuidere copias coegit: ¹
 & ne segniter adfidere vni vrbi videretur,
 operi Perdiccam Crateronque praefecit, ipse cum
 expedita manu Arabiam petiit. Inter haec Tyrii ²
 nauem magnitudine eximia , saxis arenaque a
 puppi oneratam, ita vt multum prora emineret,
 bitumine ac sulphure inlitam remis concitauerunt ;
 & quum magnam vim venti vela quoque
 concepissent, celeriter ad molem successit: tunc

¹. *operi*] *aggeri* videlicet perficiendo. S. 2.
Successit] *subtus ad molem accessit*, S.

prora

- prora eius accensa, remiges defiliere in scaphas, quae ad hoc ipsum praeparatae sequebantur.
- 3 nauis autem igne concepto latius fundere incendium coepit: quod, priusquam posset occurri, turres & cetera opera in capite molis posita
- 4 comprehendit. At qui defilierant in parua nauigia, faces, & quidquid alendo igni aptum erat, in eadem opera ingerunt. Iamque non modo Macedonum turres, sed etiam summa tabulata conceperant ignem: quum ii, qui in turribus erant, partim haurirentur incendio; partim
- 5 armis omissis, in mare semetipsi immitterent. At Tyrii, qui capere eos, quam interficere mallerent; natantium manus stipitibus saxisque lacerabant; donec debilitati, impune nauigiis excipi possent.
- 6 Nec incendio solum opera consumpta; sed forte eodem die vehementior ventus motum ex profundo mare inlinit in molem, crebrisque fluctibus compages operis verberatae se laxauere, saxa interluens vnda medium opus rupit.
- 7 Prorutis igitur lapidum cumulis, quibus iniecta terra fastinebatur, praiceps in profundum ruit: tantaeque molis vix vlla vestigia inuenit Arabia

4. *haurirentur] absumerentur. S. 6. motum ex profundo mare] commotum a fundo vsque, in aggerem impulit. C. se laxauere] Modius tollit se vt ineptum: tuctur cum Acidalio Freinshemius ex nostri stilo III. 9. 12. C. 7. Prorutis lapidum cumulis] Proruendi verbo vsi sunt actiue optimi auctores. Terentius Eunuch, a. III. sc. V. v. 51. foras simul omnes prorunt se, Horatius I. oda XXXV.*

redi-

rediens Alexander. Hic, quod in aduersis rebus solet fieri, alius in alium culpam referebat; quum omnes verius de saeuitia maris queri possent. Rex noui operis molem orsus, in aduersum ventum non latere, sed recta fronte direxit; quod cetera opera, velut sub ipso latentia, tuebatur: latitudinem quoque aggeri adiecit, vt turre in medio erectae procul teli iactu abessent. Totas autem arbores cum ingentibus ramis in altum iaciebant; deinde faxis onerabant; rursus cumulo eorum alias arbores iniiciebant: tum humus adgerebatur; superque alia strue saxorum arborumque cumulata, velut quodam nexu continens opus iunxerant. Nec Tyrii, quidquid ad impediendam molem excogitari poterat, segniter exsequebantur. Praecipuum auxilium erat, qui procul hostium conspectu subibant aquam, occultoque lapsu ad molem vsque penetrabant; falcibus palmites arborum eminentium ad se trahentes: quae vbi sequutae erant, pleraque secum in profundum dabant; tum leuatos onere stipites truncosque arborum haud aegre moliebantur: deinde totum opus, quod stipitibus fuerat innixum, fundamento lapsa seque-

*Iniurioso ne pede prouas
Stantem columnam.*

& lib. IV. oda IV. v. 66.

*Lucifere, multa prouet integrum
Cum laude victorem. C.*

8. quod] opus. S.

batur.

- 11 batur. Aegro animi Alexandro & vtrum perfe-
ueraret, an abiret, satis incerto, classis Cypro
aduenit: eodemque tempore Cleander cum
Graecis militibus in Asiam nuper aduectus.
Centum & octoginta nauium classem in duo
diuidit cornua; laeuum Pnytagoras, rex Cypri-
orum, cum Cratero tuebatur; Alexandrum in
12 dextro quinquereimis regia uehebat. Nec Tyrii,
quamquam classem habebant, ausi nauale inire
certamen, triremes omnes ante ipsa moenia op-
posuerunt: quibus rex inuectus ipsas demersit.
13 Postera die classe ad moenia admota; vndique
tormentis, & maxime arietum pulsu muros qua-

12. *classis Cypro aduenit*] non tota Macedonica,
sed maior pars Cypriorum regum, & finitimorum po-
pulorum, qui, audita Darii apud Isson clade, a Persis
ad Alexandrum defecerunt. *Arrian. II. p. 134. C.*
Centum & octoginta] maior numerus initur, si naues
colligis, quas Arrianus c. l. recenset. *C. rex*
Cypriorum] vnus ex Cypri regibus. plures enim ea
tempestate erant. Arrianus etiam c. l. *ὁ τῆς Κύπρου*
βασιλεὺς, qui pag. 236. Pnytagoram ab aliis Cypri regi-
bus distinguit; sicut eundem Athenaeus IV. 19. dicit
post expugnationem Tyri ab Alexandro ad Paficypron,
alium Cypri regem, cum donis missum fuisse. *C.*
12. *quibus rex inuectus*] Tellierus & Pitiscus *tribus*
pro *quibus* ediderunt, erudita Freinshemii coniectura
inducti. Etenim tantum tres demersas fuisse, Diodorus
XVII. 43. & Arrianus p. 137. tradiderunt. Sed suauis
quibus coaest t quam *tribus*: praeterea ingratum
pronomen mutati casus *ipsas* in tam bene membro.
Quod si audaciae locus est, malim ita leuiter mutare:
quibus rex inuectus tres demersit. C. 13 *arie-*
um pulsu] *Aries trabs erat*, cuius summitati ferrum,

tit: quos Tyrii raptim obstructis faxis refece-
 runt; interiorum quoque murum, ut si prior fe-
 fellisset, illo se tuerentur, undique orsi. Sed 14
 undique vis mali urgebat; moles intra teli ia-
 ctum erat; classis moenia circumibat: terrestri
 simul navalique clade obruebantur. Quippe
 binas quadriremes Macedones inter se ita iunxe-
 rant, ut prorae cohaerent; puppes intervallo
 quantum capere poterant distarent. hoc pup- 15
 pium intervallum antennis asseribusque validis
 deligatis, superque eos pontibus stratis, qui mili-
 tem sustinerent, impleuerant: sic instructas qua-
 driremes ad urbem agebant: inde missilia in
 propugnantes ingerebantur tuto, quia proris
 miles tegebatur. Media nox erat, quum clas- 16
 sem, sicuti dictum est, paratam, *circumire urbem*
 iubet: iamque naues urbi undique admoue-
 bantur, & Tyrii desperatione torpebant; quum
 subito spissae nubes intendere se caelo, & quid-
 quid lucis internitebat, effusa caligine extinctum
 est. Tum inhorrescens mare paullatim leuari, 17
 deinde aciori vento concitatum, fluctus ciere, &

quod arietis caput referret, cum cuspe vna aut pluri-
 bus praefixum fuit, quo muri prosternebantur. Vide
 Lipsii Poliorc. C. *interiorem murum*] Post
 veterem murum quinque cubitorum intervallo in me-
 dio relicto, murum alterum decem cubitos latum aedi-
 ficarunt, vacuum inter utrumque spatium lapidibus inge-
 staque terra complentes. Diodor. Sic. XVII. 43. C.
 16. *intendere*] est tertia pluralis praeteriti, pro *inten-
 derunt*, S.

inter

inter se nauigia collidere. Iamque scindi coeperant vincula, quibus connexae quadriremes erant, ruere tabulata, & cum ingenti fragore in
 1 profundum secum milites trahere. neque enim conferta nauigia vlla ope in turbido regi poterant: miles ministeria nautarum, remiges militis officia turbabant: &, quod in huiusmodi casu accidit, periti ignaris parebant. quippe gubernatores, alias imperare soliti, tum metu mortis iussa exsequebantur. Tandem remis pertinacius euerberatum mare, veluti eripientibus nauigia classicis cessit: adpulsaque sunt litori, lacerata pleraque. Iisdem diebus forte Carthaginensium legati triginta superueniunt, maius obfessis solatium, quam auxilium; quippe domestico bello Poenos impediri; nec de imperio,
 2 sed pro salute dimicare nunciabant. Syracusani tunc Africam urebant, & haud procul Carthaginis muris locauerant castra. Non tamen defecere animis Tyrii, quamquam ab ingenti spe destituti erant; sed coniuges liberosque deuehentos Carthaginem tradiderunt: fortius quidquid accideret lattiri, si carissimam sui partem extra communis periculi sortem habuissent.

20. urebant] vastabant, & igne cuncta consumebant. S. Syracusani haud procul Carthaginis muris] Nusquam Syracusani prope Carthaginem castra leguntur posuisse, nisi Agathocle duce in quinto ab vrbe lapide. *Inslin.* XXII. 6. 9. qui vero Alexandro posterior fuit. C.

Quum-

Quumque vnus e ciuibus concioni indicasset; ²¹ 1
 oblatam esse per fomnum sibi speciem Apol-
 linis, quem eximia religione colerent, urbem
 deferentis; molemque a Macedonibus iactam in
 salo, in siluestrem saltum esse mutatam: quam- ²² 2
 quam auctor leuis erat, tamen ad deteriora cre-
 denda proni metu, aurea catena deuinxere simu-
 lacrum, araeque Herculis, cuius numini urbem
 dicauerunt, inferuere vinculum; quasi illo deo
 Apollinem retenturi. Syracusis id simulacrum
 deuexerant Poeni, & in maiore locauerant pa-
 tria: multisque aliis spoliis urbium, a semet
 captarum, non Carthaginem magis, quam
 Tyrum ornauerant. Sacrum quoque, quod ²³ 3
 quidem diis minime cordi esse crediderim, multis

^{21.} concioni] concio a conciendo dicta notat coe-
 tum ciuium citatorum, vt in loco publico conueni-
 ant. S. *urbem deferentis*] Sicut Tacitus Histor.
 V. 13. de Hierosolymorum obsidione scribit, auditam
 maiorem humana vocem, *excedere deos.* S. ^{22.}
ad deteriora credenda proni metu] Liuius XXVII. 44.
 EXETEMO: metu interprete semper in deteriora incli-
 nata. C. *araeque Herculis*] Cur arae, non simu-
 lacro? videtur sine simulacro cultus Hercules, quia
 Herodotus II. 44. hoc templum describens nullius men-
 tionem fecit, & de eiusdem dei Gaditano templo Silius
 III. v. 30.

Sed nulla effigies simulacraue nota deorum.

Maiestate locum & sacro impleuere timore. C.

Syracusis id simulacrum] Non Syracusis, sed a
 Gelois abductum illud, Diodorus XIII. 108. prodi-
 dit. C. *in maiore patria*] Tyro matre Cartha-
 ginis. C. ^{23.} *sacrum*] sacrificium. S.

faeculis

saeculis intermissum repetendi auctores quidam
 erant, vt ingenuus puer Saturno immolaretur,
 quod sacrilegium verius quam sacrum, Cartha-
 ginienfes a conditoribus traditum, vsque ad
 excidium vrbis suae fecisse dicuntur. ac nisi
 seniores obstitissent, quorum consilio cuncta
 agebantur; humanitatem dira superstitio vicif-
 24set. Ceterum, efficacior omni arte imminens
 necessitas, non vsitata modo praesidia, sed quae-
 dam etiam nova admonuit. Namque ad impli-
 canda nauigia, quae muros subibant, validis
 asseribus, coruos & ferreas manus, cum uncis ac
 falcibus illigauerant; vt quum, tormento asseres
 promouissent, subito laxatis funibus iniicerent.
 25 Vnci quoque & falces ex iisdem asseribus depen-
 dentes, aut propugnatores, aut ipsa nauigia lace-

ingenuus puer Saturno] De Molochi nefando
 cultu apud Ammonitas & vicinos Syriae populos, pas-
 sim diuinis litteris traditum est, quod idolum videtur
 hic Saturnus esse. C. *Carthaginienfes fecisse
 dicuntur*] De quibus Iustinus XXIII, 6, 12. *Homines,
 vt victimas immolabant, & impuberes aris admo-
 uebant, pacem deorum sanguine eorum exposcentes.*
*Tertullianus Apologet. c. 1X. Infantes penes Afri-
 cam Saturno immolabantur palam vsque ad procon-
 sulatum Tiberii, qui eosdem sacerdotes crucibus expo-
 suit.* Ergo etiam vltra excidium in instaurata vrbe
 haec impietas repetita fuit. *humanitatem*] con-
 ditionem hominis, qua alter alteri parcere solet. S.
 24. *laxatis funibus iniicerent*] Postquam, asseres
 istos cum coruis & aliis, ex tormentis versus naues
 eiecerunt, subito eas laxatis nauium funibus iniece-
 runt. S.

rabant.

rabant. Clypeos vero aeneos multo igne torrebant, quos repletos feruida arena, coenoque decocto, e muris subito deuoluebant. nec vlla²⁶ pestis magis timebatur; quippe vbi lorica corpusque feruens arena penetrauerat, nec vlla vi excuti poterat, & quidquid attigerat, perurebat: iacientesque arma, laceratis omnibus, quis protegi poterant, vulneribus inulti patebant: corui vero & ferreae manus tormentis emissae plerosque rapiabant.

26. nec vlla pestis] noxa damnum: C.

CAP. IV.

Tandem Tyrus, vi capta, maximaque hominum strage correpta, luctuoso deformatur incendio.

HIC rex fatigatus, statuerat soluta obsidione¹ Egyptum petere. quippe quum Asiam ingenti celeritate percurrisset; circa muros vnius vrbs haerebat, tot maximarum rerum opportunitate dimissa. Ceterum, tam discendere² inritum, quam morari pudebat. Famam quoque, plura, quam armis, euerterat, ratus leuiorem fore, si Tyrum, quasi testem se posse vinci, reliquisset. Igitur ne quid inexpertum omitteret; plures naues admoueri iubet, delectosque militum imponi. Et forte bellua inusitatae³ magnitudinis, super ipsos fluctus dorso

3. bellua inusitatae magnitudinis] balaena, cetus. Diodorus XVII. 41. κήτος ἕπιτον τὸ μέγεθος. C.

emi-

- eminens, ad molem, quam Macedones iecerant, ingens corpus adplicuit; diuerberatisque fluctibus adlevans semet, vtrisque conspecta est: deinde a capite molis rursus alto se immerfit;
- 4 ac modo supervndas eminens magna sui parte; modo superfufis fluctibus condita; haud procul
- 5 munimentis vrbis emerfit. Vtrisque laetus fuit belluae adspectus: Macedones iter iaciendo operi monstrasse eam augurabantur; Tyrii, Neptunum occupati maris vindicem arripuisse belluam, ac molem breui profecto ruituram. laetique omine eo ad epulas dilapsi oneravere se vino; quo graues, orto sole nauigia conscendunt, redimita coronis floribusque: adeo victoriae non omen modo; sed etiam gratulationem
- 6 praeceperant. Forte rex classem in diuersam partem agi iusserat, triginta minoribus nauigiis relictis in littore; e quibus Tyrii duobus captis, cetera ingenti terruerant metu: donec suorum clamore audito Alexander, classem litori, e quo
- 7 fremitus acciderat, admouit. Prima a Macedonum nauibus quinquere mis velocitate inter ceteras eminens occurrit: quam vt conspexere Tyrii, duae e diuerso in latera eius inuectae sunt; in quarum alteram quinquere mis eadem concii-

5. oneravere se vino] Infra V. 7. 4. ipsi mero onerati. Sallustius Iugurth. cap. 76. ibi vino & epulis onerati. C. praeceperant] ante ceperant, praesumserant. Cicero Philipp. XIII. 20. Praecipias licet gaudia, C.

tata & ipsa rostro icta est, & illa inuicem tenuit. Iamque ea, quae non cohaerebat, libero impetu euecta, in aliud quinquere mis latus inuehebatur; quum opportunitate mira triremis e classe Alexandri in eam ipsam, quae quinquere mi imminebat, tanta vi impuls a est, vt Tyrius gubernator in mare excuteretur e puppi. Plures deinde Macedonum naues superueniunt, & rex quoque aderat; quum Tyrii inhibentes remis, aegre euellere nauem, quae haerebat, portumque omnia simul nauigia reperunt. Confestim rex insequutus, portum quidem intrare non potuit, quum procul e muris missilibus submoueretur; naues autem omnes fere aut demersit, aut cepit. Biduo deinde ad quietem dato militibus, iussisque & classem, & machinas pariter admouere, vt vtrimque territis instaret; ipse in altissimam turrem ascendit, ingenti animo, periculo maiore. quippe regio insigni & arnis fulgentibus

7. *illam inuicem tenuit*] In antiquis nauibus iuxta rostra unci erant adpacti adeo vt naues sibi violenter occurrentes, se inuicem tenuerint. Imago eorum adparet in columna rostrata Duilii, quam Graeuus expressit ad Florum 2. 2. 10. S. 9. *inhibentes remis*] remis impedierunt, ne diutius coniunctae essent naues. S. *euellere*] pro *euellebant*, per Enallagen historicam, qua pro Imperfecto adhibent Infinitiuum, quod Sallustio in primis familiare est. S. *portumque reperunt*] Portus duos Tyrus habuit, alterum clausum, Sidona versus, qui *Sidonius* vocabatur; alterum apertum, *Aegyptium*, quod Aegyptum prospiciebat, *Strab. lib. XVI.* Hic Sidonius portus intelligitur. C.

conspicius, vnus praecipue telis petebatur, & digna prorsus spectaculo edidit: multos e muris propugnantes hasta transfixit; quosdam etiam cominus gladio clypeoque impulsos praecipitauit: quippe turris, ex qua dimicabat, muris
 12 hostium propemodum cohaerebat. Iamque crebris arietibus saxorum compage laxata, munita defecerant; & classis intrauerat portum, & quidam Macedonum in turres hostium desertas euaserant: quum Tyrii, tot simul malis victi, alii supplices in templa confugiunt; alii foribus aedium obseratis occupant liberum mortis arbitrium: nonnulli ruunt in hostem, haud inulti
 13 tamen perituri. magna pars summa tectorum obtinebat, saxa, & quidquid manibus fors dederat, ingerentes subeuntibus. Alexander, exceptis qui in templa confugerant, omnes in-
 14 terfici, ignemque tectis iniici iubet. His per praecones pronuntiatis, nemo tamen armatus opem a diis petere sustinuit: pueri virginesque templa compleuerant; viri in vestibulo suarum quisque aedium stabant, parata faeuientibus

12. occupant liberum mortis arbitrium] necem vitro eligunt, se ipsi interficiunt. C. haud inulti] Sie machten ihren todt denen Feinden sauer. Vide quae notauit Freinshemius ad Florum 3. 3. 18. & in Indice eiusdem. S. 14. sustinuit] ausus est, aut ab animo suo impetrare potuit. Infra VI. 9. 18. sustinuit rescribere mihi. Suetonius Caes. 74. Phagitae nunquam nocere sustinuit. Tacitus Hist. 1. 37. 1. quia nec priuatum me vocare sustinco, princeps a vobis nominatus: nec principem, alio imperante. C.

turba.

turba. Multis tamen salutem fuere Sidonii, qui 15
 intra Macedonum praesidia erant. hi urbem
 quidem inter victores intrauerant, sed cognationis
 cum Tyriis memores (quippe utramque
 urbem Agenorem condidisse credebant) multos
 Tyriorum; etiam protegentes, ad sua perdu-
 xere nauigia: quibus occultatis, Sidona deuecti
 sunt. quindecim millia hoc furto subducta
 saeuitiae sunt. quantumque sanguinis fufum 16
 fit, vel ex hoc existimari potest, quod intra
 munimenta urbis sex millia armatorum trucidata
 sunt. Triste deinde spectaculum victoribus ira 17
 praebuit regis. duo millia, in quibus occidendi
 defecerat rabies, crucibus adfixi per ingens litto-
 ris spatium pependerit. Carthaginensium 18
 legatis pepercit; addita denunciatione belli,
 quod praesentium rerum necessitas moraretur.
 Tyrus septimo mense, quam oppugnari coepta 19
 erat, capta est; urbs & vetustate originis, &
 crebra fortunae varietate ad memoriam posteritatis
 insignis. Condita ab Agenore, diu mare,
 non vicinum modo, sed quodcumque classes
 eius adierunt, ditionis suae fecit. &, si fama
 libet credere, haec gens litteras prima aut docuit,

17. *occidendi defecerat rabies*] defecerat cupiditas
 interficiendi. C. *crucibus adfixi*] seruili supplicio,
 quia & ipsi origine serui. *Iustinus XVIII. 3. C.*
 19. *Condita ab Agenore*] Agenor Cadmi, Phoenicis
 & Europae pater. C. *litteras prima aut docuit*]
 quia Cadmus, conditoris filius, in Graeciam illas primus
 importauit. C.

20 aut didicit. Coloniae certe eius paene orbe toto diffusae sunt: Carthago in Africa, in Boeotia Thebae, Gades ad Oceanum. Credo libero commeantes mari, saepiusque adeundo ceteris incognitas terras; elegisse sedes inuenti qua tunc abundabant: seu quia crebris motibus terrae, nam hoc quoque traditur, cultores eius fatigati, noua & externa domicilia armis sibimet quaerere cogebantur. Multis ergo casibus defuncta, & post excidium renata, nunc tamen longa pace cuncta refouente, sub tutela Romanae mansuetudinis adquiescit.

20. Coloniae diffusae sunt] praecipuae ex multis tantummodo nominantur: Addi possunt Vica apud Melam I. 7. & Leptis, Hippon, Adrumetum, aliae, apud Sallustium Iugurth. c. 19. Adde Velleium I. 2. C. sub tutela mansuetudinis Romanae] Tyrios, instaurata vrbe, Syriae reges libertate donauerant, quam Romani confirmarunt, Strab. XVI. Seuerus tandem ius Italicum adiecit, Digest. de censib. Lege I. & VIII. C.

CAP. V.

Darii iterata de pace ad Alexandrum submissior legatio, qua repudiata, Graeci Alexandrum corona aurea donant: ille autem, per praefectos, multas in potestatem suam redigit prouincias.

3 **I** SDEM ferme diebus Darii litterae adlatæ sunt, tandem vt regi scriptæ. Petebat

I. vt regi scriptæ] adscripto regis nomine, quod superiori epistola omiserat. Vide Cap. I. C.

huius filiam suam, Satyrae erat nomen, nuptiis
 Alexander sibi adiungeret. Dotem fore omnem
 regionem inter Hellespontum & Halyn amnem
 sitam; inde Orientem spectantibus terris conten-
 tum se fore. Si forte dubitaret quod offerretur
 accipere: **NUMQUAM** diu eodem vestigio
 stare fortunam; semperque homines, quantam-
 cumque felicitatem habeant, invidiam tamen
 sentire maiorem. Vereri, ne se autum modo, quas
 naturalis leuitas ageret ad sidera, inani ac puerili
 mentis adfectu offerret. Nihil difficilius esse, quam
 in illa aetate tantam capere fortunam. Multas
 se adhuc reliquias habere; nec semper in angustiis
 posse deprehendi: transundum esse Alexandro
 Euphratem, Tigrimque & Araxem, & Hyda-
 spem, magna munimenta regni sui: veniendum
 in campos, ubi paucitate suorum erubescendum

inter Hellespontum & Halyn] vetus Lydorum re-
 gnum, quod Croeso Persae ademerant. C. 2. in-
 vidiam sentire maiorem] Velleius I. 9. Asfidua emi-
 nentis fortunae comes invidia & altissimisque adhae-
 ret. C. 3. in illa aetate] aetate iuuenili, quae
 imprudentius plerumque agit, & facile fortunam suam
 praecipitat. C. capere] perferre, tolerare. Das
 Glück oder gute Tage ertragen. S. 4. Araxem
 & Hydaspem] Araxes Armeniae & Mediae fluius:
 alius Persidis, sed qui verius Aroses vocatur. Vide
 Salmasii exercit. in Solinum p. 703. Hydaspes autem
 Indiae fluius, Persarum regni munimentum nequa-
 quam dici potuit. An ergo lapsus est Curtius, ut saepe
 in Geographia? At Virgilius etiam Medus Hydaspes,
 Georg. IV. v. 211. Incerti de hoc veteres. Hinc fabu-
 losus Hydaspes Horatio I. od. 22. C.

- 5 sit. *Mediam, Hyrcaniam, Baëtra, & Indos Oceani accolis quando aditurum? vel Sogdianos & Arachosios, nomine tantum notos, ceterasque gentes ad Caucasum & Tanaim pertinentes? Senescendum fore tantum terrarum vel sine proelio*
- 6 *obeunti. Se vero ad ipsum vocare desineret: nam-*
- 7 *que illius exitio esse venturum. Alexander iis illis, qui literas adtulerant, respondit, Darium sibi aliena promittere: quod totum amiserit, velle partiri. Doti sibi dari Lydiam, Ioniam, Æolidem, Hellesponti oram, victoriae suae praemia. leges autem a victoribus dici; accipi a victis. In viro statu ambo essent, si solus ignoraret, quam-*
- 8 *primum Marte decerneret. Se quoque quum transisset mare, non Ciliciam, aut Lydiam (quippe tanti belli exiguam hanc esse mercedem) sed Persepolim caput regni eius, Baëtra deinde, & Ecbatana, vltimique Orientis oram imperio suo destinasse. Quocumque ille fugere potuisset, ipsum sequi posse: desineret terrere fluminibus,*
- 9 *quem sciret maria transisse. Reges quidem inuicem haec scripserant. Sed Rhodii urbem suam*

5. *Sogdianos & Arachosios*] extremos Persici regni ad orientem populos. C. *ad Caucasum & Tanaim*] Caucasus mons in Colchide post Euxinum pontum: Tanais fluius Europam ab Asia determinans: vterque extra terras, quas Alexander petiturus erat. Sed notus error Curtii vel Alexandri militum, qui *Paropamisum* Caucasum, *Taxarem* Tanaim, vocauerunt. C. 8. *Persepolim, Baëtra, Ecbatana*] praecipuas vrbes regni Persici nominat, prouinciarum ditissimarum, *Persidis, Bactrianæ, & Mediae*, capita. C.

portus-

portusque dedebant Alexandro. Ille Ciliciam Socrati tradiderat : Philota regioni circa Tyrum iusso praefidere. Syriam quae Coele appellatur, Andromachō Parmenio tradiderat, bello quod supererat interfuturus. Rex Hephaestione Phoenicis oram classe praeteruehi iusso, ad urbem Gazam cum omnibus copiis venit. Iisdem fore diebus solemne erat ludicrum Isthmiorum, quod conuentu totius Graeciae celebratur. In eo concilio, ut sunt Graecorum temporaria ingenia, decernunt, ut duodecim legarentur ad regem, qui ob res pro salute Graeciae ac libertate gestas, coronam auream donum victoriae ferrent. Iidem paullo ante incertae famae captauerant auram, ut quocumque pendentis animos tulisset fortuna, sequerentur. Ceterum, non ipse modo

10. ad urbem Gazam] mari vicinam, in via, quae Hierosolymis in Aegyptum ferebat. C. 11. ludicrum Isthmiorum] Ex quatuor ludorum Graeciae generibus non vltimum fuit, quod in Isthmo apud Corinthum celebrabatur, de cuius solennitate vide sis Liuium XXXIII. 32. C. temporaria ingenia] Temporarius est temporibus aptus, & pro illorum mutatione varius & mutabilis. Sic Seneca epist. IX. temporarias amicitias vocat temporibus accommodatas, cum iis manentes, abeuntes. De Graecorum autem lenitate Cicero consulatur pro Flacco cap. IV. C. coronam auream] Repete, quae diximus ad huius libri cap. 2. num. 2. C. 12. pendentis animos] quocumque dubios animos fortuna & felicior euentus adduxisset. Nam si Darius vicisset, deserturi erant partes Macedonum: his autem praeter expectationem felicibus gratulantes, vere temporibus seruiunt. C.

rex obibat vrbes, imperii iugum adhuc recusantes; sed praetores quoque ipsius, egregii duces,
 14 pleraque inuaserant. Calas Paphlagoniam, Antigonus Lycaoniam: Balacrus, Idarne praetore Darii superato, Miletum cepit: Amphoterus & Hegelochus centum sexaginta nauium classe insulas inter Achaiam atque Asiam in ditium
 15 onem Alexandri redegerunt. Tenedo quoque recepta, Chium, incolis vltro vocantibus, statuerant occupare: sed Pharnabazus Darii praetor, comprehensus qui res ad Macedones trahebant; rursus Apollonidi & Athenagorae suarum partium viris, urbem cum modico praesidio militum
 16 tradit. Praefecti Alexandri in obsidione urbis perseverabant; non tam suis viribus, quam ipsorum qui obsidebantur voluntate. Nec fellit opinio. namque inter Apollonidem & duces militum orta seditio, inrumpendi in urbem
 17 occasionem dedit. Quumque porta effracta cohors Macedonum intrasset; oppidani, olim consilio proditionis agitato, adgregant se Amphotero & Hegelocho; Persarumque praesidio caeso, Pharnabazus cum Apollonide & Athenagora
 18 vincti traduntur. Duodecim triremes cum suo milite ac remige; praeter eas triginta

14. *Miletum cepit*] immo recepit antea captam: postea vi vel defectione ad Persas reductam. Vide Suppl. II. 7. C. 15. *Tenedo quoque recepta*] Tenedos insula ex aduerso Troiae. Lectio quam expressimus, est Gronouii Observ. II. 8. quam etiam Tellierus sequutus fuit. C.

naues & piratici lembi, Graecorumque tria millia
 a Persis mercede conducta. his in supplemen-
 tum copiarum suarum distributis; piratisque
 supplicio adfectis: captiuos remiges adiecere
 classi suae. Forte Aristonicus, Methymnaeo-19
 rum tyrannus, cum piraticis nauibus, ignarus
 omnium quae ad Chium acta erant, prima vigi-
 lia ad portus claustra successit: interrogatusque
 a custodibus *quis esset? Aristonicum ad Pharna-
 bazum venire* respondit. Illi *Pharnabazum* 20
quidem iam quiescere, & non posse tum adiri;
ceterum patere socio atque hospiti portum, &
postero die Pharnabazi copiam fore adfirmant.
 Nec dubitauit Aristonicus primus intrare: se-
 quuti sunt ducem piratici lembi. ac dum adpli-21
 cant crepidini portus, obiicitur a vigilibus clau-
 strum; & qui proximi excubabant, ab iisdem

18. *piratici lembi*] Lembus nauigium paruum,
 sed velocissimum, quo genere piratae in primis ute-
 bantur. C. 19. *Methymnaeorum tyrannus*] *Methymna*
 vrbs Lesbi insulae. C. Vide ad Nepotem.
 1.8.3. S. 20. *copiam fore*] Pro sublata mate-
 ria haec phrasis diuersas habet significaciones. Hoc
 loco *copiam facere* est *alicui aditum concedere*, vt
 colloqui cum eo possimus. Quando autem de mere-
 tricibus dicitur, est idem, quod *aliquem admittere*. S.
 21. *crepidini portus*] Scholiastes Iuuenalis ad Satyr.
 V. v. 8. *Crepido*, inquit, *est ora terrae, quam aqua*
adluit, ex hoc adpellata, quod ibi aqua adlidens con-
crepiter. Adde nostrum V. 1. 28. C. *claustrum*]
 notat omne id, quo aliqui *claudi* potest. Portum au-
 tem claudere praecipue solent catena, ne ex eo naues
 euadere possint. Ergo *claustrum* h. l. pro *catena* usur-
 patur, S.

excitantur: nulloque ex his auso repugnare; omnibus catenae iniectae sunt. Amphotero
 2 2 deinde Hegelochoque traduntur. Hinc Macedones transire Mitylenem, quam Chares Atheniensis nuper occupatam, duorum millium Persarum praesidio tenebat: sed quum obsidionem tolerare non posset; vrbe tradita pactus, vt incolumi abire liceret, Imbrum petit. deditis Macedones pepercerunt.

22. *Mitylenem*] primariam urbem Lesbi. *C. Imbrum petit*] Imbrus Chersoneso Thraciac opposita insula in Aegaeo. *C.*

CAP. VI.

Ad bellum sese accingit Darius. Alexander Gazam expugnat: eiusque praefectum Betim crudeli afficit supplicio.

1 **D**ARIUS desperata pace, quam per litteras
 legatosque impetrari posse crediderat; ad
 2 reparandas vires, bellumque impigre renouandum intendit animum. Duces ergo copiarum Babyloniam conuenire; Bessum quoque, Bactrianorum ducem, quam maximo posset exercitu

2. *quam maximo*] vulgo *perquam maximo*. sed Gronouio auctore *per* abiecinus, qui etiam mauiit praetorum, quam *ducem*, & ex *PR.* breuiata praetoris nota, insulsum *per* librariorum prouenisse existat, Perizonius tamen ad Minerv. p. 1537. defendit vulgare *perquam maximo*, quem videas. *C.*

coacto, descendere ad se iubet. Sunt autem 3
 Bactriani inter illas gentes promptissimi; horri-
 dis ingeniis, multumque a Persarum luxu abhor-
 rentibus; siti haud procul Scytharum bellico-
 sissima gente, & rapto vivere adfueri: semperque
 in armis errant. Sed Bessus suspecta perfidia, 4
 haud sane aequo animo in secundo se continens
 gradu, regem terrebat. nam quum regnum ad-
 fectaret; proditio, qua sola id adsequi poterat,
 timebatur. Ceterum Alexander, quam regio- 5
 nem Darius petiisset; omni cura vestigans, tamen
 explorare non poterat: more quodam Persarum,
 arcana regum mira celantium fide. non metus, 6
 non spes elicit vocem qua prodantur occulta.
 vetus disciplina regum silentium vitae periculo
 sanxerat. lingua grauius castigatur quam vllum
 probrum: NEC magnam rem sustineri posse
 credunt ab eo, cui tacere graue sit; quod homi-

3. rapto vivere adfueri] Ita Tanaq. Faber emen-
 dauit epist. LI. Vulgo legitur *adsueta*. C. in ar-
 mis errant] vagantur, praedabundi discurrunt C.
 4. Bessus suspecta perfidia] suspectae perfidiae ho-
 mo. C. in secundo gradu] proximo a regis fa-
 stigio. Supremum enim gradum siue regnum adfecta-
 bat. C. 5. arcana mira celantium fide] Ammi-
 anus XXI. 26. *Apud Persas nemo consiliorum est con-
 sciens, praetor optimates taciturnos & fidos, apud
 quos Silentii quoque colitur numen.* C. 6. vetus
 disciplina] veteres Persarum Reges homines suos poe-
 na mortis eo adegerunt, vt silentium seruare didice-
 rint. S. lingua] vitia linguae, & inter ea arca-
 norum detectio. S.

7 ni faci limum voluerit esse natura. Ob hanc
causam Alexander omnium, quae apud hostem
gererentur, ignarus, urbem Gazam obsidebat.
Praeerat ei Betis, eximiae in regem suum fidei;
modicoque praesidio muros ingentis operis tue-
8 batur. Alexander aestimato locorum situ, agi
cuniculos iussit; facili ac leui humo acceptante
occultum opus: quippe multam arenam vicinam
mare euomit: nec saxa cotesque, quae inter-
9 pellent specus, obstabant. Igitur ab ea parte,
quam oppidani conspicerere non possent, opus
orsus; ut a sensu eius auerteret, turres muris
admoueri iubet. Sed eadem humus admouen-
dis inutilis turribus, deficiente sabulo agilitatem
rotarum morabatur, & tabulata turrium perfrin-
gebat; multique vulnerabantur impune, quum

7. ei] Gazae urbi. S. regem suum] Dari-
um. S. 8. agi cuniculos] subterraneas fossiones,
a leporibus, qui cauernas sub terris fodiunt, deducto
nomine. Vide Vegetium IV. 24. & nostrum IX. 8. 13.
14 C. Hodie vocamus sappiren. S. interpel-
lenti specus] impediunt, quo minus recte fodi cuniculi
vel specus possint. S. 9. deficiente sabulo] facile
se a rotis curruum deprimi patente. S. agili-
tatem rotarum] Turres ligneas ad oppugnandum
factas, supra in obsidione Tyriorum visibus vidimus.
Tales machinae erant mobiles, & rotarum agilitate
muis admouebantur. Lilius XXI. c. XI. Ipse Han-
nibal qua turris mobilis, omnia munimenta urbis
superans altitudine agebatur, hortator aderat, quae
quum admota, catapultis ballistisque per omnia tabu-
lata dispositis, muros defensoribus nudasset. Sc. C.
impune] quippe qui nondum ex turribus hostes laese-
rant. S.

idem

idem recipiendis, qui admouendis turribus labor eos fatigaret. Ergo receptui signo dato, postero die muros corona circumdari iussit. Ortoque sole, priusquam admoueret exercitum; opem deum exposcens, sacrum patrio more faciebat. Forte praeteruolans coruus glebam, quam vngui- bus ferebat, subito amisit; quae quum regis capiti incidisset, resoluta defluxit: ipsa autem auis in proxima turre confedit. Inlita erat turris bitumine ac sulphure: in qua alis haerentibus, frustra se adleuare conatus a circumstantibus capitur.

10. *receptui signo dato*] Buccina signum dabatur receptui, hoc est vt milites in hostem progressi se reciperent redirentque. Hinc est *receptui cancre* apud Caesarem VII. 47. & Hirtium Alexandr. 47. *Corona circumdari*] cingi vndiquaque militibus, vt nullus exitus aditusue pateret. Erat autem genus oppugnationis subitae, & corona vel simplex, hoc est vna series militum, vel spissa, id est duplicata. Silius lib. XIII. v. 140.

Moenia flexa sinu, spissâ vallata corona

Adligat, & telis in morem indaginis ambit. C.

11. *resoluta defluxit*] in partes diuisa decidit. *S. bitumine ac sulphure*] Quum turres omni cura & studio contra ignem hostilem defendendae fuerint, quis vsus bituminis ac sulphuris? Sunt qui *alumine ac puluere* malunt; aut lapideam potius siue latericiam, bitumine ac sulphure pro calce adhibitis; quam ligneam ac mobilem molem intelligunt. Vtrumque durum, Telliero ergo Curtius hallucinatus videtur, quum Plutarchus p. 678. *νευρίοις κερυφάλοις, reticulis ex neruo factis*, quibus ad versandos funes utebantur, scribat auem irretitam esse. C.

- 12 Digna res visa, de qua vates consulerentur, & erat non intactus ea superstitione mentis. Ergo Aristander, cui maxima fides habebatur, *urbis quidem excidium augurio illo portendi, ceterum, periculum esse*, inquit, *ne rex vulnus acciperet.*
- 13 itaque monuit, ne quid eo die inciperet. Ille quamquam vnam urbem sibi, quo minus securus Aegyptum intraret, obstare aegre ferebat; tamen paruit vati, signumque receptui dedit. Hinc animus crevit obsessis: egressique porta recedentibus inferunt signa; cunctationem hostium
- 14 fore suam occasionem rati. Sed acrius, quam constantius proelium inierunt: quippe ut Macedonum signa circumagi videre, repente sistunt gradum. Iamque ad regem proeliantium clamor peruenerat; quum denunciari periculi haud sane memor, lorica tamen, quam raro induebat, amicis orantibus sumpsit: & ad prima signa
- 15 peruenit. Quo conspecto Arabs quidam Darii miles, maius fortuna sua facinus ausus, clypeo

12. non intactus] Tangi est commoueri. Liuius 3.
 17. Si vestri nulla cura tangit. Non intactus ergo est: commotus erat Alexander ea superstitione, qua scilicet putabat volatum avis aliquid sibi portendere. S.
 13. quo minus securus Aegyptum] Gaza, quasi clavis Aegypti, si in Persarum potestate mansisset, aditum reditumque Macedonum incommodare potuisset. C.
 14. signa] vexilla, quae circumagebantur, quando exercitus contra hostes ibat. S. Loricam] pectorale, quibus milites pectus tegebant quod plerumque erat ex ferro. S. 15. maius fortuna sua facinus] Nam ille miles erat tenuioris sortis; Regem autem occidere magnum quid est. S.

gladium

gladium tegens, quasi transfuga genibus regis aduoluitur. ille adsurgere supplicem, recipique inter suos iussit. At gladio barbarus strenue in 16 dextram translato, ceruicem adpetit regis: qui exigua corporis declinatione euitato ictu, in vanum manum barbari lapsam amputat gladio, denunciato in illum diem periculo, vt arbitrabatur ipse, defunctus. Sed vt opinor, INEVI-17 TABILE est fatum. quippe dum inter primores promptius dimicat, sagitta ictus est: quam per lorica madactam, stantem in humero medicus eius Philippus euellit. Plurimus deinde 18 sanguis manare coepit; omnibus territis, quia nunquam tam alte penetrasse telum, lorica obstante, cognouerant. ipse nec oris quidem 19 colore mutato, suppressi sanguinem, & vulnus obligari iussit. Diu ante ipsa signa vel dissimulato, vel victo dolore perstiterat; quum suppressus paullo ante sanguis medicamento, manare latius coepit: & vulnus quod recens adhuc dolorem non mouerat, frigente sanguine intumuit. Linqui deinde animo, & submitti genu coepit: quem proximi exceptum in castra rece-

16. *exigua corporis declinatione*] Cicero 1. Cati-
lin. cap. VI. *Quot ego tuas petitiones ita coniectas;*
vt vitari posse non viderentur parua quadam decli-
natione, & vt aiunt, corpore effugi? Et nos VI.
1. 4. *alia tela clypeo excipiebat; corpore alia vita-*
bat. C. in vanum manum lapsam] manum quam
ille frustra in regem illabi siue rat, vt cum adgrede-
retur, S.

perunt.

- perunt. & Betis interfectum ratus urbem uans
 21 victoria reperit. At Alexander nondum per-
 curato vulnere, aggerem, quo moenium altitu-
 dinem aequaret, exstruxit; & pluribus cunicu-
 22 lis muros subruui iussit. Oppidani ad pristinum
 fastigium moenium nouum exstruere munimen-
 tum: sed ne id quidem turres aggeri impositas
 aequare poterat. itaque interiora quoque urbis
 23 infesta telis erant. Vltima pestis urbis fuit cuni-
 culo subrutus murus; per cuius ruinas hostis
 intrauit. Ducebat ipse rex antesignanos; &

20. *Et Betis*] praefectus praefidii Persici, urbi
 Gazae impositi, *supra num. 7.* qui iam eruptionem
 fecerat. *num. 13. C.* 21. *aggerem, quo moenium
 altitudinem*] In poliorceticis operibus etiam agger
 erat, terreus quidam, & alia materie mixta, mons &
 eleuatio, quem paulatim aduersus urbem producebant,
 ut ex alto pugnarent, & turres ibi ac tormenta consti-
 tuerent. Cicero ad Attic. V. 20. *oppidum cinximus
 vallo & fossa; aggere maximo, vincis, turre altis-
 sima, magna tormentorum copia negotium confecimus.*
 Caesar. Civ. II. c. 1. *vimina materiaeque comportari
 iubet: quibus comparatis rebus aggerem in altitu-
 dinem pedum LXXX. exstruit. C.* 22. *nouum
 munimentum*] tale hodie vocamus *eine Katze*, Gal-
 lice, *Cauallier*. S. *interiora urbis infesta telis*]
 hoc est *infestata* missilibus Macedonum: *Infestus* enim
 non solum eum qui infestat, sed etiam non tutum atque
 infestatum sonat. Gellius IX. 12. pro hac nozione
 adfert ex principio Cic. pro Planc. *si huius salus ob
 eam ipsam causam esset infestior, additque veteres
 plerosque dixisse infestum, cui alter infestus est. C.*
 23. *antesignanos*] eos milites, qui ante signa s. vexilla
 stabant. Nam vexillum in medio agminis vel legionis
 erat. S,

dum incautius subit, saxo crus eius adfligitur. innixus tamen telo, nondum prioris vulneris²⁴ obducta cicatrice inter primores dimicat: ira quoque accensus; quod duo in obsidione urbis eius acceperat vulnera. Betim, egregia edita²⁵ pugna, multisque vulneribus confectum deseruerant sui; nec tamen segnius proelium capebat, lubricis armis suo pariter atque hostium sanguine. Sed quum vndique^{***} adducto, info-²⁶ lenti gaudio iuuenis elatus, alias virtutis etiam in hoste mirator, *non ut voluisti, inquit, morieris Beti: sed quidquid tormentorum in captiuum inueniri potest, passurum esse te cogita.* Ille non²⁷ interrito modo, sed contumaci quoque vultu intuens regem, nullam ad minas eius reddidit vocem. Tum Alexander, *videtisne obstinatum²⁸ ad tacendum, inquit, num genu posuit? num supplicem vocem misit? Vincam tamen silentium, & si nihil aliud, certe gemitu interpellabo.*

24. telo] *hastae.* Telum quippe generale vocabulum est, & omnia instrumenta offensiva & defensiva notat. Exempla collegi ad Iuuenicum 3. 722. S. 25. *lubricis armis*] dum arma eius tum suo tum hostium sanguine madefacta & lubrica erant. S. 26. *Sed quum vndique*] Mutilatum locum ita Freinshemius in integrum putat restitui: Sed quum vndique *vnus omnium telis peteretur, ad postremum, exhaustis viribus, viuis in potestatem hostium peruenit, quo ad regem adducto &c.* Vulgo sine suspitione mutilationis: *quum vndique telis est circumductus, & mox virtutes miratur vel miratus.* Sed praestat in his etiam laudati viri iudicium sequi. C. 28. *interpellabo*] Ita MSS, & excusi ante Modium, obseruante Gronouio

Ira

- 29 Ira deinde vertit in rabiem : iam tum peregrinos ritus nova subeunte fortuna. Per talos enim spirantis lora traiecta sunt ; religatumque ad currum traxere circa urbem equi : gloriantem rege, Achillem, a quo genus ipse deduceret, imitatum
- 30 se esse poena in hostem capienda. Cecidere Persarum Arabumque circa decem millia : nec Macedonibus incruenta victoria fuit. Obsidio certe non tam claritate urbis nobilitata est, quam geminato periculo regis. qui Aegyptum adire festinans, Amyntam cum decem triremibus in Macedoniam ad inquisitionem novorum militum misit. Namque proeliis etiam secundis adterebantur copiae ; devictarumque gentium militi minor, quam domestico, fides habebatur.

III. 22. Vulgo *interpolabo*. At *interpolatur*, quod in aliam formam mutatur : quod continuatum abrum-pitur, id vero *interpellatur*. C. 29. *vertit*] Alexandrum puta. S. *spirantis*] adhuc *vinentis*. S. *Achillem imitatum se*] qui Hectorem victum & enecatam traiectis per talos loris, circum Troiana moenia raptauerat. Virgilius *Aen. II.* de Hectore

Raptatus bigis - - aterque cruento

Pulvere, perque pedes traiectus lora tumentes, C.

a quo genus deduceret] Vide Supplementa lib. I. num. II. C. 30. *ad inquisitionem*] Vide VII. 1. 37. C. 31. *proeliis secundis*] *prosperis, felicibus*. Cic. pro Lege Man. cap. IX. *Noster exercitus etsi proeliis usus erat secundis. C. minor fides*] Noster infra VII. 8. 28 sub Scytharum persona ad Alexandrum ; *Quos viceris, amicos tibi esse cave credas. C.*

CAP. VII.

*Profectio ad Iouis Hammonis oraculum, & varia
Alexandri quaesita.*

AEGYPTII olim Persarum opibus infensi, 1
quippe auare & superbe imperitatum sibi
esse credebant; ad spem aduentus eius crexerant
animos: utpote qui Amyntam quoque trans-
fugam, & cum precario imperio venientem laeti
recepissent. Igitur ingens multitudo Pelusium, 2
qua intraturus rex videbatur, conuenerat. Atque
ille septimo die, posteaquam a Gaza copias
mouerat, in regionem Aegypti, quam nunc
Castra Alexandri vocant, peruenit. Deinde, 3
pedestribus copiis Pelusium petere iussis, ipse
cum expedita delectorum manu Nilo amne
vectus est: nec sustinere aduentum eius Persae;
defectione quoque perterriti. Iamque haud 4
procul Memphi erat: in cuius praesidio Mazaces

1. *Aegyptii olim*] iamdiu Persarum potentiae in-
tensi & tyrannidis pertaesi. C. *cum precario im-*
perio] quod ex arbitrio aliorum pendeat. Idem IX.
2. *extr. dixit precario imperatorem esse*, qui non
quo ipse, sed quo milites volunt, cogitur ducere. C.
2. *Pelusium*] urbem Aegypti maritimam, ad ostia
Nili sitam. S. 2. *Castra Alexandri*] Locus hic
non potest esse, quem Ptolemaeus vocat τὴν Ἀλεξάνδρῃς
παρεμβολήν, quia eum non in aditu Aegypti ex Syria, ubi
hic fuit; sed in Hammonica regione proxime oppidum
Hammonem collocavit, quod contra quosdam com-
mentatores adnotare visum est. C.

praetor

- praetor Darii relictus, ocius amne superato,
 octingenta talenta Alexandro, omnemque re-
 5 giam supellectilem tradidit. A Memphi eodem
 flumine vectus, ad interiora Aegypti penetrat,
 compositisque rebus ita, vt nihil ex patrio Aegy-
 ptiorum more mutaret; adire Iouis Hammonis
 6 oraculum statuit. Iter expeditis quoque & pau-
 cis vix tolerabile ingrediendum erat: terra
 caeloque aquarum penuria est: steriles arenae
 iacent; quas vbi vapor solis accendit, feruido
 solo exurente vestigia, intolerabilis aestus exilit:
 7 luctandumque est non tantum cum ardore &
 siccitate regionis; sed etiam cum tenacissimo
 fabulo, quod praealtum & vestigio cedens, aegre
 8 moliuntur pedes. Haec Aegyptii vero maiora

4. *ocius amne superato*] vulgo monströse *Ortio*
amne, vel *Oxio*, qualis in Aegypto nullus est. Tel-
 lierius ex Freinshemii coniectura edidit *osio amnis*
superato, vt prope Pelusium occurrisse Mazaces in-
 telligatur, cui repugnant nostri verba. iam haud pro-
 cul Memphi fuisse, a qua vrbe longius & ostium abest,
 quodcumque intelligas; & Pelusium. Memphis enim
 Nilo apposita fuit ante diuortium & supra Delta regi-
 onem in ripa sinistra siue Africana. Oportuit ergo
 Nilum traicere, si vel modico spatio regi voluit obui-
 am venire. Scriptura autem, quam expressimus, Or-
 telii est, quem etiam Blancardus sequitur ad Arriani
 pag. 117. quidam simpliciter *amne superato*. C.
 5. *A Memphi*] vbi tum reliquis diis, tum Apidi sacri-
 ficauerat. gymnics quoque & musicis ludis editis,
Arrian. lib. III. incunte. C. 6. *terra caeloque*]
 Pariter Sallustius Iugurth. 17. de Africa: *caelo terra-*
que penuria aquarum. C. 8. *vero maiora*] ma-
 iora quam pro veritate, C.

iacta-

iactabant. Sed ingens cupido animum stimu-
 labat adeundi Iouem, quem generis sui aucto-
 rem haud contentus mortali fastigio, aut crede-
 bat esse, aut credi volebat. Ergo cum iis, quos 9
 ducere secum statuerat, secundo amne descendit
 ad Mareotim paludem. eo legati Cyrenensium
 dona adtulere, pacem, & vt adiret vrbes suas,
 petentes. Ille, donis acceptis, amicitiaeque
 coniuncta, destinata exsequi pergit. Ac primo 10
 quidem & sequenti die tolerabilis labor visus:
 nondum tam vastis nudisque solitudinibus adi-
 tis, iam tamen sterili & emoriente terra. Sed vt 11
 aperuere se campi alto obruti sabulo, haud secus
 quam profundum aequor ingressi, terram oculis
 requirebant. Nulla arbor, nullum culti soli 12
 occurrebat vestigium. aqua etiam defecerat,
 quam vtribus cameli deuexerant: & in arido
 solo ac feruido sabulo nulla erat. Ad haec soli 13
 omnia incenderat, siccaque & adusta erant

*mortali fastigio] regio genere, quod summum inter
 homines est. C. 9. secundo amne ad Mareotim]*
 per Nili alueum, qui Canobicum ostium efficit, vlti-
 mum ab occasu solis. Mareotis autem palus illi ostio
 vicina est. C. *legati Cyrenensium]* ex vrbe
 Cyrene, praecipua in Pentapolitana Africa, vltra
 Hammonis oraculum sita. C. *10. emoriente]*
 idem quod praecedens *sterili*. Nam terra quae fru-
 ctus fert, quasi vitam aliquam & vim vitalem in se ha-
 bere ostendit, quae vero nihil fert, non vitalis est, sed
mortua. S. 11. terram oculis requirebant] cir-
 cumspiciebant oculis suis quasi in mari constituti, vbi
 nam terra esset, S.

omnia;

omnia; quum repente, siue illud deorum munus,
 siue casus fuit; obductae caelo nubes condidere
 solem: ingens aestu fatigatis, etiamsi aqua defi-
 14ceret, auxilium. Enim vero, vt largum quoque
 imbrem excusserunt procellae; pro se quisque
 excipere eum, quidam ob sitim impotentes sui,
 15ore quoque hianti captare coeperunt. Quatri-
 duum per vastas solitudines absumptum est.
 Iamque haud procul oraculi sede aberant; quum
 complures corui agmini occurrunt, modico vo-
 latu prima signa antecedentes: & modo humi
 residebant, quum lentius agmen incederet;
 modo se pennis leuabant, antecedentium iterque
 16monstrantium ritu. Tandem ad sedem conse-
 cratam deo ventum est. Incredibile dictu, inter
 vastas solitudines sita, vndique ambientibus
 ramis, vix in densam vmbra cadente sole con-
 tacta est; multique fontes dulcibus aquis passim

17. *deorum munus siue casus*] Arrianus III. p. 159.
 ἀνυπέχθη ἐς τὸ θεῖον, pro prodigio habitum fuit. Co-
 18. *etiamsi aqua deficeret*] Tanaquillus Faber epist. LI.
 legendum arbitratur, *etiamsi aqua non deficeret*.
 Planior sane sensus est & efficacior, si Non inuenitur,
 quia iam num. 12. dictum fuit, *aqua defecerat*, cuius
 simplici repetitione heic opus non erat. C. 14 vt]
 postquam. S. *impotentes sui*] non poterant se
 tamdiu continere, donec, vt alii, aquam in virem
 aut aliud vas colligerent, sed statim os aperiebant, vt
 incideret pluuia. S. 15. *complures corui*] Ari-
 stobulo apud Arrianum p. 161, tantum κέρατες δύο ἀνο-
 19. *corui*; Ptolomaeo ibidem δράκοντες δύο, duo dracones
 itinercis duces fuerunt, C.

manantibus alunt silvas. Caeli quoque mira
 temperies, verno tempori maxime similis, omnes
 anni partes pari salubritate percurrit. Accolae
 sedis sunt ab oriente proximi Aethiopum, in
 meridiem versus Arabes spectant, Troglodytis
 cognomen est: quorum regio vsque ad rubrum
 mare excurrit. at qua vergit ad occidentem; 19
 alii Aethiopes colunt, quos Scenitas vocant: a
 septentrione Nasamones sunt gens Syrtica, nau-
 giorum spoliis quaestuosa. quippe obsident 20

18. *Accolae sedis proximi*] Et gentium nomina, &
 situm plagarum turbavit Curtius. Nulli heic sunt
 proximi Aethiopes: nec Arabes Troglodytae a meri-
 die, sed ab ortu potius, interiectis, quae hinc ad sinum
 Arabicum habitant, gentibus: longo quoque spatio
 ab Hammone distant Syrticae gentes, nauigiorum spo-
 liis quaestuosae. *Consule geographos. C. in*
meridiem versus] multi libri habent *versis*, atque ita
 etiam Erasinus. Bruno, alii, vulgarunt. *C. Tro-*
glodytae] nomen cauernarum habitatores sonat, qua-
 les non modo ad Arabicum sinum, Aethiopiam versus,
 sed in Mauritania etiam, ac Scythia memorantur.
 Noster primos quidem & proprios intellexit, qui
 vero longius ab Hammonis oraculo remoti sunt. *C.*
 19. *Aethiopes Scenitas*] Tellierus *Simos* habet, non
Scenitas. Libri enim *Symnos*, *Symnuos* aut similiter
 efferunt, ex quibus propius facies *Simos*, quam *Sceni-*
zas. Simi autem Aethiopum colonia apud Photium
 Cod. CCL. p. 736. *C. Nasambnes*] *Νασάμωνα*
 quidem Ptolemaeus circa Marmaricam locat, sed ibi
 nullae Syrtis: Strabo lib. XVII. Plinius V. 5. Silius
 l. 408. Lucanus IX. 441. Syrtibus subiiciunt, earum-
 que *populatores* vocant, verum sic longiuscule remo-
 uentur ab Hammone. *C. nauigiorum spoliis quae-*
stiosa] Ad Lucanum c. l. *C.*

littera,

littora, & aestu destituta nauigia notis sibi vadis occupant. Incolae nemoris, quos Hammonios vocant, dispersis tuguriis habitant: medium nemus pro arce habent, triplici muro circumdatum.

- 21 Prima munitio tyrannorum veterum regiam claudit: in proxima coniuges eorum cum liberis & pellicibus habitant; hic quoque dei oraculum est: vltima munimenta satellitum armigerorumque sedes erant. Est etiam aliud Hammonis nemus: in medio habet fontem, aquam Solis vocant: sub lucis ortum tepida manat; medio die, quum vehementissimus est calor, frigida eadem fluit; inclinato in vesperam calefcit; media nocte feruide exaestuatur; quoque propius nox vergit ad lucem, multum ex nocturno calore decrefcit; donec sub ipsum diei ortum
- 23 adfueto tepore languescat. Id quod pro deo colitur, non eandem effigiem habet, quam vulgo

21. *tyrannorum veterum*] Vulgo *veterem*. Reſe Sebifius veterem substituit. Curtius enim Diodori verba XVII 50. expressit, τῶν ἀρχαίων θυνασῶν βασιλεία. C. 22. *aquam solis vocant*] forsā quem pronomen excidit, quem *aquam solis vocant*. De loco fontis dissentiunt auctores. Plinius II. 103. in Troglodytis reponit: at idem V. 5. & Mela I. 8. in Cyrenaica: Ptolemaeus prope Maream paludem: Lucanus IX. 512. in Garamantibus. De causa miraculi, Lucretium VI. 348. inspicias. C. *inclinato*] sc. die. S. 23. *non eandem effigiem*] non humanam, qua vulgo dii repraesentantur. C.

diis artifices adcommo-
dauerunt : umbilico ma-
xime similis est habitus , smaragdo & gemmis
coagmentatus. Hunc, quum responsum petitur, 24
nauigio aurato gestant sacerdotes ; multis argen-
teis pateris ab utroque nauigii latere pendentibus
sequuntur matronae virginesque patrio more
inconditum quoddam carmen cantantes, quo
propitiari Iouem credunt ; vt certum edat ora-
culum. At tum quidem regem propius adeun- 25
tem maximus natu e sacerdotibus filium adpel-
lat ; hoc nomen illi parentem Iouem reddere affir-
mans. Ille se vero ait, *Et accipere, Et agnoscere ;*
humanae fortis oblitus. Consuluit deinde, an 26
totius orbis imperium fati sibi destinaret pater ?
vates, aequae in adulationem compositus, terra-

umbilico similis est] Ita, vt hodie legunt plerique,
etiam Erasmus vulgauerat. Insertum posthac fuit *renus*
arieti, contra librorum fidem, qui ne vestigium quidem
huius additamenti habent. Vulgatae scripturae sensus,
informem rem forte lapidem, umbilici vel eminentiae
rotundae figura, pro deo cultam esse, sicut rotundum
lapidem Syri pro deo Elagabalo, *Herodian. V. 3.* Ara-
bes quoque informem lapidem, & Pessinuntii silicem
coluerunt, *Arnob. VI. p. 196.* Ingeniose ad Melam. I.
8. Isaacus Vossius, quem Tellierus sequitur, *umbriculo*
legit pro *umbilico*, diminuta voce ab *umber*, quod spu-
rium genus ouium est, ex oue & musmone genitum, villo
caprino & cornibus in anticam partem reflexis. Sic
enim cum nummorum figuris, & poetarum *cornigero*
Hammone bene conuenit. Adde *Arnob. VI. p. 197. C.*
24. *Hunc*] *umbilicum. S.* 25. *regem*] *Alexan-*
drum. S.

- 27 *rum omnium rectorem fore ostendit. Post haec institit quaerere, an omnes parentis sui interfectores poenas dedissent? Sacerdos parentem eius negat vilius scelere posse violari: Philippi*
- 28 *autem omnes interfectores luisse supplicia. adiecit; inuictum fore, donec excederet ad deos. Sacrificio deinde facto, dona & sacerdotibus & deo data sunt; permissumque amicis, ut quoque consulerent Iouem. Nihil amplius quaesuerunt, quam, an auctor esset sibi diuinis honoribus colendi suum regem? Hoc quoque acceptum fore Ioui vates respondit: Et ipsi victorem regem*
- 29 *diuino honore colerent. Vere & salubriter aestimanti fidem oraculi vana profecto responsa videri potuissent: sed FORTVNA, quos vni sibi credere coegit, magna ex parte auidos gloriae*
- 30 *magis, quam capaces facit. Iouis igitur filium se non solum adpellari passus est; sed etiam iussit; rerumque gestarum famam, dum augere vult,*
- 31 *itali adpellatione corrumpit. Et Macedones, adfueti quidem regio imperio, sed maiore libertatis umbra, quam caeterae gentes; immortali-*

27. poenas dedissent] poenas passi essent. Vide ad Nepotem I. 3. 5. S. 28. an auctor esset] an suadere vel permitttere vellet. S. 29. Vere & salubriter aestimanti] Communi haec sententia dicuntur, sed ipsum Alexandrum respiciunt, quem feliciores successus ita corruperant, ut prae gloriae auiditate non videret, quae vera essent & salubria. C. auidos magis, quam capaces] non capaces gloriae, indigni sunt. C. 31. sed maiore libertatis umbra] Europaei impatientiores seruitutis, libertate

tatem

tatem adfectantem contumacius, quam aut ipsi expediebat, aut regi, auersati sunt. Sed haec suo 3 2
 quaeque tempori referuentur, nunc cetera ex-
 sequi pergam.

erepta haud facile in officio continentur, nisi imago
 illius atque species relinquatur. *Libertatis umbram*
 etiam Lucanus dixit lib. III. v. 146. C. 32 *suo*
quaeque tempori] quando infra de Philota, Callisthe-
 ne, Hermolao & horum similibus, quos supplicio
 Alexander adfecit, agetur, C.

CAP. VIII.

*In Aegypto Alexandria condita: variaeque Alexan-
 dri bellicae expeditiones.*

ALEXANDER ab Hammoneadiens, ut
 a mari ad Mareotim paludem, haud pro-
 cul insula Pharo sitam, venit; contemplatus loci
 naturam, primum in ipsa insula statuerat urbem
 nouam condere. Inde, ut apparuit, magnae 2
 sedis insulam haud capacem; elegit urbi locum
 ubi nunc est Alexandria, adpellationem trahens
 ex nomine auctoris. Complexus quidquid loci
 est inter paludem & mare, octoginta stadiorum
 muris ambitum destinatus; &, qui aedificandae
 urbi praecessent, relictis, Memphim petiit.

2. *locum ubi nunc est*] paullo supra Canobicum osti-
 um. quod Nili vltimum ab occasu est inter paludem
 Mareotim & mare, iuxta Pharum insulam. C. 3
qui] Ordo: 3 relictis iis, qui aedif. ur. pr. S.

- 3 Cupido, haud iniusta quidem, ceterum intempestiua inceserat, non interiora modo Aegypti, sed etiam Aethiopiam inuisere. Memnonis Tithonique celebrata regia cognoscendae vetustatis auidum trahebat paene extra terminos
4 solis. Sed imminens bellum, cuius multo maior supererat moles; otiosae peregrinationi tempora exemerat. Itaque Aegypto praefecit Aeschilum Rhodium, & Peucesten Macedonem; quatuor millibus militum in praesidium regionis eius datis.
5 claustra Nili fluminis Polemonem tueri iubet: triginta ad hoc triremes datae. Africae deinde, quae Aegypto iuncta est, praepositus Apollonius: vestigalibus eiusdem Africae, Aegyptique, Cleomenes. Ex finitimis vrbibus commigrare Alexandriam iussis, nouam vrbem

3. *Memnonis Tithonique regia*] Abydi fuit in superiore Aegypto siue Thebaide. *Strab. XVII.* Fuit autem Memnon, vt poetae fingunt, Tithoni ex Aurora filius, qui in auxilium Troianis profectus illo bello interierit & in Asia sepultus sit. *C.* *paene extra terminos solis*] Solis termini vtroque tropico continentur, qui vero nequeunt hoc loco intelligi, quod non vltra Capricorni tropicum, sed cis Cancris laudata regia fuit. Populatis ergo loquendi consuetudo est, de qua infra ad IV. 14. 24. plura trademus, adde Geographiae nostrae Antiquae appendicem. *C.* 4. *claustra Nili fluminis*] ostia & diuortia, ad quae navigatio coercetur. *C.* 5. *Africae, quae Aegypto iuncta est*] Veteribus enim Aegyptus in Asia est, cuius terminum in Catabarhmo vltra Aegyptum confitebant. *C.* *iussis*] subaudi hominibus, vel ciuibus quibusdam. *S.*

magna

magna multitudine impleuit. Fama est, quum 6
 rex vrbis futurae muros polenta, vt Macedonum
 mos est, destinasset; auium greges aduolasse &
 polenta esse pastas: quumque id omen pro tristi
 a plerisque esset acceptum; respondisse vates;
 magnam illam aduenarum frequentiam cultu-
 ram, multisque eam terris alimenta praebituram.
 Regem, quum secundo amne deflueret, adsequi 7
 cupiens Hector, Parmenionis filius, eximio
 aetatis flore, in paucis Alexandro carus, paruum
 nauigium conscendit; pluribus, quam capere
 posset, impositis. itaque merfa nauis omnes
 destituit: Hector, diu flumini obluetatus, quum 8
 madens vestis, & adstricti crepidis pedes natare
 prohiberent, in ripam tamen semianimis euasit;
 & vt primum fatigatus spiritum laxauit, quem
 metus & periculum intenderant, nullo adiuuante
 (quippe in diuersum euaserant alii) exanimatus

6. vrbis futurae muros polenta] Gronouius auctor
 huius lectionis. vulgo futuris muris polentam. Minus
 apte. *Destinare* autem est *designare*, vt num. 2, Cur
 vero *polenta*? Mos fuit, lineamenta condendae orbis
 alba terra vel creta designare, quae quum ibi defuisset,
 polenta seu hordeacea farina tam ambitus moenium,
 quam interiora vrbis descripta fuerunt. Plutarchus
 pag. 679. ἐκέλευσε διαγράψαι τὸ σχῆμα τῆς πόλεως,
 καὶ γὰρ μὲν ἔ παρὴν λευκῆ, τῶν δὲ ἀλλοτρῶν λαμβάνοντες
 ἐν πεδίῳ μελαγγεῖῳ &c. *Iussit formam vrbis deli-*
neari; quia vero creta ad manum non erat, polenta
vsq; in campo nigro. C. 7. deflueret] deuebe-
retur. S. in paucis] inter paucos illos erat,
qui Alexandro carierant. S.

9 est. Rex amissi eius desiderio vehementer ad-
 flictus est: repertumque corpus magnifico ex-
 tulit funere. Oneravit hunc dolorem nuncius
 mortis Andromachi, quem praefecerat Syriae:
 10 ovium Samaritae cremauerant. Ad cuius inter-
 itum vindicandum, quanta maxima celeritate
 potuit, contendit. aduenientique sunt traditi
 11 tanti sceleris auctores. Andromacho deinde
 Menona substituit: adfectis supplicio, qui prae-
 torem interemerant. Tyrannos, inter eos Me-
 thymnaeorum Aristonicum, & Chrysolauum,
 popularibus suis tradidit: quos illi e muris ob
 12 iniurias tortos necauerunt. Atheniensium de-
 inde, Rhodiorumque & Chiorum legatos audit.

9. *extulit*] solenne verbum de processione fune-
 bri. Vide Kirchmannum de funeribus Rom. 2. 1. S.
eneravit] maiorem & duriolem fecit. S. An-
andromachi, quem viuum Samaritae] Andromachus
 cap. 5. num. 9. Coelestriae praefectus dicitur, sub
 cuius imperio oportuit etiam Palaestinam fuisse. Sa-
 maria enim & vrbs (tunc quidem deserta) & regio era-
 inter Galileam & Iudaeam media. Itaque Credenus
 p. 124. Andromachum laxa voce τῶν τόπων ἐπιμελητὴν
 locorum illorum procuratorem vocat. Causa vero
 interficiendi praesidem sine dubio exactiones nimiae &
 acerbis imperium fuerunt. C. 11. *Methymnaeo-*
orum] in Lesbo insula, vt supra diximus. C. 12.
e muris necauerunt] si salua vulgaris scriptura, suppli-
 cium notatur eiusmodi, quo damnati & torti de muris
 praecipitati fuerint, quasi indigni, qui intra moenia
 tolerarentur. Aliis superfluum e muris videtur; aut
 in muris substituendum, aut suspenderunt vel simile
 pro necauerunt. Verum omnia contra ad sensum li-
 brorum, C.

Athe-

Athenienses victoriam gratulabantur; &, vt captiui Graecorum suis restituerentur, orabant: Rhodii & Chii de praesidio querebantur. omnes aequa desiderare visi, impetrauerunt. Mityle-¹³ naeis quoque, ob egregiam in partes suas fidem & pecuniam, quam in bellum impenderant; obfides reddidit: & magnam regionem finibus eorum adiecit. Cypriorum quoque regibus, qui¹⁴ a Dario defecerant ad ipsum; & oppugnanti Tyrum miserant classem, pro merito honos habitus est. Amphoterus deinde, classis praefe-¹⁵ ctus, ad liberandam Cretam missus (namque & Persarum, & piratarum armis pleraque eius insulae obsidebantur) ante omnia mare a piraticis classibus vindicare iussus: quippe obnoxium praedonibus erat; in bellum utroque rege conuerso. His compositis, Herculi Tyrio ex¹⁶ auro crateram, cum triginta pateris dicauit: imminensque Dario, iter ad Euphratem pronunciari iussit.

12. *vt captiui restituerentur*] quod iisdem petentibus lib. III. cap. I. num. 9. negatum, saltem dilatum fuerat. C. 14. *Cypriorum quoque regibus*] plures enim illa tempestate fuisse, supra ad IV. 3. 11. ostendimus. C. 15. *obnoxium praedonibus mare*] id est subiectum, in potestate praedonum. Sic Liuius XLII. 46. *serua atque obnoxia coniungit.* C. *in bellum utroque rege conuerso*] Et Alexandro & Dario alibi occupatis, id suam occasionem praedones rati, mare infestantur mediterraneum perinde, ac quum Romani bello Mithridatico implicati essent. C.

CAP. IX.

*Darius ad Arbela peruenit : Alexander Euphratem
Tigrimque superat.*

I AT Darius, quum ab Aegypto diuertisse in
Africam hostem comperisset; dubitauerat,
vtrumne circa Mesopotamiam subsisteret, an
interiora regni sui peteret: haud dubie potentior
auctor praesens futurus vltimis gentibus
impigre bellum capeffendi, quas aegre per prae-
fectos suos moliebatur. Sed vt idoneis aucto-
ribus fama vulgauit, Alexandrum cum omnibus
copiis, quamcumque ipse adisset regionem, peti-
turum: haud ignarus, quam cum strenuo res
esset; omnia longin quarum gentium auxilia
Babylonem contrahi iussit. Bactriani, Scy-
thaeque, & Indi conuenerant: nam & ceterarum
gentium copiae partibus simul adfuerunt.

*1. potentior auctor] multo fortius illis persuadere
poterat, vt impigre bellum capeffent. S. 1,
Scythaeque & Indi] accolae Scytharum Indorumque,
quotquot Persarum imperio subiecti erant, aut illis
foedere ac societate coniuncti, Arrianus III, pag.
171. βεβουθήκεσαν Δαρείω ἰνδῶν ἕσσι Βακτροῖς ἕμοροι
- - καὶ Σάκαι, Σκυθῶν τε τοῦ γένους, ἐξ ὑπήκοοι,
ἀλλὰ κατὰ συμμαχίαν τὴν Δαρείω, in auxilium Dario
venerant, quotquot Indorum Bactrianis finitimi sunt
- - ἔ Σακαι, Scythicum genus, non subiecti
quidem, sed socii & foederati. C. partibus]
Ambigum posita est haec vox, & dubium est, an sub-
intelligendae sint partes inter se pugnantes, Alexandri
scilicet & Darii, an vero partes Bactrianorum, Scy-
tharum, & Indorum, S.*

Cete-

Ceterum, quum dimidio ferme maior esset exercitus, quam in Cilicia fuerat; multis arma deerant: quae summa cura comparabantur. Equitibus equisque tegumenta erant ex ferreis laminis serie inter se connexis: quae antea praeter iacula nihil dederat, scuta gladiique adiciebantur: equorumque domandi greges pedibus distributi sunt, ut crediderat, terror hostium, ducentae falcatae quadrigae, vnicum illarum gentium auxilium, sequutae sunt. Ex summo temone hastae praefixae ferro eminebant; utrimque a iugo ternos direxerant gladios: & inter radios rotarum plura spicula eminebant in aduersum: altae deinde falces summis rotarum orbibus haerebant; & aliae in terram demissae, quidquid obuium concitatis equis fuisset, amputaturae. Hoc modo instructo exercitu ac perarmato, Babylone copias mouit. A parte dextra erat Tigris, nobilis fluuius; laeuam tegebat Euphrates: agmen Mesopotamiae campos impleuerat. Tigri deinde superato, quum audisset, haud procul abesse hostem; Satropatem equitum praefectum cum mille delectis praemisit.

4. *falcatae quadrigae*] Scriptura sacra vocat *ferreos currus*, orientis populis admodum usitatos. Imitati sunt Syri Macedones, uti ex bello Antiochi contra Romanos notum est apud Lium XXXVII. 41. & Appianum Alexandrinum. C. Descriptionem nostri auctoris optime intelligit, qui imaginem earum euoluit apud Schefferum de re vehiculari 2. 15. S. 5. *radios rotarum*] *die speichen*. S. *orbibus*] *die felgen*. S.

Mazaeo praetori sex millia data, quibus transitu
 8 amnis arceret. eidem mandatum, ut regionem
 quam Alexander esset aditurus, popularetur
 atque vreret. quippe credebat, inopia debel-
 lari posse nihil habentem, nisi quod rapiendo
 occupasset: ipsi autem commeatus alii terra, alii
 9 Tigri amne subvehebantur. Iam peruenerat ad
 Arbela vicum, nobilem sua clade facturus. hic
 commeatum sarcinarumque maiore parte depo-
 sita, Lycum amnem ponte iunxit, & per dies
 quinque, sicut ante Euphratem, traiecit exer-
 10 citum. Inde octoginta fere stadia progressus,
 ad alterum amnem, Bumado nomen est, castra
 posuit. Opportuna explicandis copiis regio
 erat, equitabilis & vasta planicies. ne stirpes
 quidem & breuia virgulta operiunt solum: liber-
 que prospectus oculorum etiam qua procul

9. ad Arbela vicum] Ex Diodoro hausit, qui XVII, 53. vocat κώμην Ἀρβηλα. Non autem vicus erat, sed, ut Strabo auctor est sub initium lib. XVI. κατοικία ἀξιόλογος, memorabilis habitatio, a qua, tanquam claro oppido, maluerint Macedones hoc proelium nominare, quam ab ignobili vico Gaugamelis, ad quem vere commissum fuerat, non exiguo inde spatio Arbelis remotis. Arrianus III. p. 173. ἑξατοποδεύκεις Δαρῆες ἐν Γαυγαμίλοις, πρὸς ποταμῷ Βυμάδῳ, ἐπέχων Ἀρβήλων τῆς πόλεως ὕσον ἑξακοσίων σταδίων, Darius in Gaugamelis ad flumen Bumadum castra posuerat sexcentis circiter stadiis ab oppido Arbelis. c. nobilem] ex haecenus ignoto notum & famosum. S. 10. Bumado nomen est] Iam diximus ex Arriano. c. quae procul] Clericus Art. Critic. part. 3. sect. 3. c. 10. §. 5. legendum putat qua, quod & probat Cellarius, & nos in sequentiu accepimus. S.

recept-

recessere, permittitur: Itaque si qua campi eminebant, iussit aequari, totumque fastigium extendi. Alexandro, qui numerum copiarum eius, quantum procul coniectari poterant, aestimabant, vix fecerunt fidem, tot millibus caesis, maiores copias esse reparatas. Ceterum omnis periculi, & maxime multitudinis contemptor, vndecimis castris peruenit ad Euphratem: quo pontibus iuncto equites primos ire, phalangem sequi iubet: Mazaeo, qui ad inhibendum transitum eius, cum sex millibus equitum occurrerat; non auso periculum sui facere. Paucis deinde, non ad quietem, sed ad reparandos animos diebus datis militi, strenue hostem insequi coepit: metuens, ne interiora regni sui peteret, sequendusque esset per loca omni solitudine atque inopia vasta. Igitur quarto die praeter Arbela penetrat ad Tigrim. Tota regio ultra amnem

II. *Alexandro &c.*] Ordo: *II, qui numerum &c. vix Alexandro fecerunt fidem, &c. S.* 12. *vndecimis castris*] postquam vndecim vicibus castra posuerat. *S.* *peruenit ad Euphratem*] iuxta urbem Syriae Thapsacum, in Arabiae confinio, vbi etiam Darius & in Ciliciam iturus, & refugiens ex proelio traiecerat. *Arrian. C.* *quo pontibus iuncto*] Duos pontes, quibus Persae vsi fuerant, ex parte eisdem abruptos, Alexandrum inuenisse apud Thapsacum, idem Arrianus auctor est lib. III. p. 168. *C.* *periculum sui facere*] non audebat periclitari fortunam Alexandri, qualis in se futura esset. *C.* 14. *praeter Arbela penetrat ad Tigrim*] Sibi non constat Curtius, aut vox *Arbela* corrupta est. Modo enim num, 9. *Arbela* trans Tigrim posuit; haec cis amnem

recenti fumabat incendio : quippe Mazaeus,
 quaecunque adierat, haud secus quam hostis
 15 yrebat. Ac primo caligine, quam fumus effu-
 derat, obscurante lucem ; insidiarum metu substi-
 tit : deinde vt speculatores praemissi tuta omnia
 nunciauerunt ; paucos equitum ad *tentandum*
 vadum fluminis praemisit : cuius altitudo primo
 summa equorum pectora ; mox, vt in medium
 alueum ventum est, ceruices quoque aequabat.
 16 Nec sane alius ad Orientis plagam tam violentus
 inuehitur ; multorum torrentium non aquas
 solum, sed etiam saxa secum trahens. itaque a
 celeritate, qua defluit, Tigri nomen est inditum :
 quia Persica lingua Tigrim sagittam adpellant.
 igitur pedes, velut diuisus in cornua, circumdato
 17 equitatu, leuatis super capita armis, haud aegre

ait Alexandrum illa praeteriisse. Sunt clarissimi viri,
 Raderus & Freinshemius, qui Curtium ita interpretantur,
 vt notasse videatur, Alexandrum non ea parte,
 qua proximum ad Arbela iter erat, transiisse fluuium,
 sed alio latere, quod non ex directo responderet vrbi.
 Verum neque ita difficultas tollitur, quia Arbela non
 erant Tigri propinquiora, quod tamen necessarium est
 interpretationi, sed vltra Lycum etiam annem remota.
 Vide infra IV. 16. 8. 9. C. 16. *quia Tigrim sagittam*
vocant] Eadem Strab. lib. XI. pag. 364. & Plinius
 VI. 27. sed Isidorus Orig. XIII. 21. *propter velocitatem*
instar bestiae Tigridis, nimia pernitate currentis,
 fluuio id nominis impositum esse autumat. Rapiditatem
 fluminis, a tot auctoribus praedicatam, in dubium vocat,
 & vel tardioris esse cursus quam Euphratem, tradit
 Petrus della Valle Epist. XVII. C.

ad ipsum alueum penetrat. Primus inter pedites 18
 rex egressus in ripam vadum militibus manu,
 quando exaudiri non poterat, ostendit. sed
 gradum firmare vix poterant, quum modo faxa
 lubrica vestigium fallerent; modo rapidior vnda
 subduceret. Praecipuus erat labor eorum, qui 19
 humeris onera portabant: quippe quum semet-
 ipsos regere non possent, in rapidos gurgites
 incommodo onere auferebantur. & dum sua
 quisque spolia consequi studet; maior inter
 ipsos, quam cum amne orta luctatio est: cumu-
 lique sarcinarum passim fluitantes plerosque per-
 culerant. Rex monere, vt satis haberent, arma 20
 retinere; cetera se redditurum. Sed neque con-
 silium, neque imperium accipi poterat: obstre-
 pebat hinc metus; hinc inuicem vocantium
 mutuus clamor. Tandem, qua leniore tractuz 1

18. *vestigium fallerent*] quando volebant milites,
 e fluuio in terram ascendere, tum lubrici lapides falle-
 bant eos, ne tuto vestigium ponere potuerint, sed ipsi
 potius in aquas relaberentur. S. *subduceret*] *sc. vestigium*: dum nempe vnda celeriter fluens pedes
 militum secum rapiebat, nec illi stare firmiter pote-
 rant. S. 20. *monere*] per Enallagen historicam,
 iam supra memoratam, pro *monebat*. S. *hinc*
inuicem vocantium clamor] Vulgo *praeter hunc inui-*
cem natantium clamor. male. Nam minus cohae-
 rent, *obstrepebat hinc metus, praeter hunc* &c. vt
 recte obseruauit Acidalius. *Natantium* autem non
 poterat clamor esse, quia vado transibatur, non na-
 tatu. Planum est *vocantium*, quod Freinsheimii in-
 genio debetur, & a Tellerio receptum est tanquam
 Curtianum. C.

- amnis aperit vadum, emergere: nec quidquam
 22 praeter paucas farcinas desideratum est. Deleri
 potuit exercitus, si quis ausus esset vincere: sed
 perpetua fortuna regis auertit inde hostem. Sic
 Granicum tot millibus equitum peditumque in
 vltiore stantibus ripa superauit: sic angustis in
 Ciliciae callibus tantam multitudinem hostium.
 23 Audaciae quoque, qua maxime viguit, ratio
 minui potest, quia nunquam in discrimen venit,
 an temere fecisset. Mazaesus, qui, si transeun-
 tibus flumen superuenisset, haud dubie oppres-
 surus fuit incompósitos; in ripa demum, & iam
 24 perarmatos, adequitare coepit. Mille admodum
 equites praemiserat, quorum paucitate Alexan-
 der explorata, deinde contempta; praefectum
 Paeonum equitum Aristona laxatis habenis in-

22. Sic] Eodem modo, nullo scilicet cum hoste
 adgredi audente. S. *tantam multitudinem hosti-
 um]* repete ἀπὸ τοῦ ὑπὲρ superauit. Quod verbum in
 priore membro significat *flumen traicere*: in poste-
 riore *hostem vincere*. S. 23. Audaciae ratio
 minui potest] Supra III. 6. 18. *Quum praesto esset
 ubique fortuna, temeritas in gloriam cesserat. Quip-
 pe fortiter aliquid, an temere factum sit, ex euentu ple-
 rumque iudicatur, qui quod semper felix erat; virtuti
 tributa sunt, quae temeritatis fuerant. C. perar-
 matos]* armis omnibus indutos & instructos. S.
adequitare] adgredi. Vtuntur eo verbo etiam Cae-
 sar & Linius. S. 24. *admodum]* notat circiter.
 Turfellinus c. 8. 3. vel expletiva tantum est particula,
 quod mihi rectius videtur. S. *Paeonum]* Paeonia
 Macedoniae regio, inde *Paeones*, S.

uehi iussit. Insignis eo die pugna equitum, & 25
 praecipue Aristonis fuit: praefectum equitatus
 Persarum Satropatem, directa in gutture hasta
 transfixit; fugientemque per medios hostes con-
 sequutus, ex equo praecipitavit, & obluctanti
 caput gladio dempsit: quod relatum magna cum
 laude ante regis pedes posuit.

25. *directa in gutture hasta] in guttur quarto
 casu mauult Tanaquillus Faber Epist. LI. & noster sane
 VII. 4. 37. hastam in os dirigit. C.*

CAP. X.

*Milites ob Lunae defectum turbatos, per Aegyptios
 vates confirmat Alexander: Persas vastatores
 coniicit in fugam Darii vxor captiua, moe-
 rorore confecta, supremum diem claudit. vnde
 Alexandri lacrimae, Darii suspiciones, luctus,
 & vota.*

BIduo ibi rex statiuam habuit: in proximum 1
 deinde iter pronunciari iussit. Sed prima 2
 fere vigilia luna deficiens, primum nitorem
 fideris sui condidit; deinde sanguinis colore
 suffuso lumen omne foedauit: sollicitisque sub
 ipsum tanti discriminis casum ingens religio, &

2. *Luna deficiens] Huius eclipseos praeter aucto-
 res, qui Alexandri res tradiderunt, meminere Cicero
 Diuinat. I. 53. Plinius II. 70, Ptolemaeus Geograph.
 I. 4. C.*

- 3 ex ea formido quaedam incussa est. *Diis inuitis in ultimas terras trahi se querebantur. iam nec flumina posse adiri; nec sidera pristinum praestare fulgorem: vastas terras, deserta omnia occurrere: in vnius hominis iactationem tot millium sanguinem impendi. fastidio esse, patriam: abdicari Philippum patrem; coelum vanis cogitationibus*
- 4 *peti.* Iam prope seditionem res erat; quum ad omnia interritus, duces principesque militum frequentes adesse praetorio; Aegyptiosque vates, quos caeli ac siderum peritissimos esse credebar,
- 5 quid sentirent, expromere iubet. At illi, qui satis scirent, temporum orbis implere destinatas vices: lunamque deficere, quum aut terram subiret, aut sole premeretur: rationem quidem ipsis perceptam non edocent vulgus; ceterum adfirmant, solem Graecorum, lunam esse

3. *in vnius hominis iactationem*] eum in finem vnicus saltem homo, Alexander scilicet: de Monarchia totius orientis gloriari posset, tot millium &c. S. *caelum vanis cogitationibus peti*] diuinitatem adfectari. Idem noster VIII. 5. 8. *Hi tum caelum illi aperiebant.* C. 4. *prope seditionem res erat*] Ita Tanaquill. c. l. hoc est, parum absuit, quin seditio inter milites oriretur. Noster X. 6. 12. *Iamque prope seditionem peruenerant.* Tacitus Hist. III. 21. *prope seditionem ventum*, quod Annali VI. 13. dixerat *iuxta seditionem ventum.* Vulgo legunt, *pro seditione.* C. *frequentes*] in magna multitudine. S. *praetorio*] est in castris tentorium Imperatoris, quem Romani praetorem vocabant. S. 5. *edocent vulgus*] tradunt vel pro vulgo proponunt. S.

Perfa-

Perfarum : quoties illa deficiat, ruina[m] stragem-
 que illis gentibus portendi. veteraque exempla
 percensent Perfidis regum, quos aduersis diis
 pugnasse, lunae ostendisset defectio. Nulla res
 efficacius multitudinem regit, quam superstitio :
 alioqui impotens, faeua, mutabilis ; vbi vana
 religione capta est, melius vatibus, quam duci-
 bus suis paret. Igitur edita in vulgus Aegypti-
 orum responsa, rursus ad spem & fiduciam
 erexere torpentes. Rex impetu animorum vtend-
 dum ratus, secunda vigilia castra mouit : dextra
 Tigrim habebat ; a laeua montes, quos Gor-
 daeos vocant. Hoc ingresso iter speculatores,
 qui praemissi erant, sub lucis ortum, Darium
 aduentare nunciauerant. Instructo igitur mi-
 lite, & composito agmine, antecedebat. Sed
 Perfarum exploratores erant mille ferme, qui

7. *Nulla res efficacius multitudinem] superstitio
 est religio vana atque falsa, cui plus vulgus tribuit
 quam rationibus & argumentis. C. 8. impetu
 animorum vtendum] Hoc ipso libro cap. I. num 29.
 ille vtendum animis, dum spe calerent, ratus. C.
 quos Gordaeos vocant] Vsitatori nomine Gordaeos
 vel Gordyaeos dixerunt hos Armeniae montes. C.
 10. exploratores] Quidam libri manu scripti mora-
 tores, hoc est, qui ceteris tardius recedunt : quo
 sensu videtur Liuius vsus XXI. 47. aliquot moratorum
 cepit : & c. 48. paucos moratorum occiderunt, circa
 flumen interceptos, nisi Liuius a moratus casum hunc
 formauit. Siue (vt Gronouius Obseru. II. 8. non
 sperndam illam codicum scripturam interpretatur)
 qui legitimum exercitum praecedebant, praesidebant-
 que in locis ad insidias aptis, vt primum impetum hostis*

speciem

speciem agminis magni fecerant. quippe vbi explorari vera non possunt, falsa per metum
 11 augurantur. His cognitis, rex cum paucis suorum adsequutus agmen refugientium ad suos: alios cecidit, alios cepit: equitesque praemisit simul speculatum; simul vt ignem, quo barbari
 12 cremauerant vicos, exstinguerent. quippe fugientes raptim tectis acerisque frumenti iniecerant flammam: quae quum in summo haesissent,
 13 ad inferiora nondum penetraverant. Extinguito igitur igne, plurimum frumenti repertum est: copia aliarum quoque rerum abundare coeperunt. Ea res ipsa militi ad persequendum hostem animum incendit. quippe vrente & populante eo terram, festinandum erat, ne incendio cuncta
 14 praeriperet. In rationem ergo necessitas versa; quippe Mazaeus, qui antea per otium vicos incenderat; iam fugere contentus pleraque inuisitata hosti reliquit. Alexander, haud longius centum quinquaginta stadiis Darium abesse,

tardarent atque hebetarent. atque ita verbo *morari* vsus est Caesar Civ. II. 26. & Hirtius B. Gall. VIII. 28. C. *falsa per metum augurantur*] Quamuis *auguro* actiue reperiamus; vix tamen *augurari* inuenis passiue vsurpatum. Quae causa est, vt Modius ex MS. quodam *augentur* commendet: Freinshemius *figurantur* ex coniectura, quemadmodum VII. 1. 36. *non inanes species anxio animo figuraret. C. 12. in summo haesissent*] in suprema adhuc parte arderent. S. 14. *in rationem ergo necessitas versa*] Necessitas prohibendi hostis ne omnia incendio corrumperet, in rationem versa est propius vrgendi, Tellier. C.

compe-

compererat. itaque ad satietatem quoque copia com meatuum instructus, quatruiduo in eodem loco substitit. Interceptae deinde Darii litterae 16 sunt: quibus Graeci milites sollicitabantur, ut regem interficerent aut proderent: dubitavitque, an eas pro concione recitaret? satis confusus Graecorum quoque erga se benevolentiae ac fidei. Sed Parmenio deterruit; *non esse talibus 17 promissis imbuendas aures militum: patere vel vnius insidiis regem: nihil nefas esse avaritiae.* Sequutus consilii auctorem, castra movit. Iter 18 facienti spado vnus ex captiuis, qui Darii uxorem comitabantur, deficere eam nunciat, & vix spiritum ducere. Itineris continui labore, animumque aegritudine fatigata, inter focrus & virginum filiarum manus collapsa erat; deinde & extincta. id ipsum nunciens alius superuenit. Et rex haud secus, quam si parentis suae mors 20

17. *patere vel vnius insidiis regem*] Tacitus Histor. II. 75. *fluxa militum fides, & periculum ex singulis.* C. *nihil nefas avaritiae*] Cicero pro Quinctio cap. 6. *Nullum est officium tam sanctum atque solemne, quod non avaritia comminuere atque violare soleat.* Sallustius B. Catil. c. 10. *Avaritia fidem, probitatem, ceterasque artes bonas subvertit.* C. 18. *deficere*] Graeci eiusmodi morbum *λειποθυμια* vocant hoc est *defectum animi*, nos in *ohnmacht* fallen. S. 19. *itineris continui labore*] Plutarchus ex partu vel abortu obiisse tradit p. 681. *της τε Δαρεις γυναικός αποθανόντος εν ωδίτιν.* Etiam Iustinus XI. 12. *nunciatur uxorem eius ex collisione abiecti partus decessisse.* C.

nunci-

nunciata effret, crebros edidit gemitus: lacrimisque obortis, quales Darius profudisset, in tabernaculum, in quo mater erat Darii, defuncto
 21 adfidens corpori, venit. Hic vero renouatus est moeror, vt prostratam humi vidit. recenti malo priorum quoque admonita, receperat in gremium adultas virgines, magna quidem mutui doloris solatia; sed quibus ipsa deberet esse
 22 solatio. In conspectu erat nepos paruulus, ob id ipsum miserabilis, quod nondum sentiebat calamitatem, maxima ex parte ad ipsum redundantem. Crederes, Alexandrum inter suas necessitudines flere, & solatia non adhibere, sed quaerere. cibo certe abstinuit: omnemque honorem funeri, patrio Persarum more, seruauit: dignus hercule, qui nunc quoque tantum man-
 24 fuetudinis & continentiae ferat fructum. Semel omnino eam viderat, quo die capta est; nec vt ipsam, sed vt Darii matrem videret: eximiamque pulchritudinem formae eius non libidinis habu-
 25 erat incitamentum: sed gloriae. E spadonibus,

21. *recenti malo*] morte scil. nurus suae. *S. priorum*] malorum, nempe captiuitatis, & deuictio-
 nis. *S.* 22. *inter suas necessitudines*] inter cognatos & consanguineos suos. Iustinus XII, 15, 9. *Tanta illi (Alexandro) magnitudo animi fuit, vt quum Herculem filium, quum fratrem Aridacum, quum Roxanem uxorem praegnantem relinqueret; oblitus necessitudinum, dignissimum nuncuparet heredem.* Suetonius Tiber. c. 50. *Odiu aduersus necessitudines in Druso primum fratre detexit. C.*

qui circa reginam erant, Tyriotes, inter trepidationem lugentium elapsus per eam portam, quae, quia ab hoste auersa erat, leuius custodiebatur, ad Darii castra peruenit: exceptusque a vigilibus, in tabernaculum regis perducitur; gemens & veste lacerata. Quem ut conspexit 26 Darius, multiplici expectatione commotus, & quid potissimum timeret, incertus; *Vultus tuus, inquit, nescio quod ingens malum praefert: sed caue miser hominis auribus parcas. didici enim esse infelix: & saepe calamitatis solatium est, nosse sortem suam. Num, quod maxime suspicor, 27 & loqui timeo, ludibria meorum nunciaturus es; mihi, &, ut credo, ipsis quoque, omni grauiora supplicio?* Ad haec Tyriotes; *istud quidem 28 procul abest, inquit: quantuscumque enim reginis honor ab iis, qui parent, haberi potest; tuis a victore seruatus est: sed uxor tua paullo ante excessit e vita.* Tum vero non gemitus modo, 29 sed etiam eiulatus, totis castris exaudiebantur: nec dubitauit Darius, quin interfecta esset, quia nequisset contumeliam pati. exclamatque amens

25. lacerata veste] vide III. 11. 25. notata. C.

26. didici esse infelix] Ouidius V. Trist. eleg. XI. 4.

Qui iam consueui fortiter esse miser. C.

27. ludibria meorum] uxoris aut filiarum dedecora. Terentius Hecyr. I. 2. 74. *eam ludibrio haberi, ubi Donatus, Honesto, inquit, verbo & pudoris pleno usus est: & nouo pro vitari.* Adde nostri III. 12. 22. *ne quis captiuo corpori illuderet.* Sed haec de contumeliosa uitiatione, non quae per amorem fit, plerumque intelliguntur. C.

dolore;

dolore; quod ego tantum nefas commisi, Alexander? quem tuorum propinquorum necavi, ut hanc vicem saevitiae meae reddas? Odisti me, non quidem prouocatus: sed finge, instum intulisse te
 30 bellum; cum feminis ergo agere debueras? Tyriotes adfirmare per deos patrios, nihil in eam grauius esse consultum: ingemuisse etiam Alexandrum morti, & non parcius fleuisse, quam ipse
 31 lacrimaretur. Ob haec ipsa amantis animus in sollicitudinem suspicionemque reuolutus est; desiderium captivae profecto a consuetudine
 32 stupri ortum esse coniectans. Submotis igitur arbitris, vno duntaxat Tyriote retento, iam non flens, sed suspirans; videsne in te Tyriote locum mendacio non esse? tormenta iam hic erunt, sed ne expectaueris per deos; si quid tui tibi regis reuerentiae est: num, quod & scire expeto, & quaerere pudet; ausus est & dominus, & iuuenis?
 33 Ille quaestioni corpus offerre; deos testes inuo-

29. contumeliam pati] Iam in ludibrio exposuimus. Grauior autem est contumelia, quam iniuria. Pacinus in Periboea apud Nonium: *patior facile iniuriam, si est vacua a contumelia. C.* 32. *submotis arbitris*] excedere iuris, qui arbitrari & audire arcana possint. Infra V. 11. 4. *renoris arbitris loqui velle cum eo. C.* & dominus & iuuenis] qui potestatem ex victoria, incitamentum libidinis ex iuuentute habebat. Castissimi autem sermonis exemplum his verbis Curtius reliquit, praeter alias in primis hac virtute commendandus. C. 33. *quaestioni corpus offerre*] *Quaestioni est examini tortoris.* Cicero pro Mil. cap. 21. extr. *Facti in equuleo quaestio est, iuris in iudicio. C.*

care;

care; *caste sancteque habitam esse reginam.*
 Tandem, vt fides facta est, vera esse, quae
 adfirmaret spado; capite velato diu fleuit: man-
 nantibusque adhuc lacrimis, veste ab ore re-
 iecta, ad caelum manus tendens; *dii patrii,*
 inquit, *primum mihi stabilire regnum: deinde, si*
de me iam transactum est; precor, ne quis Asiae
rex sit, quam iste tam iustus hostis, tam misericors
victor.

34. *capite velato*] mos Iugentium aut desperata
 casu perculsorum. Seneca Herc. Fur. v. 355. de Megara:
ipsa tristi vestis obrentu caput velata. C. ad
caelum manus tendens] Apuleius de mundo: *Habitus*
orantium sic est, vt manibus extensis in caelum prece-
mur. Virgilius Æn. I. v. 93.

Ingemit & duplices tendens ad sidera palmas. C.

CAP. XI.

Pacem tertio quaesitam Darius non impetrat. immo
ad deditionem, aut ad bellum, ab Alexandro
prouocatur.

ITAQUE quamquam pace frustra bis peti-
 ta, omnia in bellum consilia conuerterat;
 victus tamen continentia hostis, ad nouas pacis
 condiciones ferendas decem legatos cognatorum

1. *pace bis petita*] primum post pugnam Issicam
 IV. 1. iterum capta Tyro IV. 5. C. *continentia*
hostis] quia se a captis mulieribus continuit. S.

princi-

principes misit: quos Alexander consilio aduocato, introduci iussit. E quibus maximus natus, *Darium*, inquit, *ut pacem a te iam hoc tertio peteret, nulla vis subegit: sed iustitia & continentia tua expressit.* Matrem, coniugem, liberosque eius, nisi quod sine illo sunt, captos esse non sensit: pudicitiae earum quae supersunt, curam haud secus quam parens agens, reginas adpellas: speciem pristinae fortunae retinere pateris. Vultum tuum video, qualis Darii fuit quum dimitteremur ab eo: & ille tamen uxorem; tu hostem lugens. Iam in acie stares, nisi cura te sepulturae eius moraretur. Et quid mirum est, si iam ab amico animo pacem petit? quid opus est armis, inter quos odia sublata sunt? Antea imperio tuo destinabat Halyn amnem, qui Lydiam terminat. Nunc, quidquid inter Hellepontum & Euphratem est, in dotem filiae offert, quam tibi tradit: Ocbum filium, quem habes; pacis & fidei obsidem retine; matrem & duas virgines filias redde: pro tribus corporibus triginta millia talentum auri precatur accipias. Nisi moderationem animi tui

consilio aduocato] consiliariis, ut etiam IV, 13 3. consilium adhibet, quid optimum factum esset, exquirens. C. 2. iam hoc tertio] Non aduerbium est tertio, sed subauditur nomen sexti casus, loco, tempore, aut numero. Gronov. II. 8. C. 4. Vultum tuum video, qualis Darii] Luctum adhuc prae se ferebat, qui tanquam inter necessitudines suas fleuerat, cap 10 num. 23. C. 6. pro tribus corporibus] pro tribus hominibus, siue ut nostrates non satis latine dicunt, pro tribus personis, Synecdoche. Seneca quoniam

notam

notam haberem ; non dicerem hoc esse tempus ,
 quo pacem non dare solum , sed etiam occupare
 deberes. Respice , quantum post te reliqueris : 8
 intueri , quantum petas ! PERICYLOSVM est
 praegraue imperium : difficile est continere , quod
 capere non possis. Videsne , vt nauigia , quae mo- 9
 dum excedunt , regi nequeant ? Nescio , an Darius
 ideo tam multa amiserit , quia NIMIAE opes
 magnae iacturae locum faciunt. FACILIVS
 est quaedam vincere , quam tueri : quam hercule
 expeditius manus nostrae rapiunt ; quam conti-
 nent. Ipsa mors vxoris Darii te admonere potest
 minus iam misericordiae tuae licere , quam licuit.
 Alexander , legatis excedere tabernaculo iussis , I
 quid placeret , ad consilium refert. Diu nemo

Epist. XC. pro integro animali vsus , Mutis , inquit ,
 gregibus aut maxima corpora praesunt , aut vehe-
 mentissima. Non praecedit armenta degener tau-
 rus , &c. C. 9. Facilius est vincere , quam
 tueri] Linius XXXVII. 35. Parari singula adqui-
 rendo facilius potuisse , quam vniuersa teneri posse.
 Florus II. 17. 8. Plus est prouinciam retinere , quam
 facere. C. minus misericordiae licere] Volunt
 hoc dicere legati : Norunt omnes te misericordiae vel
 maxime esse studiosum , nullamque illius exercendae
 occasionem praetermittere. Miserere ergo Darii ,
 quod iam perimus. Nam fortasse breui tempore occa-
 sio te destituet , qua illam exercere non poteris. Sicut
 iam in mortua Darii coniuge videmus , cui iam misereri
 tibi amplius non licet , quod tamen licuisset , si diutius
 vixisset , nim. vt eam dimitteres. S. 10. ad consi-
 lium refert] ad consiliarios , vt principio huius Capiti-
 tis. Pariter Tacitus Histor. I. 87. addidit ducibus
 consilium & custodes. C.

H

quid

quid sentiret ausus est dicere : incerta regis vo-
 11 luntate. Tandem Parmenio, ante suasisset, ait,
 Et captiuos apud Damascum redimentibus red-
 deres; ingentem pecuniam potuisse redigi ex iis,
 qui (multi) vincti virorum fortium occupauerant
 12 manus. Et nunc magnopere censerem, Et vnam
 anum, Et duas puellas, itinerum agminumque
 impedimenta, triginta millibus talentis auri per-
 13 mutes. Opimum regnum occupari posse condi-
 tione, non bello: nec quemquam alium inter
 Istrum Et Euphratem possedisse terras ingenti spa-
 tio interualloque discretas. Macedoniam quoque
 respiceret potius: quam Baetra Et Indos intiuere-
 14 tur. Ingrata oratio regi fuit. Itaque, vt finem
 dicendi fecit; Et ego, inquit, pecuniam quam
 15 gloriam malle, si Parmenio essem. (Nunc
 Alexander de paupertate securus sum: Et me non
 mercatorem memini esse, sed regem.) Nihil qui-
 dem habeo venale; sed fortunam meam Etique

11. qui multi vincti] viri fortes, quorum vsus po-
 terat in bello esse, custodiendis captiuis distinebantur.
 Sic sensus facilis & expeditus est, non autem verba
 Curtii, quem ita scripsisse, qui multi vincti Et c. nemo
 erediderit, nisi cui elegans illius stilius ignotus est.
 Freinshemius bene suspicatur multi additiciu esse;
 & demata illa voce, salua & sana sunt omnia. C.
 13. opimum regnum] iam mutat orationem, & loquitur
 oblique per infinitiuum, quod statim quoque facit
 per coniunctiuum. S. 15. Nunc Alexander de
 paupertate Et c.] inclusa enervant praecedentis dicti
 venustatem, ideoque a mala manu videntur adposita,
 Freinshem. C.

non vendo. Captiuos si placet reddi; honestius dono dabimus, quam precio remittemus. Intro-16 ductis deinde legatis ad hunc modum respondit: Nunciate Dario, (gratiarum actionem apud hostem superuacaneam esse: &) me, quae fecerim clementer & liberaliter, non amicitiae eius tribuisse; sed naturae meae: (nec aduersus cala-17 mitates; sed aduersus hostium vires contendere.) Bellum cum captiuis & feminis gerere non soleo. armatus sit oportet, quem oderim. Quod si sal-18 tem pacem bona fide peteret; deliberarem forsitan an darem. Verum enim uero, quum modo milites meos litteris ad proditionem; modo amicos ad perniciem meam pecunia sollicitet: ad internecionem mihi persequendus est, non ut iustus hostis; sed ut percussor & beneficus. Conditiones vero 19 pacis, quas fertis, si accepero; victorem eum faciunt. Quae post Euphratem sunt, liberaliter donat: ubi igitur me adfamini? nempe ultra Euphratem sum. summum ergo dotis, quam promittit, terminum castra mea transeunt. Hinc

16. gratiarum actionem &c.] Toto hoc capite irreperunt Iustini verba, a Glareano & Iunio aliisque compluribus pro legitimis admista. In MS. non adparent. Freinshem. & Tellier. C. 17. armatus sit oportet] Liuius V. 27. Arma habemus non aduersus eam aetatem, cui etiam captis urbibus parceretur; sed aduersus armatos. C. 18. modo amicos ad perniciem] Philippum medicum ac Sisenem videtur intelligere. Lib. III. 6. & 7. C. percussor & beneficus] ET inseruit Acidalius, sensu postulante. nam percussor ad milites sollicitatos pertinet; beneficus ad Philippum medicum. C.

me depellite, & sciam vestrum esse, quo ceditis.
 20 Eadem liberalitate dat mihi filiam suam: nempe
 quam scit alicui seruorum suorum nupturam,
 multum vero mihi praestat, si me Mazaeo generum
 21 praeponit! Ite, nunciate regi vestro; & quae
 amisit, & quae adhuc habet, praemia esse belli;
 hoc regente utriusque terminos regni, id quemque
 habiturum, quod proximae lucis adsignatura for-
 22 tuna est. (Et me in Asiam non venisse, ut ab aliis
 acciperem; sed ut aliis darem. Si secundus, &
 non par mihi vellet haberi; facerem forsitan quae
 petit. ceterum, nec mundus duobus solibus potest
 regi: nec duo summa regna saluo statu terrarum
 23 potest habere. Proinde aut deditionem hodie;
 aut in crastinum bellum parat; nec aliam sibi,
 24 quam expertus est, polliceatur fortunam.) Legati
 respondent; quum bellum in animo sit, facere
 eum simpliciter, quod spe pacis non frustraretur.
 ipsos petere quam primum dimittantur ad regem:
 eum quoque bellum parare debere. Dimissi nun-
 ciant, adesse certamen.

20. quem scit alicui seruorum nupturam] SCIT,
 quod etiam Tellierus tenet, elegantius est, quam vul-
 gare scio. Ceterum in barbaris regnis principes quoque
 & satrapae serui sunt & a domini arbitrio pendent. C.
 21. hoc] bello scil. regente & describente terminos
 utriusque regni. S. 22. Et me in Asiam non ve-
 nisse] Haec quoque inclusa peregrina sunt maiorem
 partem ex Iustino adsumta. Vide ipsum XI. 12. extr. C.
 si secundus] si mihi vellet primatum relinquere, & ipse
 me proxime sequi. S. 24. facere eum simplici-
 ter] ingenue, sine dolo. Phaedrus III. 8. 7. Canis sim-
 pliciter. C.

CAP. XII.

Ad proelium dum Persarum ingens exercitus paratur, Macedones Panico quodam defuncti terrore, arma alacriter ceperunt.

ILLI quidem confestim Mazaeum cum tribus
 millibus equitum, ad itinera, quae hostis pe-
 titurus erat, occupanda praemisit. Alexander,
 corpori vxoris eius iustis persolutis, omnique
 grauiore comitatu intra eadem munimenta cum
 modico praesidio relicto; ad hostem contendi-
 dit. Duo cornua diuiserat peditum, vtrisque
 latera equite circumdato: impedimenta seque-
 bantur agmen. Praemissum deinde concitis
 equitibus Menidam iubet explorare, vbi Darius
 esset. At ille, quum Mazaeus haud procul con-
 sedisset, non ausus ultra procedere; nihil aliud,
 quam fremitum hominum, hinnitumque equo-
 rum exaudisse nunciat. Mazaeus quoque, con-
 spectis procul exploratoribus, in castra se reci-
 pit, aduentus hostium nuncius. Igitur Darius,
 qui in patentibus campis decernere optabat;
 armari militem iubet, aciemque disponit. In
 laeuo cornu Bactriani ibant equites, mille ad-

2. *grauiore comitatu*] qui agmen valde moraba-
 tur, & ab *impedimentis* necessariis ac intra agmen
 receptis num. 3. *distin. uitur.* C. 3. *Duo cornua*
&c.] Gronouius ita ex MS. restituit *Observ. II. 8. &*
vtrisque latera circumdato est circa latera constituto
 equite. C. 5. *decernere*] *dinicare*, *proelium*
committere. Vide supra III. 2. 1. C. 6. *Bactri-*
ani, Dabae, Arachosi] Hi ex vltimis finibus regni

modum; Dahae totidem: & Arachofii Suffique
 quatuor millia explebant. Hos quinquaginta
 falcati currus sequebantur. proximus quadrigis
 erat Bessus, cum octo millibus equitum item
 7 Bactrianis. Massagetae duobus millibus agmen
 eius claudebant. Pedites his plurium gentium
 non mixtas, sed suae quisque nationis iunxerant
 8 copias. Persas deinde cum Mardis Sogdianisque
 Ariobarzanes & Orobates ducebant. Illi par-
 tibus copiarum; summae Orfines praerant; a
 septem Persis oriundus, ad Cyprum quoque no-
 9 bilissimum regem originem sui referens. Hos
 aliae gentes, ne focis quidem fatis notae, seque-
 bantur. Post quas quinquaginta quadrigas
 Phradates magno Caspianorum agmine ante-
 cedebat. Indi, ceterique rubri maris accolae,
 nomina verius quam auxilia, post currus erant.

Perfici ad orientem: *Sufsi* autem Persis ab occasu adia-
 cebant, siue inter Tigrim & Persidem. C. mille
 admodum] Vide supra ad c. 9. 24. huius libri. S.
 falcati currus] Repete supra c. 9. 5. S. 7. Mas-
 sageratae] post Caspium mare gens Scythica. C. 8.
 Mardis Sogdianisque] Mardos alii in Armenia: iuxta
 Margianam alii collocant. Sogdiani autem inter Oxum
 & Iaxartem fluuios post Caspium mare siti erant. C.
 a septem Persis] qui magos regni inuafores sustule-
 runt, & Darium Hytaspis, sui ordinis & numeri homi-
 nem, constituerunt regem. *Iustin.* I. 9. & 10. C.
 9. Caspianorum agmine] Caspiani maris Caspii acco-
 lae. *Pomp. Mela* III. 5. *Intus sunt ad Caspium sinum*
Caspium, & Amazones, quas Sauromatidas appel-
lant. C. nomina verius quam auxilia] qui tan-

Clau-

Claudebatur hoc agmen aliis falcatis curribus ¹⁰
 quinquaginta: quia peregrinum militem adiun-
 xerat. Hunc Armenii, quos minores vocant;
 Armenios Babylonii: utrosque Belitae, & qui
 montes Cossaeorum incolebant, sequebantur.
 Post hos ibant Gortuae, gentis quidem Euboicae, ¹¹
 Medos quondam sequuti; sed iam degeneres, &
 patrii moris ignari. Adplicuerat his Phrygas
 & Cataonas. Parthorum deinde gens, incolen-
 tium terras, quas nunc Parthi Scythia profecti
 tenent, claudebant agmen. Haec sinistri cornu ¹²
 acies fuit. Dextrum tenebat natio maioris
 Armeniae, Cadusique, Cappadoces, & Syri,
 & Medi. his quoque falcati currus erant quin-
 quaginta. Summa totius exercitus, equites ¹³

tum aderant, ut nomina gentium multiplicarent, auxilio
 autem non admodum magno fuerunt. *S.* ^{10.}
utrosque Belitae] Belitarum nomen ignotum geogra-
 phis. Incertum etiam, an *Belus* Syriae fluvium hos
 nomen fecerit accolentibus. *C.* ^{montes Cossaeo-}
rum] Cossaei Persis & Vxiis a septentrione finitimi,
 montana inhabitantes. *Ptolem. C.* ^{11. Gortuae,}
gentis Euboicae, Medos sequuti] Graeci genere, ex
 insula Euboea, Darium quondam aut Xerxem, Graeciae
 bellum inferentem, sequuti, iam vero post diuturnam
 barbarorum consuetudinem Graecos mores obliti. Alii
 in India hanc Euboeam quaerunt. Ceterum *gentis,*
 quam vulgare *gentes,* mauult lectum Freinshemius. *C.*
Phrygas & Cataonas] Phryges noti: Cataonia est
 Cappadociae regio inter Taurum & Antitaurum, fini-
 tima Ciliciae. *C.* ^{12. Cadusique}] Mediae Atro-
 patenae populus iuxta Caspium mare. *C.*

quadraginta quinque millia : pedestris acies du-
 centa millia expleuerat. Hoc modo instructi
 decem stadia procedunt : iussique subsistere, ar-
 14mati hostem expectabant. Alexandri exer-
 citum pavor, cuius causa non suberat, inuasit:
 quippe lymphati trepidare coeperunt, omnium
 pectora occulto metu percurrente. Caeli ful-
 gor tempore aestiuo ardenti similis internitens,
 ignis praebuit speciem; flammisque ex Darii
 castris splendere, velut inlatis temere praesidiis,
 15credebant. Quod si percussis Mazaeus, qui
 praesidebat itineri, superuenisset; ingens clades
 16accipi potuit. ille segnis in eo; quem occu-
 pauerat, tumulo sedet: contentus non lacessi.
 Alexander, cognito pauore exercitus, signum
 vt consisterent iari; ipsos arma deponere ac
 lauare corpora iubet: admonens, nullam subiti

14. *lymphati*] subito furore correpti. quod eue-
 nire illis credebatur, qui speciem nymphae in aqua
 conspexissent. C. *velut inlatis temere praesidiis*]
 illaesi castris & praesidiis Persarum. Adeo fulgor
 internitens propinqua illa repraesentabat. Nam Cice-
 roni etiam castra *praesidia* sunt. Pro Roscio Am. c. 43.
Eorum bona veniant, qui in aduersariorum praesidiis occisi sunt. (haecenus Corneliae legis verba:
 subdit orator: *Dum praesidia vlla fuerunt, in Syllae*
praesidiis (S. Roscius) fuit. De ipsa lectione, quae
 a multis editis non nihil discrepat, Grononium con-
 sulas. Obs. II. 8. qui tam ex MSS. quam Aldina de-
 scendit. C. 16. *contentus non lacessi*] Et alibi
contentus cum modo infinito componitur. Pli-
 nius Epist. VI. 31. *quasi contentus aemulorum reme-
 nisse.* C.

causam

causam esse timoris; hostem procul stare. Tan-17
dem compotes sui, pariter arma & animos rece-
pere; nec quidquam ex praesentibus tutius visum
est, quam eodem loco castra munire. Postero 18
die Mazaeus, qui cum delectis equitum in edito
colle, ex quo Macedonum prospiciebantur castra,
confederat; siue quia speculari modo iussus
erat, ad Darium rediit. Macedones eum ipsum 19
collem quem deseruerat occupauerunt: nam &
tutior planicie erat, & inde acies hostium, quae
in campo explicabatur, conspici poterat. Sed 20
caligo, quam circa humidi effuderant montes;
vniuersam quidem rei faciem non abstulit; cete-
rum agminum discrimina atque ordinem prohi-
buit perspicere. Multitudo inundauerat campos:
fremitusque tot millium etiam procul stantium
aures impleuerat. Fluctuari animo rex, & modo 21
suum; modo Parmenionis consilium sera aesti-
matione perpendere. quippe eo ventum erat,
vnde recipi exercitus nisi victor, aut sine clade
non posset. (Mouebat etiam eum multitudo 22

17. *compotes sui*] postquam ad se redierant. S.
20. *circa*] absolute pro *circa istum locum*. Occurrit
& apud Nepotem 18. 10. 4. vbi vide Cellarium. S.
faciem] *prospectum* alias vocant. S. 21. *Flu-*
ctuari animo] vulgo *fluctuare*, quod impugnat Gro-
nouius Observ. II. 8. Linius XXXII. 13. *rex fluctuatus*
animo est. C. 22. *Mouebat etiam eum &c.*] Quae
vides vncis inclusa, non sunt Curtii, sed ex Iustini XI. 9.
de proelio Illico huc inepte translata. C.

hostium, respectu paucitatis suae gentis: sed interdum reputabat, quantas res cum hac gente gessisset, quantosque populos fudisset. Itaque, quum spes metum vinceret, periculosius bellum differre ratus, ne desperatio suis cresceret;)
 23 dissimulato eo; mercenarium equitem ex Paeonia praecedere iubet. Ipse phalangem, sicut antea dictum est, in duo cornua extenderat: vtrumque cornu equites tegebant. Iamque nitidior lux, discussa caligine, aciem hostium ostenderat: & Macedones, siue alacritate; siue taedio expectationis, ingentem, pugnantium more, edidere clamorem. redditus & a Persis, nemora vallesque circumiectas terribili sono impleuerat. Nec iam contineri Macedones poterant, quin cursu quoque ad hostem contenderent. Melius adhuc ratus in eodem tumulo castra munire; vallum iaci iussit: strenueque opere perfecto, in tabernaculum, ex quo tota acies hostium conspiciebatur, secessit.

eo] *metu scil. S.* *ex Paeonia] quae Macedoniae regio mediterranea erat in septentriones vergens, nec tunc forsan sub Macedonum imperio, aut non tota, unde mercenarii dicuntur Paeones. C.* 23. *redditus & a Persis] subaudi clamor, quem Macedones ediderant, Persae reddiderant. S.* 24. *vallum iaci] aggerem circum castra duci. C.*

CAP. XIII.

Consilia de nocturno proelio Parmenionis & Polypercontis Alexander damnat : somnoque refectus, interrito vultu suos ad pugnam accendit.

TVM vero vniuersa futuri discriminis facies ^I in oculis erat : armis insignibus equi viri- que splendebant : & , omnia intentiore cura praeparari apud hostem, sollicitudo praetorum agmina sua interequantium ostendebat. ac ² pleraque inania ; sicut fremitus hominum, equorum hinnitus, armorum internitentium fulgor, sollicitam expectatione mentem turbauerant. Igitur dubius animi, siue vt suos experiretur ; ³ consilium adhibet, quid optimum factu esset, exquirens. Parmenio, peritissimus inter duces ⁴ artium belli, furto, non proelio opus esse censebat : *intempesta nocte opprimi posse hostes discordes moribus, linguis ; adhaec summo, & improviso periculo territos quando in nocturna trepidatione coituros ? At interdum primum terribiles occur-* ⁵ *suras facies Scytharum Bactrianorumque : hirta illis ora, & intonsas comas esse ; praeterea exi-*

I. futuri discriminis] proelii, consilii. Supra III. II. 26. quae fortuna discriminis fuisset, requirebant, & V. 4. 28. integros quoque, antea, quam discrimen experirentur, in fugam auertit. C. facies] constitutio, ordo. S. 5. hirta ora & intonsas comas] Plutarchus in Crasso pag. 557. Patthorum aliquos comam σκυδικῆς, Scytharum more aluisse tradit, ἐπὶ τὸ φοβερόν, vt terribiliores hostibus essent. C

*miam vastorum magnitudinem corporum. Vanis
 6 & inanibus militem magis quam iustis formidinis
 circumfundi paucioribus posse. non in Ciliciae
 angustis, & inuis callibus; sed in aperta &
 7 lata planicie dimicandum fore. Omnes ferme
 Parmenioni adsentiebant: Polysperchon haud
 dubie in eo consilio positam victoriam arbitra-
 8 batur. quem intuens rex, namque Parmeni-
 onem nuper acrius quam vellet increpitum, rur-
 sus castigare non sustinebat: latrunculorum,
 inquit, & furum ista solertia est, quam praecipitis
 mibi: quippe illorum votum unicum est fallere.
 9 Meae vero gloriae semper aut absentiam Darii;
 aut angustias locorum; aut furtum noctis ob-
 stare non patiar: palam luce adgredi certum est.
 malo me fortunae poeniteat; quam victoriae
 10 pudeat. Ad haec illud quoque accedit, vigilias
 agere barbaros, & in armis stare, ut ne decipi
 quidem possint, compertum habeo. itaque ad
 11 proelium vos parate. Sic incitatos ad corpora
 curanda dimisit. Darius illud, quod Parmenio
 suaserat, hostem facturum esse coniectans; fre-
 natos equos stare, magnamque exercitus partem*

8. nuper acrius increpitum] Vide IV. 11, 14. C.
 9. absentiam Darii] vt in proelio ad Granicum. C.
 aut angustias locorum] vt altero proelio iuxta Ciliciae
 fauces. C. furtum noctis] vt quasi fur nocte
 ipsum adgrediar. S. certum est] subaudi apud
 me h. e. decreui. S. malo me fortunae poeni-
 teat] malo minus prospere pugnare, quam turpiter
 vincere. C.

in armis esse, ac vigilias intentiore cura feruari iusserat. ergo ignibus tota eius castra fulgebant. Ipse cum ducibus propinquisque agmina¹² in armis stantium circumibat; Solem *Mithren*, sacrumque & aeternum inuocans ignem, ut illis dignam veteri gloria, maiorumque monumentis fortitudinem inspirarent. Et profecto, si qua¹³ diuinæ opis auguria humana mente concipi possent; deos stare secum. Illos nuper Macedonum animis subitam incussisse formidinem: adhuc *lymphatos ferri agique*, arma iacentes: expetere praesides Persarum imperii deos debitas & vecordibus poenas. Nec ipsum ducem saniozem esse,¹⁴ quippe ritu ferarum praedam modo, quam expeteret, intuentem; in perniciem, quae ante praedam posita esset, incurrere. Similis apud Macedones quoque sollicitudo erat: noctemque, velut in eam certamine edicto, metu egerunt. Alexander, non alias magis territus, ad vota &¹⁵ preces Aristandrum vocari iubet. ille in candida veste verbenas manu praeferens, capite

12. *Solem. Mithren,*] Sol apud Persas, ubi in antro colitur, *Mithra* vocatur. Stadius id tradidit & interpretis eius Pl. Lactantius extremo lib. I. Thebaid. C.
 13. *lymphatos*] vide supra Cellarium ad c. 12. 14. S.
 14. *Nec ipsum ducem*] Alexandrum intelligit. C.
 15. *verbenas manu praeferens*] Herbae, rami, frondes, quae sacris adhibebantur, *verbenae* dictae, quum alias singulare genus herbarum sit. C. *capite velato*] Et hic ritus erat sacra facientium. Linius II. 39. extr. *Sacerdotes quoque, suis insignibus velatos, esse supplices ad castra hostium traditum est.* C.

velato praecipat preces regi, Iouem, Mineruam
 16 Victoriamque propitiant. Tunc quidem sacri-
 ficio rite perpetrato, reliquum noctis adquietu-
 rus in tabernaculum rediit. Sed nec somnum
 capere, nec quietem pati poterat. modo e iugo
 montis aciem in dextrum Persarum cornu demit-
 tere agitabat; modo recta fronte concurrere
 hosti: interdum haesitare, an potius in laeuum
 torqueret agmen? tandem grauatum animi an-
 17 xietate corpus altior somnus oppressit. Iamque
 luce orta duces ad accipienda imperia conue-
 nerant; insolito circa praetorium silentio adto-
 18 niti. quippe alias arcessere ipsos, & interdum
 morantes castigare adfueuerat: tunc ne ultimo
 quidem rerum discrimine excitatum esse mira-
 bantur; & non fomno quiescere, sed pauore
 19 marcere credebant. Non tamen quisquam e
 custodibus corporis intrare tabernaculum aude-
 bat: & iam tempus instabat; nec miles iniussu
 ducis, aut arma capere poterat, aut in ordines
 20 ire. Diu Parmenio cunctatus, cibum ut cape-
 rent, ipse pronunciat. Iamque exire necesse

Victoriamque] hanc ut deam cultam fuisse, prae-
 sertim a Romanis, ex monumentis innumeris patet.
 Tantummodo Symmachi epistolam ad Augustos pro-
 restituenda Victoriae ara, quam Constantinus diruerat,
 memoramus, & ex illa haec sola verba: *Qui ita fami-
 liaris est barbaris, ut aram Victoriae non requirat?* C.
 16. *altior somnus oppressit*] profundior, grauior, Dio-
 dorus XVII. 56 ἀνομήνῃ βαδέως. C. 17. *ad ac-
 cipienda imperia*] mandata, ut mox n. 21, miles ex-
 spectat imperium. C.

erat:

erat : tunc demum intrat tabernaculum : saepiusque nomine compellatum , quum voce non posset , tactu excitauit. *Multa lux*, inquit, ²¹ *est, instructam aciem hostis admouit: tuus miles inermis exspectat imperium. Vbi est vigor ille animi tui? nempe excitare vigiles soles.* Ad ²² haec Alexander ; *credisne , me prius somnum capere potuisse, quam exonerarem animum sollicitudine, quae quietem morabatur?* signumque pugnae tuba dari iussit. Et quum in eadem ²³ admiratione Parmenio perseveraret, (quod securus somnum cepisset ;) *minime*, inquit, *mirum est. ego enim, quum Darius terras videret, vicos excideret, alimenta corrumperet, potens mei non eram: nunc vero quid metuum, quum acie decer-* ²⁴ *nere paret? Hercule votum meum impleuit. Sed huius quoque consilii ratio postea reddetur: vos ite ad copias, quibus quisque praefest. ego iam adero, & quid fieri velim, exponam.* Raro ²⁵ admodum, admonitu magis amicorum, quam metu discriminis, quod adeundum erat, vti solebat munimento corporis. Tum quoque sumpto processit ad milites. Haud alias tam

22. *exonerarem animum*] Idem VI. 8. 12. *conscientiam suam exonerare. C.* 23. *quod securus somnus cepisset*] Glossæma haec inclusa Acidalio aliisque videntur. C. 25. *admonitu magis amicorum*] Luxatana, quae vulgo legebatur, periodum restituit Freinshemius, in contextum recepit Tellierus, quos duces sequi, quam in tenebris errare, satius puto. *Sumpto autem absolute positum ad praecedens referendum est, sicut III. 13. 9. emissis. C.*

alacrem viderant regem : & vultu eius interrito,
 26 certam spem victoriae augurabantur. Atque
 ille prorupto vallo exire copias iubet, aciemque
 disponit. In dextro cornu locati sunt equites,
 quos agema adpellant. praeerat his Clitus : cui
 iunxit Philotae turmas, ceterosque praefectos
 27 equitum lateri eius adplicuit. Ultima Mele-
 agri ala stabat : quam phalanx sequebatur. Post
 phalangem Argyraspides erant. his Nicanor
 28 Parmenionis filius praeerat. In subsidiis cum
 manu sua Coenos : post eum Orestes Lyncestes-
 que. Post illos Polysperchon, dux peregrini
 militis. huius agminis Amyntas princeps erat.
 * Philagus Balacros regebat, in societatem nuper

26. *agema adpellant*] Livi^{us} XXXVII. 40. *Ala mille ferme equitum : agema eam vocabant.* Appianus Syr. ἀγῆμα τῶν Μακεδόνων εἰς ἰππεῖς ἐπισκευτοί, *agema Macedonum sunt lectissimi equites.* C.

27. *Argyraspides erant*] Livi^{us} XXXVII. 40. *Argyraspides a genere armorum appellabantur.* Copiosius Diodorus XVII. 57. τὸ ἀργυρασπίδων πεζῶν τάγμα, διαφέρων τῆ τε τῶν ἕπλων λαμπρότητι, καὶ τῆ τῶν ἀνδρῶν ἀρετῇ. *Argyraspidum pedestre agmen, armorum nitore militumque virtute excellens.* Appiano autem Syr. sunt equites, ἰππεῖς ἀργυράσπιδες. Blancardus ad Arrian. pag. 462. negat Alexandrum ante Indicam expeditionem Argyraspidas habuisse ex Curt. VIII. 5. 4. Iustin. XII. 7. 5. C. 28. *Orestes Lyncestes-que*] non haec virorum nomina, sed populorum. Diodorus c. I. Ορεσῶν καὶ Λυγκιστῶν τάξειν vocat. Orestae autem & Lyncestae sunt Macedoniae populi. C.

* *Philagus Balacros regebat*] Locus fere insanabilis, certum autem ex Diodoro c. I. & Arriano, & nostro alibi IV. 5. 14. VIII, 11. 12. *Balacrum* esse viri nomen

adsci-

adscitos. Haec dextri cornu facies erat. In 29
 laeuo, Craterus Peloponnesium equites habe-
 bat Achaeorumque : & Locrensiū, & Malieon
 turmis sibi adiunctis. hos Thessali equites clau-
 debant, Philippo duce. Peditum acies equitatu
 tegebatur, frons laeni cornu haec erat. Sed ne 30
 circumiri posset a multitudine ; vltimum agmen
 valida manu cinxerat. cornua quoque subsidiis
 firmavit, non recta fronte ; sed a latere positis :
 vt, si hostis circumuenire aciem tentasset, parata
 pugnae forent. Hic Agriani erant ; quibus 31
 Attalus praeerat ; adiunctis sagittariis Creten-
 sibus. Vltimos ordines auertit a fronte, vt totam
 aciem orbe muniret. Illyrii hic erant : adiuncto
 milite mercede conducto. Thracas quoque

& ducis militum, non gentis. Freinshemius coniectat
 scriptum fuisse, *Phrygas Balacrus regebat* : Tellierus
 ex Diodoro, *Philippus Balacri* (filius, Φίλιππος ὁ
 Βαλάκρης) - - regebat, amisso gentis nomine, cuius
 vestigia putat quosdam codices adiectis syllabis *Bala-*
crifcos obscure significare. G. 29. *Malieon*]
Μαλιέων. *Μαλιέων* autem Ithionidis vel Phri-
 timi, ad sinum Maliacum habitantes. Liuius XLII. 40.
Per Thessaliam & Maliensem agrum cum exercitu
isti. C. 31. *aciem orbe muniret*] Orbis, militare
 verbum sonans militum ordinem, quo circulus com-
 ponatur, vt eos omni ex parte aduersos hostis inue-
 niat. Caesar B. Gall. IV. 37. *quum illi orbe facto sese*
defenderent, Sallustius Iugurth. c. 97. *orbes facere*,
atque ita ab omnibus partibus simul tecti &c. Liuius
 IV. 39. *tumulo quodam occupato in orbem se tuta-*
bantur. C.

- 32 simul obiecerat leuiter armatos. adeoque aciem versatilem posuit, vt, qui vltimi stabant, ne circumirentur; verti tamen, & in frontem circumagi possent. Itaque non prima quam latera; non latera munitiora fuere, quam terga.
- 33 His ita ordinatis, praecipit vt, si falcatos currus cum fremitu barbari emitterent; ipsi laxatis ordinibus impetum occurrentium silentio exciperent, haud dubius sine noxa transcurfuros, si nemo se opponeret: sin autem sine fremitu immisissent; eos ipsi clamore terrent; pauidosque equos telis vtrunque suffoderent. Qui cornibus praecerant, extendere ea iussi, ita vt nec circumuenirentur, si arctius starent; nec tamen
- 35 mediam aciem exinanirent. Impedimenta cum captiuis, inter quos mater liberique Darii custodiebantur, haud procul acie in edito colle constituit; modico praesidio relicto. Laeuum cornu, sicut alias, Parmenioni tuendum datum;
- 36 ipse in dextro stabat. Nondum ad teli iactum peruenerant, quum Bion quidam transfuga, quanto maximo cursu potuerat, ad regem peruenit; nuncians, murices ferreos in terram defodisse Darium, qua hostem equites emissurum

32. *aciem versatilem*] quae, si opus est, verti & circumagi potest. Vide III. 2. 14. C. *non prima*] subaudi *munitiora fuerunt*, quam latera. *Prima* autem vocat, quod paullo ante *frontem* dixit. S.
 33. *telis*] *hastis*, vt supra. S. 36. *murices ferreos defodisse*] *Murices* ita parati erant, vt in quam partem inciderint, aliquot aculeos protendant, fere vt *tribuli*, quos Vegetius III. 24. describit. C.

esse credebat : notatumque certo signo locum, ut fraus euitari a suis posset. Adseruari trans-³⁷ fuga iusso, duces conuocat : expositoque quod nunciatum erat, monet ; ut regionem monstratam declinent, equitemque periculum edoceant. Ceterum, hoc tantus exercitus exaudire non³⁸ poterat ; usum aurium intercipiente fremitu duorum agminum : sed in conspectu omnium duces & proximum quemque interequitans adloquebatur.

CAP. XIV.

Alexandri ad Graecorum, Dariique ad Persarum exercitus, ante pugnam, orationes.

EMENSIS tot terras in spem victoriae, de qua dimicandum foret, hoc unum superesse discrimen. Granicum hic amnem, Ciliciaeque montes, & Syriam Aegyptumque praecuntibus raptas, ingentia spei gloriaeque incitamenta, referebat. Reprehensos ex fuga Persas pugnatos, quia fugere non possent. tertium diem iam metu exsangues, armis suis oneratos, in eodem vestigio haerere. nullum desperationis illorum maius indicium esse, quam quod vrbes, quod agros suos vrerent ; quidquid non corrupissent, hostium

1. Emensis] iis, qui tot terras emensis erant hoc unum superesse. S. 2. Reprehensos ex fuga] retractos, per vim reductos. Plautus Bacch. a. II. sc. III. v. 130. Si ero reprehensus, matro ego illum infortunio, id est, reuocatus a fuga. C.

- 3 esse confessi. Nomina modo vana gentium igno-
 tarum ne extimescerent. neque enim ad belli
 discrimen pertinere, qui ab his Scythae, quiue
 Cadusi adpellentur. Ob id ipsum, quod ignoti
 4 essent, ignobiles esse. nunquam ignorari viros
 fortes: at imbelles, ex latebris suis erutos, nihil
 praeter nomina adferre. Macedones virtute ad-
 sequutos, ne quis toto orbe locus esset, qui tales
 5 viros ignoraret. Intuerentur barbarorum incon-
 ditum agmen: alium nihil praeter iaculum
 habere; alium funda saxa librare: paucis iusta
 arma esse. Itaque illinc plures stare: hinc plures
 6 dimicatuos. Nec postulare se, vt fortiter capes-
 serent proelium, ni ipse ceteris fortitudinis fuisset
 exemplum. se ante prima signa dimicaturum.
 spondere pro se, quot cicatrices, totidem corporis
 decora: scire ipsos, & num paene se praedae com-
 munis exsortem, in illis colendis ornandisque
 7 vsurpare victoriae praemia. Haec se fortibus
 viris dicere. si qui dissimiles eorum essent; illa
 fuisse dicturum: peruenisse eo, vnde fugere non
 possent. tot terrarum spatia emensis; tot anni-

3. Nomina modo vana gentium] Supra cap. 12.
 num. 9 nomina verius, quam auxilia. C. 6.
 spondere pro se quot cicatrices] Ante spondere ad
 dimicaturum adnectebatur: melius inde se iunctum
 cohaeret vocibus pro se, vt praeclare monstravit Grö-
 nouius. Sensus autem est, se nihil quam gloriam con-
 cupiscere: cetera relinquere militibus. C. to-
 tidem corporis decora] in aduerso nempe corpore:
 nam cicatrices in auerso, ignaviae & fugae indicia
 sunt. C.

bus montibusque post tergum obiectis; iter in patriam & penates manu esse faciendum. Sic duces, sic proximi militum instincti sunt. Darius in laeuo cornu erat; magno fuorum agmine, delectis equitum peditumque stipatus: contempseratque paucitatem hostis; vanam aciem esse, extentis cornibus ratus. Ceterum, sicut curru eminebat, dextra laeuaque ad circumstantium agmina oculos manusque circumferens; Terrarum, inquit, oras Oceanus hinc adluit, illinc claudit Hellespontus, paullo ante domini, iam non de gloria, sed de salute; & quod saluti praepositis, de libertate pugnandum est. Hic dies imperium, quo nullum amplius vidit aetas, aut constituet; aut finiet. Apud Granicum minima virium parte cum hoste certauimus: in Cilicia victos Syria poterat excipere; magna munimenta regni Tigris atque Euphrates erant. Ventum est eo, vnde pulsus ne fugae quidem locus est. omnia tam diuino bello exhausta post tergum sunt: non incolas suos vrbes; non cultiores habent terrae. Coniuges quoque & liberi sequuntur hanc aciem: parata hostibus praeda, nisi pro carissimis pignoribus corpora opponimus. Quod mearum fuit partium; exercitum, quem paene immensa

II. pro pignoribus corpora opponimus] Pignora coniuges & liberi sunt: Corpus opponere est tueri ita, vt periculum alterius in nos conuertamus. Cicero pro Marcello c. 10. extr. non modo excubias & custodias, sed etiam laterum nostrorum oppositus & corporum pollicemur. C.

plani-

planicies vix caperet, comparavi: equos, arma distribui: commeatus, ne tantae multitudini deessent, providi: locum, in quo acies explicari posset, elegi. Cetera in vestra potestate sunt: audete modo vincere; famamque, infirmissimum

13 aduersus fortes viros telum, contemnite. Temeritas est, quam adhuc pro virtute timuistis: quae vbi primum impetum effudit, velut quaedam

14 animalia amisso aculeo torpet. Hi vero campi deprehendere paucitatem, quam Ciliciae montes absconderant. Videtis ordines raros; cornua extenta; mediam aciem vanam & exhaustam, nam vltimi, quos locauit auersos, terga iam praebent. Obteri mehercule equorum vngulis possunt; etiamsi nil praeter falcatos currus emisero. Et bello vicerimus, si vincimus proelio: nam ne illis quidem ad fugam locus est. hinc Euphrates;

16 illinc Tigris prohibet inclusos. Et quae antea pro illis erant, in contrarium conuersa sunt. Nostrum mobile & expeditum agmen est; illud praedagraue. implicatos ergo spoliis nostris trucidabimus: eademque res & caussa victoriae erit, &

14. deprehendere] praeteritum, pro deprehenderunt. Sensus est: Postquam in planum campum uterque exercitus deuenit, iam tandem paucitatem copiarum Alexandri deprehendere possumus, quam antea montes Ciliciae absconderant. S. 15. bello vicerimus, si] En distinctum proelium a bello! Ita etiam Lilius IX. 19. Vno proelio victus Alexander, bello victus esset. C. hinc Euphrates, illinc Tigris] quasi inter vtrumque amnem acies stetit, quae vero longe vltra Tigrim erat transmota. C.

fructus.

fructus. Quod si quem e vobis nomen gentis mo-17
 uet ; cogitet , Macedonum illic arma esse , non
 corpora. multum enim sanguinis inuicem hau-
 fimus ; & semper grauior in paucitate iactura
 est. Nam Alexander , quantuscumque ignauis 18
 & timidus videri potest ; vnum animal est : & si
 quid mihi creditis , temerarium & becors ; adhuc
 nostro pauore , quam sua virtute felicius. NIHIL 19
 autem potest esse diuturnum , cui non subest ratio.
 licet felicitas adspirare videatur ; tamen AD vlti-
 mum temeritati non sufficit. Praeterea BREVES
 & mutabiles vices rerum sunt : & fortuna nun-
 quam simpliciter indulget. Forsitan ita dii fata 20
 ordinauerunt , vt Persarum imperium , quod
 secundo cursu per ducentos triginta annos ad
 summum fastigium euexerant ; magno motu con-
 cuterent magis , quam adstiterent : admonent-
 que nos fragilitatis humanae , CIVIS nimia in
 prosperis rebus obliuio est. Modo Graecis vltro 21
 bellum inferebamus : nunc in sedibus nostris pro-
 pulsamus inlatum. iactamur inuicem varieta-
 te fortunae. Videlicet imperium , quod mutuo
 adsectamus , vna gens non capit. Ceterum , etiam si 22

18. vnum animal est] ita per contemptum vocat
 Alexandrum : & quidem temerarium , cuius felicitas
 non possit esse perpetua , sed ad ruinam coeco impetu
 festinet. C. 21. vltro bellum inferebamus] Da-
 rio Hystaspis , & Xerxe ducibus. C. vna gens
 non capit] capax non est , vt vniuersale orbis impe-
 rium , aut maioris partis , sine certamine possideat ac
 queatur. C.

spes non subesset ; necessitas tamen stimulare deberet : ad extrema peruentum est, matrem meam, duas filias, Ochum in spem huius imperii genitum ; illos principes ; illam sobolem regiae stirpis ; duces vestros regum instar, vinclos habet : nisi quod in vobis est, ipse ego maiore parte captiuus sum. Eripite viscera mea ex vinculis : restituite mihi pignora, pro quibus ipse mori non recuso ; parentem, liberos, nam coniugem in illo carcere
 23 amisi. Credite, nunc omnes tendere ad vos manus ; implorare patrios deos ; opem vestram, misericordiam, fidem exposcere : ut seruitute, ut compedibus, ut precario victu ipsos liberetis. An creditis aequo animo iis seruire, quorum reges
 24 esse fastidiant ? Video admoueri hostium aciem : sed quo propius discrimen accedo ; hoc minus iis quae dixi, possum esse contentus. Precor vos per deos patrios ; aeternumque ignem, qui praefertur altaribus ; fulgoremque solis intra fines regni

22. duces vestros regum instar] satrapas amplissimis
 prouinciis, & quasi regnis praefectos. C. vinclos
 habet] subaudi, hostis. C. nisi quod in vobis est]
 si vos excipio, qui quasi pars mei estis, maiore parte in
 matre & liberis captiuus sum. C. 23. omnes]
 matrem nempe meam, & liberos. S. precario
 victu] necessitate emendicandi v[er]sus a Macedoni-
 bus. C. quorum reges esse fastidiant] qui ita
 oderunt Graecos, ut vel reges illorum esse dedignentur : tantum abest, ut aequo animo illis seruiant. C.
 24. ignem, qui praefertur altaribus] vide III. 3. 9. C.
 Solis intra fines regni mei orientis] Plebeia loquendi consuetudo, vetustis scriptoribus valde amata.
 mei

mei orientis ; per aeternam memoriam Cyri , qui ademptum Medis Lydisque imperium primus in Persidem intulit : vindicate ab Ultimo dedecore nomen gentemque Perfarum. Ite alacres & spe pleni , ut , quam gloriam accepistis a maioribus Vestris , posteris relinquatis. In dextris Vestris iam libertatem , opem , spem futuri temporis geritis. Effugit mortem , quisquis contempserit : timidissimum quemque consequitur. Ipse non patrio more solum , sed etiam ut conspici possim , curru vehor : nec recusato , quo minus imitemini me , siue fortitudinis exemplum ; siue ignaviae fuero.

Vulgus enim terrarum orbem ut discum imaginatur , cuius extremitates caelum contingant , ad easque sidera tum orientur , tum ex aduerso occidant. Darius ergo tantum Perfarum imperium esse dicit , ut ab ortu terminos , quos vulgus soli orienti constituit , longe excedat , atque ita intra fines regni Persici hoc fidus oriatur. Sic IV. 8. 3. Memnonis regia paene extra terminos solis fuisse dicitur , id est extra fines , quos vulgus ab austro credebat terris caeloque statutos esse. Adde quae Appendice Geographiae Antiquae de hac loquendi figura diximus. C. 25. in dextris vestris] Catilina ad suos apud Sallustium cap 58. memineritis vos diuitias , decus , gloriam , praeterea libertatem atque patriam dextris vestris portare. C. quisquis contempserit] Sallustius c. l. Semper in proelio iis maximum est periculum , qui maxime timent. Liuius XXII. 5. Quo timoris minus sit , eo minus ferme periculi esse. C.

CAP. XV.

Cruenti ad Arbela praelii descriptio. Victor Alexander Darium victum persequitur.

- 1 **I**NTERIM Alexander, vt & demonstratum
 a transfuga infidiarum locum circumiret; &
 Dario, qui laeuum cornu tuebatur, occurreret,
 2 agmen obliquum incedere iubet. Darius quo-
 que eodem suum obuertit; Bessò admonito, vt
 Massagetæ equites in laeuum Alexandri cornu
 3 a latere inuehi iuberet. Ipse ante se falcatos
 currus habebat: quos signo dato vniuersos in
 hostem effudit. ruebant laxatis habenis auri-
 4 gae, quo plures nondum satis prouiso impetu
 obtinerent. Alios ergo hastæ multum ultra
 remones eminentes; alios ab vtroque latere
 dimissæ falces lacerauerunt. nec sensim Mace-
 dones cedebant; sed effusa turbauerat fuga or-
 5 dines. Mazæus quoque perculsis metum incus-
 sit: mille equitibus ad diripienda hostis impedi-
 menta circumuehi iussit: ratus, captiuos quoque,
 qui simul adseruabantur, rupturos vincula, quum
 6 suos adpropinquantes vidissent. Non fefellerat

1. *infidiarum locum*] quo murices defossi erant. cap. 13. n. 36. C. 2. *Massagetæ in laeuum cornu*] At Bessus cum Massagetis steterat in Darii laeuo cornu cap. 12. n. 6. quomodo ergo ferri potuerunt in laeuum Alexandri? nisi in a. latere subsidium conciliationis fortasse quaesieris. C. 6. *Non fefellerat*] Mazæus, qui impedimenta inuadere volebat, non adeo clanculum res suas agere poterat, vt Parmenionem licuisset fallere. S.

Par-

Parmenionem, qui in laeuo cornu erat: propere igitur Polydamanta mittit ad regem, qui & periculum ostenderet, &, quid fieri iuberet, consuleret. Ille audito Polydamante, *abi nuncia*, 7 inquit, *Parmenioni, si acie vicerimus, non nostra solum nos recuperaturos; sed omnia, quae hostium sunt, occupaturos. Proinde non est, quod quidquam virium subducat ex acie: sed ut me & Philippo patre dignum est, contempto sarcinarum damno, fortiter dimicet.* Interim barbari impedimenta turbauerant; caesisque plerisque custodum, captiui, vinculis ruptis, quidquid obuium erat, quo armari possent, rapiunt: & adgregati suorum equitibus, Macedonas ancipiti circumuentos malo, inuadunt. laetique circa Sisygambim, *vicisse Darium: ingenti caede prostratos hostes; ad vltimum etiam impedimentis exutos esse*, nunciant. quippe eandem fortunam vbique esse credebant; & victores Persas ad praedam discurrisse. Sisygambis, hortantibus captiuis, vt animum a moerore adleuaret; in eodem, quo antea fuit, perseuerauit. non vox vlla excidit ei: non oris color, vultusue mutatus est: sed sedit immobilis (credo, praecoce gaudio

consuleret] consilium quaereret. S. 10. laetique circa Sisygambim] Decurtata formula, qua spadones notantur, sicut a pedibus serui sunt; a latere, satellites, domestici III 5. 15. Integra exstat IV. 10. 25. & spadonibus, qui circa reginam erant. Et Plinius Paneg. 83. 3. omnes circa te, id est, domestici tui. C. II. praecoce gaudio fortunam irritare] metuens, ne

- verita fortunam inritare) adeo vt quid mallet,
 12 intuentibus fuerit incertum. Inter haec Amyntas, praefectus equitum Alexandri, cum paucis turmis opem impedimentis laturus aduenerat; incertum suone consilio, an regis imperio. sed non sustinuit Cadusiorum Scytharumque impetum: quippe vix tentato certamine effugit ad regem, amissorum impedimentorum testis magis,
 13 quam vindex. Iam consilium Alexandri vicerat dolor: & ne cura recuperandi sua militem a proelio auerteret; non immerito verebatur. Itaque Areten, ducem hastatorum, quos sari-sophoros vocabant, aduersus Scythas mittit.
 14 Inter haec currus, qui circa prima signa turba-uerant aciem; in phalangem inuecti erant. Macedones confirmatis animis in medium
 15 sagmen accipiunt. Vallo similis acies erat: iunxerant hastas; & ab utroque latere temere incur-rentium ilia suffodiebant. circumire deinde

fortunam infestam sibi redderet praematurato & intem-pestuo gaudio. C. 12. non sustinuit impetum] Verbum militare *sustineo*, sonans impetum incurren-tium hostium fortiter ferre, non recedere. Nepos Hannibale II. 4. *quorum vim quum rex sustinere non possit*. Caesar B. Gall. II. 6. *nisi subsidium sibi mit-tatur, se diutius sustinere non posse*. C. 13. con-silium vicerat dolor] dolebat Alexander se hoc con-silium dedisse, scilicet, vt impedimenta a raptu hostium non defenderent. S. quos sari-sophoros voca-bant] Liuius XXXVII. 42. *impeditus vsus praelon-garum hastarum: sari-sphas Macedones vocant*. Adde notata III. 3. 15. C. 15. *vallo similis acies*] hastis ita varie iunctis, vt rami in vallo solebant. C.

currus,

currus, & propugnatores praecipitare coeperunt. Ingens ruina equorum aurigarumque aciem 16 compleverat. hi territos regere non poterant: equi crebra iactatione cervicium non iugum modo excusserant; sed etiam currus euerterant. vulnerati interfectos trahebant: nec consistere territi; nec progredi debiles poterant. Paucae 17 tamen euasere quadrigae in ultimam aciem, iis, quibus inciderunt, miserabili morte consumptis. quippe amputata virorum membra humi iacebant; & quia calidis adhuc vulneribus aberat dolor, trunci quoque & debiles arma non omittebant: donec multo sanguine effuso, exanimati procumberent. Interim Aretes, Scytharum, 18 qui impedimenta diripiebant, duce occiso; grauius territis instabat. Superuenere deinde missi a Dario Bactriani, pugnaeque vertere fortunam. Multi ergo Macedonum primo impetu obtriti sunt: plures ad Alexandrum refugerunt. Tum 19 Persae, clamore sublato, qualem victores solent edere, ferociter in hostem, quasi vbique profi-

17. *amputata virorum membra*] Appianus Michridatico 182. δρεπανοφόρα ἄρματα διέκοπτε καὶ διέτεμνε τὰς μὲν ἀσπίδας ἐς δύο, τοὺς δὲ ἐς μέρη πολλὰ. τὸ, τε γιγνώμενον, ἐξέπληττε τὴν στρατιάν, ὅτε ἴδοιμεν ἡμιτόμας, ἄνδρας ἔτι ἐμπνούς, ἢ ἐς πολλὰ διεβριμμένους, ἢ τῶν δρεπανοφόρων ἀπητημένους. *Falcati currus alios in duas, alios in plures partes lacerabant, quod exercitum conterruit, dum vidit dimidiatos viros spirantes adhuc, aut in multa frustra discerptos, aut artus pendentes a curribus. C. debiles] membro aliquo mutilati. Vide infra Cellarium ad c. 16. II. S.*

gatum, incurrunt. Alexander territos castigare; adhortari; proelium, quod iam elanguerat; solus accendere: confirmatisque tandem animis, 20
 ire in hostem iubet. Rarior acies erat in dextro cornu Persarum, namque inde Bactriani deceserant ad opprimenda impedimenta. itaque Alexander laxatos ordines inuadit, & multa
 21 caede hostium inuehitur. At qui in laevo cornu erant Persae, spe posse eum includi, agmen suum a tergo dimicantis opponunt: ingensque periculum in medio haerens adisset, ni equites Agriani calcaribus subditis circumfusus regi barbaros adorti essent, auersosque caedendo in se obuerti
 22 coegissent. Turbata erat vtraque acies. Alexander a fronte, & a tergo, hostem habebat: qui auerso ei instabant, ab Agrianis militibus premebantur: Bactriani, impedimentis hostium, direptis reuersi, ordines suos recuperare non poterant: plura simul abrupta a ceteris agmina, vbi-
 23 cumque alium alii fors miscuerat, dimicabant. Duo reges iunctis prope agminibus proelium accendebant. plures Persae cadebant; par
 24 ferme vtriusque numerus vulnerabatur: curru Darius, Alexander equo vehebatur: vtrumque delecti tuebantur, sui immemores. quippe amisso rege nec volebant salui esse, nec poterant ante oculos sui quisque regis mortem occumbere

21. auersosque caedendo] a tergo instando. C.
 24. sui immemores] non cogitabant de sua, sed tantum de Regis sui defensione. S.

ducebant egregium. maximum tamen pericu-²⁵
 lum adibant, qui maxime tuebantur; quippe
 sibi quisque caesi regis expetebat decus. Cete-²⁶
 rum, siue ludibrium oculorum, siue vera species
 fuit; qui circa Alexandrum erant, vidisse se cre-
 diderunt, paullulum super caput regis placide
 volantem aquilam, non sonitu armorum, non
 gemitu morientium territam: diuque circa
 equum Alexandri pendeuti magis, quam volanti
 similis adparuit. Certe vates Aristander, alba²⁷
 veste indutus, & dextra praeferens lauream,
 militibus in pugnam intentis auem monstrauit,
 haud dubium victoriae auspiciam. Ingens ergo²⁸
 alacritas ac fiducia paullo ante territos, accendit
 ad pugnam. utique postquam auriga Darii, qui
 ante ipsum sedens equos regebat, hasta trans-
 fixus est. nec aut Persae, aut Macedones dubi-
 tauere, quin ipse rex esset occisus. Lugubri²⁹
 ergo ululatu & incondito clamore gemituque
 totam fere aciem adhuc aequo Marte pugnan-
 tium turbauere cognati Darii & armigeri; laeuo-
 que cornu in fugam effuso, destituerant curram:

25. caesi regis decus] ut spolia inde, quae opima
 dicebantur, referret. C. 26. placide volantem
 aquilam] Seneca Quaest. Nat. II. 31. aquilae hic
 honor datus est, ut magnarum rerum faceret auspi-
 cia. C. 28. aurigam Darii transfusus est] ipse
 Alexander Darium iaculo petens, errante ictu ad-
 sidentem aurigam transfudit. Diodor. Sic. XVII.
 60. C.

quem a dextra parte stipati in medium agmen
 30 receperunt. Dicitur acinace stricto Darius du-
 bitasse, an fugae dedecus honesta morte vitaret.
 Sed eminens curru nondum omnem suorum aci-
 em proelio excedentem destituere erubescibat.
 31 Dum inter spem & desperationem haesitat,
 sensim Persae cedebant, & laxauerant ordines.
 Alexander mutato equo, quippe plures fatiga-
 uerat, resistentium aduersa ora fodiebat, fugien-
 32 tium terga. Iamque non pugna, sed caedes erat:
 quum Darius quoque currum suum in fugam
 vertit. Haerebat in tergis fugientium victor:
 sed prospectum oculorum nubes pulueris, quae
 ad caelum ferebatur, abstulerat. ergo haud
 fecus quam in tenebris errabant; ad sonitum
 33 notae vocis, vt signum, subinde coeuntes. Ex-
 audiebantur tantum strepitus habenarum, qui-
 bus equi currum trahentes identidem verbera-
 bantur: haec sola fugientis vestigia excepta
 sunt.

30. *Dicitur Darius dubitasse*] Iustinus XI. 14.
Darius quum vinci suos videret, mori voluit & ipse;
sed a proximis fugere compulsus est. Committi exem-
 plum Iulii Caesaris potest, in proelio ad Mundam eam-
 dem ob causam de consciscenda nece cogitantis. *Sue-*
tion. cap. 36. C. 32. *prospectum nubes pulueris*
abstulerat] Pariter V. 13. 12. *sed prospectum ademerat*
pulueris nubes. C.

CAP. XVI.

Parmenio, in discrimine constitutus, Alexandrum retrahit. Tandem integra victoria potiti Macedones, reliquos Persas, multis suorum millibus desideratis fuga sibi quaerere salutem cogunt.

AT in laeua Macedonum cornu, quod Parmenio, sicut ante dictum est, tuebatur: longe alia fortuna vtriusque partis res gerebatur. Mazaeus, cum omni suorum equitatu vehementer inuectus, vrgebat Macedonum alas; iamque abundans multitudine aciem circumuehi coeperat; quum Parmenio equites nunciare iubet Alexandro, in quo discrimine ipsi essent, nisi mature subueniretur, non posse sibi fugam. Iam multum viae processerat Rex, imminens fugientium tergis; quum a Parmenione tristes nuncius venit. refrenare equos iussi, qui uehebantur, agmenque constitit: frendente Alexandro, eripi sibi victoriam e manibus; & Darium felicius fugere quam sequi se. Interim ad Mazaeum superati regis fama peruenerat. Itaque, quamquam validior erat; fortuna tamen partium territus, percussis languidius instabat.

3. *refrenare equos*] inhibere, a cursu fugientes persequente reuocare. Cicero Philipp. XI, 2. *Antonio se Brutus obiecit, a progressu arcuit, a reditu refrenauit.* & pro Coelio cap. 31. *magno ingenio adulescentes refrenandi potius a gloria, quam incitandi fuerunt.* C. *frendente Alexandro*] indignante, iniquissime ferente. C.

- Parmenio ignorabat quidem causam sua sponte pugnae remissae : sed occasione vincendi strenue est usus. Thessalos equites ad se vocari iubet.
- 5 *Ecquid, inquit, videtis istos, qui ferociter modo instabant, pedem referre, subito pauore perterritos? Nimirum nobis quoque regis nostri fortuna vincit. omnia Persarum caede strata sunt. quid cessatis? an ne fugientibus quidem pares estis?*
- 6 Vera dicere videbatur, & spes languentes quoque erexerat. subditis calcaribus prouere in hostem, & illi iam non sensim, sed citato gradu recedebant, nec quidquam fugae, nisi quod terga nondum verterant, deerat. Parmenio tamen, ignarus quaenam in dextro cornu fortuna regis
- 7 esset, repressit suos: Mazaeus, dato fugae spatio, non recto itinere; sed maiore & ob id tutiore circumitu Tigrim superat: & Babylonem cum
- 8 reliquiis deuicti exercitus intrat. Darius paucis fugae comitibus ad Lycum amnem contenderat, quo traiecto dubitauit an solueret pontem, quippe hostem iam adfore nunciabatur. Sed tot millia suorum, quae nondum ad amnem peruenerant, ponte reciso, praedam hostis fore
- 9 videbat. Abeuntem, quum intactum fineret pontem, dixisse constat, *Malle insequentibus iter dare; quam auferre fugientibus.* Ipse ingens spatium fuga emensus, media fere nocte

6. repressit suos] prohibuit, ne tam longe hostes sequerentur. S. 9. Abeuntem] Ordo: *Constat* (Mazaeum) abeuntem dixisse, quum intactum esset. S.

Arbela peruenit. Quis tot ludibria fortunae,¹⁰ ducum agminumque caedem multiplicem; deuietorum fugam; clades nunc singulorum, nunc vniuersorum, aut animo adsequi queat, aut complecti? Propemodum saeculi res in vnum illum diem fortuna cumulauit. Alii qua breuissimum ^I patebat iter; alii diuersos saltus, & ignotos sequentibus calles petebant. Eques pedesque confusi sine duce, armatis inermes, integris debiles implicabantur. Deinde, misericordia in ^I metum versa, qui sequi non poterant, inter mutuos gemitos deserebantur. Sitis praecipue ^I fatigatos & faucios perurebat, passimque omni-

Arbela peruenit] Hinc apparet, quanto interuallo hoc oppidum a pugnae loco, orientem versus & ultra Lycum annum, fuerit remotum. Proelium autem inter Tigrim & Lycum commissum erat, vnde Mazaeus Babylonem petiturus, Tigrim superauit, *num. 7.* Darius ad interiora regni properans, Lycum ponte transiit. Ptolemaeus, quem alibi sequuti sumus, *Lycum* eis Arbela ponit, *Caprum* tandem annum prope illa. Nec fere aliter Strabo XVI. ineunte, & Plinius VI. 26. quamquam hic Absdrin vocat, qui aliis Caprus est. *C. 10. saeculi res*] quae vix integro saeculo alias contigerant, in vnum diem collegerat fortuna. *C. 11. integris debiles*] integri, pugnae discrimen nondum experti: Debiles, vulnerati, aut membro mutilati. Adde V. 4. 28. *C. 12. misericordia in metum versa*] hi, qui fauciorum & debilium misereri volebant, eosque ad loca tuta deducere, metuebant ipsi, ne hostis eos lento admodum gradu incedentes, insequeretur: atque propter hunc metum faucios deserabant. *S.*

bus riuus prostrauerant corpora, praeterfluentem
 aquam hianti ore captantes. quam quum diu
 auidi turbidam hausissent, tendebantur extem-
 plo praecordia premente limo; resolutisque &
 torpentibus membris, quum superuenisset ho-
 14stis, nouis vulneribus excitabantur. Quidam,
 occupatis proximis riuus, diuerterant longius,
 vt, quidquid occulti humoris vsquam manaret,
 exciperent. nec vlla adeo auia & sicca lacuna
 15erat, quae vestigantium sitim falleret. E proximi-
 mis vero itineri vicis senum vhlatus femina-
 rumque exaudiebantur, barbaro ritu Darium
 16adhuc regem clamantium. Alexander, vt supra
 dictum est, inhibito suorum cursu ad Lycum
 amnem peruenerat. vbi ingens multitudo fugi-
 entium onerauerat pontem, & plerique, quum
 hostis vrgeret, in flumen se praecipitauerant,
 graesque armis, & proelio ac fuga defatigati
 17gurgitibus hauriebantur. Iamque non pons
 modo fugientes; sed ne amnis quidem capiebat,
 agmina sua improuide subinde cumulantes.
 quippe, vbi intrauit animos pavor, id solum
 metuunt, quod primum formidare coeperunt.
 18Alexander, instantibus suis, impune abeuntem
 hostem sequi permitteret; *hebetia tela esse, &*

17. vbi intrauit animos pavor] quippe timo-
 rem timor vincit. Plinius Epist. VI. 16. & nihil
 saueri solet praeter id, quod occurrit. Ammian.
 XVI. 26. C.

manus fatigatas; tantoque cursu corpora exhau-
sta, & praeceptis in noctem diei tempus caussatus
 est. Re vera de laeuo cornu, quod adhuc in 19
 acie stare credebat, sollicitus, reuerti ad ferendam
 opem suis statuit. Iamque signa conuerterat;
 quum equites, a Parmenione missi, illius quoque
 partis victoriam nunciant. Sed nullum eo die 20
 maius periculum adiit, quam dum copias reducit
 in castra. Pauci eum & incompositi sequeban-
 tur ouantes victoria. quippe omnes hostes aut 21
 in fugam effusos, aut in acie credebant ceci-
 disse; quum repente ex aduerso adparuit agmen
 equitum, qui primo inhibuere cursum, deinde
 Macedonum paucitate conspecta, turmas in
 obuios concitauerunt. Ante signa rex ibat 22
 dissimulato magis periculo, quam spreto: nec
 defuit ei perpetua in dubiis rebus felicitas, nam- 23
 que praefectum equitatus audum certaminis, &

18. *caussatus est*] *causam praetexuit, et hac*
vorgeschützt, vorgewendet, quod probe notandum.
 Nam hodie plerique *caussari* idem putant significare,
 quod *alicuius rei causam esse*, quod tamen barbarum
 est. Vide Cellarii *Antibarbar.* c. 3. p. 158. & *Curas*
Poster. c. 10. p. 372. S. 19. *signa conuerterat*] *vt*
eorum conuersione docti milites etiam reuertentur,
 & laeuo cornu auxilio venirent. S. 22. *dissimu-*
lato periculo] ita se gerebat, quasi nullum adesset
 periculum, *es war ihm nichts drum*, non tamen plane
 illud spernebat. S.

ob id ipsum incautius in se ruentem, hasta transfixit. quo ex equo lapso, proximum, ac deinde
 24 plures eodem telo confodit. Inuasere turbatos amici quoque; nec Persae inulti cadebant: quippe non vniuersae acies, quam hae tumultuariae manus vehementius iniere certamen.
 25 Tandem barbari, quum obscura luce, fuga tutior videretur esse quam pugna, diuersis agminibus abiere. Rex, extraordinario periculo defunctus,
 26 incolumes suos reduxit in castra. Cecidere Persarum, quorum numerum victores finire potuerunt, millia XL; Macedonum minus quam
 27 CCC desiderati sunt. Ceterum, hanc victoriam rex maiore ex parte virtuti, quam fortunae suae
 28 debuit; animo, non vt antea, loco vincit. Nam & aciem peritissime instruxit: & promptissime ipse pugnavit: & magno consilio iacturam sarcinarum

23. *telo*] *basta*, quod iam adfuit. S. 14. *amici*] Alexandri h. e. *primarii exercitus ductores*. Sicut alias vox haec de *consiliariis* adhibetur. S. *tumultuariae manus*] agmina fortuito, & partim sine ordine concurrentia, C. 25. *extraordinario periculo*] in quod extra proelium iam victor inciderat. C. 26. *millia XL.*] Diodorus Siculus cap. 61. *πλείης τῶν ἐν τῷ μυσιάδων*. amplius nongenta millia: Macedonum vero *εἰς πεντακοσίας*, ad quingentos. C. 27. *non vt antea loco*] victoria ad Issum, loci naturae & angustiis imputabatur. Vide IV. 5. 4. C.

impedi-

impedimentorumq; contempfit, quum in ipsa acie
 summum rei videret esse discrimen : dubioque
 adhuc pugnae euentu pro victore se gessit, per-
 culsos deinde hostes fudit : fugientes , quod in
 illo ardore animi vix credi potest, prudentius
 quam auidius persequutus est. Nam si parte
 exercitus adhuc in acie stante, instare cedentibus
 perseuerasset ; aut sua culpa victus esset : aut ali-
 ena virtute vicisset. iam si multitudinem equi-
 tum occurrentium extimuisset ; victori aut foede
 fugiendum , aut miserabiliter cadendum fuit.
 Ne duces quidem copiarum sua laude fraudandi
 sunt ; quippe vulnera , quae quisque excepit,
 indicia virtutis sunt. Hephæstionis brachium
 hasta ictum est : Perdicas, ac Coenus, & Meni-
 das, sagittis prope occisi. Et, si vere aestimare
 Macedonas, qui tunc erant, volumus : fatebimur,
 & regem talibus ministris, & illos tanto rege
 fuisse dignissimos.

30. *sua culpa victus esset*] quia alteri parti exer-
 citus non subuenerat. S. *aliena virtute*] nim-
 alterius *coenu*, S.

Q. CVRTII RVFI,
DE
REBVS GESTIS
ALEXANDRI REGIS
MACEDONVM,
LIBER V.

CAP. I.

Dario Mediae fines ingresso, Arbelis portitur Alexander, & Babylone; cuius situs, amplitudo, & corrupti mores describuntur.

- 1 **Q**VAE interim ductu imperioque Antipatri
vel in Graecia, vel in Illyriis ac Thracia
gesta sunt; si quaeque suis temporibus reddere
2 voluero; interrumpendae sunt res Asiae: Quas
vtique ad fugam mortemque Darii vniuersas in
conspectu dari, & sicut inter se cohaerent tem-
pore, ita opere ipso coniungi, haud paullo aptius
videri potest. Igitur ante, quae proelio apud
3 Arbela coniuncta sunt, ordiar dicere. Darius
media fere nocte Arbela peruenit: eodemque
magnae partis amicorum eius ac militum fugam

I. *ductu imperioque Antipatri*] Omnes libri Alexandri, manifesto errore, quem detexit Tanaquillus Faber Epist. XXXII. libri I. Quomodo enim Alexander, qui in Asia versabatur, poterat in Illyriis ac Thracia ductu suo res gerere? Ita enim *ductu* & *auspiciis* apud bonos scriptores distinguuntur, vt illud semper praesentiam ducis postulet, hoc etiam ad absentem referri possit. C.

fortuna

fortuna compulerat. quibus conuocatis expo- 4
 nit; *haud dubitare se, quin Alexander celeberrimas vrbes, agrosque, omni copia rerum abundantes petiturus esset, praedam opimam pararamque ipsum & milites eius spectare.* Id suis 5
rebus tali in statu saluti fore, quippe se deserta cum expedita manu petiturum. Vltima regni adhuc intacta esse; inde bello vires haud aegre reparaturum. Occuparet sane gazam auidissima gens, 6
& ex longa fame satiaret se auro, mox futura praedae sibi; didicisse & su preciosam suppellectilem, pellicesque & spadonum agmina nihil aliud fuisse, quam onera & impedimenta. eadem trahentem Alexandrum, quibus antea vicisset, inferiorem fore. Plena omnibus desperationis videbatur 7
 oratio; quippe Babylonem urbem opulentissimam dedi cernentibus. iam Susa, iam cetera ornamenta regni, causamque belli victorem occupaturum. At ille docere pergit: *non speciosa dictu, sed & su necessaria in rebus aduersis* 8

5. *deserta petiturum*] in loca deserta profecturum. S. *ultima regni*] extremas & finitimas regni prouincias. S. 7. *iam Susa*] Vt Babylon caput Chaldaeae, ita Susa fuere prima & praecipua vrbs Persiae, & ante Persepolim regia. C. *causamque belli*] Obscurissima verba, pro quibus mauult Tanaquillus *gazamque Beli*, aut aliquid simile, Epist. II. Qui vulgatam scripturam retinent, ita interpretantur, vt ornamenta regni & opulentas vrbes causam & incitamentum fuisse dicant, saltim ex Perfarum opinione, cur Macedones hoc bellum susceperint. C. S. *non speciosa dictu*] Velleius II, 113. *utilia speciosis praefereus.* C.

sequenda

sequenda esse. Ferro geri bella, non auro: Viris,
 non Erbius tectis. omnia sequi armatos. Sic
 maiores suos percussos in principio rerum, celeriter
 9 pristinam reparasse fortunam. Igitur, siue con-
 firmatis eorum animis, siue imperium magis
 quam consilium sequentibus, Mediae fines in-
 10 gressus est. Paulo post Alexandro traduntur
 Arbela, regia supellectili, ditique gaza repleta.
 quatuor millia talentum fuere: praeterea preci-
 osee vestes: totius, vt supra dictum est, exercitus
 11 opibus in illam sedem congestis. Ingruentibus
 deinde morbis, quos odor cadaverum totis
 iacentium campis vulgauerat, maturius castra
 mouit. Euntibus a parte laeua, Arabia,

maiores suos in principio rerum] vel quum ab
 Astyage victi matrum occurfu in proelium compulsi
 sunt. Iustin. I. 6. vel quum post cladem a Tomyri ac-
 ceptam res suas breui restituerunt. C. 10. preci-
 osas vestes] Minus generose dictum Barthio Aduersar.
 LII. 16. videtur. qui cum grammaticis singulari numero
 mauult *preciosu vestis*; aut potius *preciosa vis vestis*.
 Infra V. 9. 2. *nos vere preciosissimam vestem induti*.
 Freinshemio non displicet singularis, sed sine vocis vis
 interpositione. C. 11. Euntibus a laeua, Ara-
 bia] Vexatus locus. Sunt qui *Aluria* ex Strabone XVI.
 ineunte, pro Arabia malint: Barthius c. l. *Arabiam*
 facit, & quae de odorum fertilitate sequuntur, paren-
 thesi includit: Gronouius ET interponit, vel subaudit
 hoc sensu: *euntibus a parte laeua* (qua ducebat Ale-
 xander) *Arabia, odorum fertilitate nobilis regio*,
 ET *campestre iter est*. Fac vero scripturam sine naeuo
 esse, non tamen sine errore est Curtius, qui Arabiam
 odoriferam viae Arbelis Babylonem ducenti tam pro-
 pinquam constituit, a qua satis longo intervallo amor-
 erat. C.

odorum

odorum fertilitate nobilis regio, campestre iter est. Inter Tigrim & Euphratem iacentia tam ¹²uberi & pingui solo sunt; vt a pastu repelli pecora dicantur, ne fatietas perimat. Causa fertilitatis est humor, qui ex utroque amne manat, toto fere solo propter venas aquarum resudante. Ipsi amnes ex Armeniae montibus profluunt, ac ¹³magno deinde aquarum diuortio iter, quod cepere, percurrunt. duo millia, & D stadia emensi sunt, qui amplissimum interuallum circa Armeniae montes notauerunt. Idem quum ¹⁴Mediae & Gordianorum terras secare coeperunt, paulatim in arctius coeunt, & quo longius manant, hoc angustius inter se spatium terrae relinquunt. Vicini maxime sunt his campis, quos ¹⁵incolae Mesopotamiam adpellant; mediam

odorum] odoramentorum, qualia sunt thus, cinnamomum. *S.* ^{12.} *propter venas aquarum*] Aldini aliique veteres codices *per venas*, quod Barthius c. 1. probat. Freinshemio *propter idem est quod prope, iuxta*, idque absolute positum sine casu, cum hac distinctione: *toto fere solo propter venas aquarum resudante*. Potest tum subaudiri, propter siue iuxta illos omnes. *C.* ^{14.} *Mediae & Gordianorum terras*] Falsum. neque enim Tigris neque Euphrates Mediae aut Gordienae siue Corduenae, quae vltima Armeniae ad Mediam regio est, contingunt. Deceptus autem noster a Diodoro fuit, qui Lib. II. cap. XI. ex Armeniae quidem montibus hos amnes, sed per Paratacenam Mediam deducit. *C.* ^{15.} *quos incolae Mesopotamiam*] At barbari incolae, Syri, Arabes: nomen pure Graecum, quod ante Macedonum tempora vix his locis auditum fuit. Idem errauit Arri-

namque

namque ab utroque latere concludunt. Iidem
 per Babyloniorum fines in Rubrum mare pro-
 16rumpunt. Alexander quartis castris ad Men-
 nim urbem peruenit. Cauerna ibi est, ex qua
 fons ingentem vim bituminis effundit, adeo, ut
 fatis constet, Babylonios muros ingentis operis
 17huius fontis bitumini interlitos esse. Ceterum,
 Babylonem procedenti Alexandro Mazaeus, qui
 ex acie in urbem eam confugerat; cum adultis
 liberis suppliciter occurrit, urbem seque dedens.
 Gratus aduentus eius fuit regi. quippe magni
 operis futura erat obsidio tam munitae urbis.
 18Ad hoc vir illustis, & manu promptus, fama-
 que etiam proximo proelio celebris, & ceteros
 ad deditioem sui incitaturus exemplo videba-
 19tur. Igitur hunc quidem benigne cum liberis
 excepit: ceterum quadrato agmine, quod ipse
 ducebat, velut in aciem irent, ingredi suos iubet.
 Magna pars Babyloniorum constiterat in muris;
 auida cognoscendi nouum regem: plures obui-
 20am egressi sunt. Inter quos Bagophanes arcis
 & regiae pecuniae custos, ne studio a Mazaeo

anus VII. pag. 345. nomen hoc pariter *πρὸς τῶν ἐπιχω-
 ρίων*, tanquam ab incolis impositum, interpretans. C.
in Rubrum mare] in sinum Persicum, qui ex Ery-
 thraeo potius quam rubro mari (quale nullum est)
 effunditur. Vide infra VIII. 9. 14. C. 16. ad
Memnim urbem] ignota urbs geographis. Ortelius
 vult *Memnonium*: sed haec in Perside, acropolis Suso-
 rum, *Strab. XV.* non in Babylonia fuit. C. 19.
quadrato agmine] phalange & reliquis copiis tanquam
 ad pugnam instructis. C.

vince-

vinceretur, totum iter floribus coronisque con-
 frauerat; argenteis altaribus utroque latere
 dispositis, quae non thure modo, sed omnibus
 odoribus cumulauerat. Eum dona sequebamur^{2 1}
 tur, greges pecorum equorumque, leones quo-
 que & pardales caueis praeferebantur. Magi^{2 2}
 deinde suo more patrium carmen canentes. Post
 hos Chaldaei, Babyloniorumque non vates mo-
 do, sed etiam artifices cum fidibus sui generis
 ibant. Laudes ii regum canere soliti: Chaldaei
 siderum motus & statas temporum vices osten-
 dere. Equites deinde Babylonii; suo atque^{2 3}
 equorum cultu ad luxuriam magis, quam ad
 magnificentiam exacto, vltimi ibant. Rex, ar-
 matis stipatus, oppidanorum turbam post vlti-

20. floribus, coronis, altaribus] Ritus à diis ad
 homines translatus adulationis causa. Sacrum exem-
 plum habes apud Ciceronem, *Verr. VI. 35.* de Diana
 Siculorum; hominibus idem honos habitus, & quidem
 Metello ab Hispanis, *Valer. Max. IX. 1. 5.* Caligulae
 a Campanis, *Sueton. 13.* Vitellio a Cremonensibus,
Tacit. Hist. II. 70. Caracallae ab Alexandrinis, *Hero-*
dian. IV. 5. Adde notata Lipsio in Tacitum c. 1, &
 Casaubono in Suetonium. C. 22. Magi patrium
 carmen canentes] Vide supra III, 3, 10. C. Chal-
 daei vates, artifices] Vide quae ibidem notauimus
 ad num. 6, pag. 34. C. statas temporum vices]
 Tempora, quae mutuo sibi & per vices succedunt.
 Pacatus Theodosio c. IX. amoena litora & dispositi
 ad temporum vices secessus. Eumenius Constantio
 cap. IV. elementa quatuor, & totidem anni vices.
 Arnobius I, II. post princip. vices temporarias vo-
 cat. C.

mos

- mos pedites ire iussit : ipse cum curru urbem ;
 ac deinde regiam intrauit. Postero die supelle-
 ctilem Darii, & omnem pecuniam recognouit.
- 24 Ceterum, ipsius urbis pulchritudo ac vetustas,
 non regis modo ; sed etiam omnium oculos in
 semet haud immerito conuertit. Semiramis eam
 condiderat ; vel, ut plerique credere, Belus,
- 25 cuius regia ostenditur. Murus instructus later-
 culo coctili, bitumine interlitus, spatium XXX
 & duorum pedum latitudinem amplectitur :
 quadrigae inter se occurrente sine periculo com-
- 26 meare dicuntur. Altitudo muri C cubito-
 rum eminet spatio : turres denis pedibus quam
 murus altiores sunt. Totius operis ambitus
 CCCLXVIII stadia complectitur : singulorum
 stadiorum structuram singulis diebus perfectam
 esse memoriae proditum est. Aedificia non sunt
 admota muris, sed fere spatium vnius iugeris ab-
- 27 sunt. Ac ne totam quidem urbem tectis occu-
 pauerunt : per xc stadia habitatur, nec omnia

23. *Ipse cum curru urbem*] triumphantis more.
 vide IV. 1. 1. Ceterum praepositionis insolentior vsus
 videtur pompae & apparatus comitatum significare.
 Plautus similiter II. 3. 10. *incedunt subfarcinati cum
 libris. C.* 24. *Semiramis eam condiderat*] Quam
 incerta, aut falsa sint, quae de Semiramide ex Ctesia
 ab antiquis pariter & nouis scriptoribus traduntur,
 Historia Antiqua pag. 4. monstrauimus. C. vel
Belus] verius amplificator, quam conditor. Nondum
 enim, quod vulgo creditur, probatum est, Belum eun-
 dem & Nimrodum fuisse, vel Nimrodo non longe poste-
 riorem. Vide nostram *Hist. antiq. p. 3. C.* *regia*]
 subaudi *arx* vel *domus, S.*

conti-

continua sunt : credo , quia tutius visum est ,
 pluribus locis spargi. cetera ferunt coluntque,
 vt si externa vis ingruat , obsessis alimenta ex
 ipsius vrbis solo subministrentur. Euphrates
 interfluit , magnaëque molis crepidinibus coër-
 cetur. Sed omnium operum magnitudinem ²⁸
 circumueniunt caernae ingentes , in altitudi-
 nem pressae ad accipiendum impetum fluminis ;
 quod vbi adpositae crepidinis fastigium excessit ,
 vrbis tecta corripere , nisi essent specus lacus-
 que , qui exciperent. Coctili laterculo structi ²⁹
 sunt , totum opus bitumine adstringitur. Pons
 lapideus , flumini impositus , iungit vrbem. hic
 quoque inter mirabilia Orientis opera numeratus
 est : quippe Euphrates altum limum vehit , quo
 penitus ad fundamenta iacienda egesto , vix
 sufficiendo operi firmum reperiunt solum. arc-³⁰
 nae autem subinde cumulatae , & saxis , quibus
 pons sustinetur adnexae , morantur amnem ; qui
 retentus acrius , quam si libero cursu mearet ;
 inliduntur. Arcem quoque ambitu xx stadia ³¹
 complexam habet. xxx pedes in terram turri-
 um fundamenta demissa sunt : ad LXXX sum-
 mum munimenti fastigium peruenit. Super ³²

28. in altitudinem] profunditatem. Diximus
 ad IV. 2. C. adpositae crepidinis] vide IV. 5.
 21. C. 29. coniungit vrbem] partes vrbis , vt ex
 vna ad alteram per eum pontem transire potuerint. S.
 sufficiendo operi] suffulciendo mauult Bongarsius.
 sed nec sufficiendo inelegans. Significat enim funda-
 mentorum substructionem. C.

- arce vulgatum Graecorum fabulis miraculum, pensiles horti sunt : summam murorum altitudinem aequantes, multarumque arborum umbra
- 33 & proceritate amoeni. Saxo pilae, quae totum onus sustinent, instructae sunt : super pilas lapide quadrato solum stratum est, patiens terrae, quam altam iniiciunt ; & humoris, quo rigant terras : adeoque validas arbores sustinent moles, ut stipites earum VIII cubitorum spatium crassitudine aequent, in L pedum altitudinem emineant, & frugiferae sint, ut si terra
- 34 sua alerentur. Et quum vetustas non opera solum manu facta ; sed etiam ipsam naturam paullatim exedendo perimat : haec moles, quae tot arborum radicibus premitur, tantique nemoris pondere onerata est, inuiolata durat. quippe XX lati parietes sustinent, undecim pedum interuallo distantes, ut procul visentibus silvae
- 35 montibus suis imminere videantur. Syriae regem, Babylone regnantem, hoc opus esse

32. *vulgatum fabulis miraculum*] Non fabulosi sunt pensiles illi horti, a tot scriptoribus laudati : sed poetae, ut solent, fabularum modo extollentes, quod per se magnum erat, ut incredibile & maius humanis viribus praedicauerunt. Graece κήπος κρεματός, *Diodor. II. 10. κρεματός παράδεισος*, *Ioseph. I. contra Apion. 1045. C.* 35. *Syriae regem*] Assyriae voluit dicere, quas gentes saepe confundunt veteres nouique scriptores. *Iosephus Antiq. Iud. X. 11. & contra Apion. lib. I. ex Beroso*, antiquissimo scriptore, *Nebucadnezari vindicat*, quidquid magnifice de conditore moenium hortorumque Babylonis praedicatur. C.

molicum

molitum, memoriae proditum est, amore coniugis victum: quae desiderio nemorum siluarumque in campestribus locis, virum compulit amoenitatem naturae genere huius operis imitari. Diutius in hac vrbe quam vsquam constitit rex: 36 nec vllus locus disciplinae militari magis nocuit. Nihil vrbis eius corruptius moribus; nec ad inirandas inlicendasque immodicas voluptates instructius. Liberos coniugesque cum hospiti- 37 tibus stupro coire, modo precium flagitii detur, parentes maritique patiuntur. Coniuuales ludi tota Perside regibus purpuratisque cordi sunt: Babylonii maxime in vinum, & quae ebrietatem sequuntur, effusi sunt. Feminarum, conuiuia 38 ineuntium, in principio modestus est habitus: dein summa quaeque amicula exuunt, paullatimque pudorem profanant: ad vltimum (honus auribus fit) ima corporum velamenta proiciunt. nec meretricum hoc dedecus est, sed matronarum

desiderio nemorum] Iosephus c. I. pag. 1045. διὰ τὸ τὴν γυναῖκα αὐτῆ ἐπιθυμῆν τῆς ὀρείας διαθέσεως, τετραμμένην ἐν τοῖς κατὰ τὴν Μηδίαν τόποις, quod vxor eius montanam positionem desideraret, in Medorum regione educata. C. 36. disciplinae militari nocuit] Nam, vt & verbis statim subsequen- tibus innuit noster Curtius, ea loca, quae omnium rerum iucundarum copia adfluunt, milites corrumpunt. Exemplo erit exercitus Hannibalis circa Capuam hiemans, apud Florum 2. 6. 21. f. S. 37. regibus purpuratisque] Reges sunt duces regum instar. vt IV. 14. 22. vocauerat: aut de multis, sed sibi succedentibus regibus intelligendus Curtius. C.

virginumque, apud quas comitas habetur vulgata
 39 corporis vilitas. Inter haec flagitia exercitus
 ille domitor Asiae per XXXIV dies faginatus,
 ad ea quae sequebantur discrimina haud dubie
 debilior futurus fuit, si hostem habuisset. Ce-
 terum, quo minus damnum sentiret, idemdem
 40 incremento nouabatur. Namque Amyntas An-
 dromenis ab Antipatro Macedonum peditum
 sex millia adduxit: D praeterea eiusdem generis
 41 equites. Cum his DC Thracas, adiunctis pe-
 ditibus suae gentis III millibus, & D & ex Pelo-
 ponneso mercenarius miles ad IV millia adue-
 42 nerat, cum CCCLXXX equitibus. Idem
 Amyntas adduxerat L principum Macedoniae
 liberos adultos ad custodiam corporis. quippe
 inter epulas hi sunt regis ministri: iidemque

38. *virginumque*] Sic recte emendauit Barthius
 LII. 16. *Advers.* quam antea *virorumque* legeretur,
 Virgines autem hic innuprae sunt, quamuis non in-
 tegrae, quomodo etiam Iustinus l. 3. 2. promiscue *vir-
 gines & scorta* dixit, inter quas Sardanapalus vitam
 agebat. C. *comitas habetur*] Minucius Felix
 pag. 279. de gentilibus: *apud quos tota impudicitia
 vocatur urbanitas.* C. Sic & nos hodie Gallorum
 verbo *courtisiren* dicimus. S. 39. *debilior fu-
 turus fuit*] vt Hannibalis exercitus Campaniae fo-
 mentis eneruatus fuit. Lege Senecae epistolam LI, C,
 40. *Amyntas Andromenis*] scil. filius. S. 42.
ad custodiam corporis] Non autem hi miscendi sunt
 cum primi ordinis maximaeque dignitatis corporis
 custodibus, quem honoris gradum praeclari duces
 obtinebant, septem numero, quibus octauum Peucestes
 rex addidit, antequam satrapam Persidis constitueret.
 Arrian. VI. p. 433. C.

equos

equos ineunti proelium admovent, venantemque comitantur; & vigiliarum vices ante cubiculi fores seruant: magnorumque praefectorum, & ducum haec incrementa sunt & rudimenta. Igitur arci Babyloniae rex Agathone praesidere iusso, cum DCC Macedonum, trecentisque mercede conductis; praetores, qui regioni Babyloniae & ciuitati praessent, Menerem & Apollodorum reliquit. His duo millia peditum dat cum mille talentis: vtrique praeceptum, vt in supplementum milites legerent. Mazaeum trans-
 44 fugam Satrapia Babyloniae donat, Bagophanem, qui arcem tradiderat, se sequi iussit: Armenia Mithreni Sardium proditori data est. Ex pecu-
 45 nia deinde Babyloniae Macedonibus equitibus sexcenti denarii tributi; peregrinus eques quingenos accepit: Ducenis pedestrium stipendium mensum est,

incrementa & rudimenta] Hi quasi seminarium sunt, vnde duces & praefecti capiuntur. C. 43. praetores, qui regioni & ciuitati] Ex Diodoro XVII. 64. desunta sunt, qui hos στρατηγὸς vocat, militiae praefectos, & imperium regionis tribuit μέγα κλιμας, vsque ad Ciliciam. Satrapiam autem, a militari imperio seiuictam, donauit rex Mazaeo transfugae, vt mox traditur num. 44. C. 44. Armenia Mithreni] Non scriptum est, quando Armenia subiugata fuerit. Deditioe puto in ditionem Macedonum venisse post proelium ad Issum. C. 45. pedestrium stipendium] non proprie stipendium, sed donum extraordinarium. Diodorus XVII. 64. ἐτλησε, honoris causa donauit. C.

CAP. II.

Militibus praemia proponit, ut iis otium excutiat, Susianam urbem ac regum Persiae thesauros recipit, & Sisygambim solatur.

- 1 **H**IS ita compositis, in regionem, quae Satrapene vocatur, peruenit. fertilis terra, copia rerum, & omni comœatu abundans.
- 2 Itaque diutius ibi substitit; ac ne desides otio dimitterent animos, iudices dedit, praemiaque proposuit de virtute militari certantibus.
- 3 Nouem, qui fortissimi iudicati essent, singulis militum millibus praefuturi erant, Chiliarchas

I. quae Satrapene vocatur] Ignota regio, ideoque scriptura suspecta. Diodorus Siculus XVII. 65 postquam Babylone mouit, regem venisse ait *εις την Σιτακηνήν επαρχίαν*, in Sittacenam prouinciam, quam procul dubio etiam Curtius hoc loco scripserat. Nam, quod Strabo tradit XVI. pag. 512. *τοῖς ἐκ Βαβυλώνης εἰς Σότα βασιλεύσει, διὰ τῆς Σιτακηνῆς ἢ ὁδοῦ ἅπασα*, e Babylone Susa euntibus, totum iter per Sittacenam est. Sunt qui leuiori mutatione *Sagapene* substituunt, cuius Strabo quoque c. l. mentionem facit. Verum quia obscura est, & ut idem dixit, *δυναστεία μικρά* parua praefectura; malo Diodorum sequi, qui eadem de Sittacene praedicat, quae Curtius de fertilitate huius regionis & copia rerum, tradidit. C. 2. dedit] posuit, constituit. S. praemia proposuit] Vtilissimi campenses & castrensēs ludi non solum ad torporem militum, si statiuā tenent, excutiendum; sed ad virtutem etiam praemiis propositis vehementius incendendam. Exemplum egregium habet Lilius lib. XXVI. extremo de Scipione: Suetonius in Nerone VII; Galba VI; Plinius Panegy. XIII; Capitolinus in Maximis VI. C.

vocabant ; tum primum in hunc numerum copiis
 distributis : namque antea quingenariae cohortes
 erant ; nec fortitudinis praemio cesserant. Ingens
 militum turba conuenerat, egregio inter- 4
 futura certamini, testis eadem cuiusque facto-
 rum, & de iudicibus latura sententiam. quippe
 verone, an falso honos cuique haberetur, igno-
 rari non poterat. Primus omnium virtutis causa 5
 donatus est Adarchias senior, qui omisum
 apud Halicarnasson a iunioribus proelium vnus
 maxime accenderat. proximus ei Antigenes
 visus est: tertium locum Philotas Angeus obti-
 nuit : quartus Amyntae datus est : post hos
 Antigonus, & ab eo Lyncestes Amyntas fuit:
 septimum locum Theodotus : * vltimum obti-
 nuit Hellanicus. In disciplina quoque militaris 6
 rei pleraque a maioribus tradita vtiliter mutauit.
 Nam quum ante equites in suam quisque gentem

3. nec fortitudinis praemio cesserant] Vulgaris
 lectio, nec fortitudinis praemia gesserant. Lipsius
 Mil. Rom. II. 9. primus scripsit *cesserant*: & Tellierus
praemio tertio casu pro *praemia*. Sententia enim haec
 subest, chiliarchias istas dari ex virtute coeptas,
 antea non factum, interprete Lipsio c. l. C. 5.
 apud Halicarnasson] Diodorus XVII. 27. Cetera
 nomen Adarchiae corruptum, VIII. 1. 36. Atharias
 dicitur: forsan Acharias est VII. 1. 5. C. vnus
 maxime] praecipue. Vide Nepotem l. i. i. S. vlti-
 mum obtinuit] Desicit octauus: propterea num. 3.
 octo pro nouem legunt Bruno, Tellierus, alii, vt hiatum
 suppleant. Contra Aldus & Erasmus nouem, quos
 sequitur Freinshemius; qui etiam cum Aldo isto notula
 lacunam num. 5. signauit. C.

describerentur seorsim a ceteris, exempto nationum discrimine, praefectis, non utique suarum gentium, sed delectis, adtribuit. Tuba, quum castra mouere vellet, signum dabat, cuius sonus plerumque, tumultuantium fremitu exoriente, haud satis exaudiebatur: ergo perticam, quae undique conspici posset, supra praetorium statuit, ex qua signum eminebat pariter omnibus interdiu. Iamque Susa adituro Abulites, regionis eius praefectus, siue Darii iussu, ut Alexandrum praeda retineret; siue sponte filium obuiam misit, traditurum se urbem promittens. Benigne iuuenem excepit rex, & eo duce ad Chonaspem amnem peruenit, delicatam, ut fama est, iovehementem aquam. Hic Abulites cum donis regalis opulentiae occurrit. Dromades camelis inter dona erant velocitatis eximiae; XII elephantibus a Dario ex India acciti, non iam terror, ut sperauerant, Macedonum; sed auxilium:

9. ad Chonaspem amnem] qui Susa praeterfluit, & cuius sola aqua Persarum reges, etiam peregre profecti, utebantur. Herodotus I. 188. C. *delicatam aquam*] ideo in deliciis regum habitam, ut ex Herodoto iam notauimus. C. 10. *Dromades camelis*] Isidorus Orig. XII. 1. *Dromeda* genus est camelorum, minoris quidem staturae, sed velocioris, unde & nomen habet. nam *dromos* graece cursus velocitatis appellatur. Centum & amplius miliaria uno die pergere solet. Meminere illorum & Liuius XXXVII. 40. & Diodorus Siculus III. 45. uterque forma eadem, qua Curtius, in *ES* pluraliter exeunte: non quam Isidorus ex sui consuetudine saeculi expressit, C.

opes victi ad victorem transferente fortuna. Vt I
 vero urbem intravit, incredibilem ex thesauris
 summam pecuniae egressit. L millia talentum
 argenti non signati forma, sed rudi pondere.
 Multi reges tantas opes longa aetate cumulaue- I 2
 rant liberis posterisque, vt arbitrabantur, quas
 vna hora in externi regis manus intulit. Con-
 fedit deinde in regia sella multo excelssiore, I 3
 quam pro habitu corporis. Itaque pedes cum
 imum gradum non contingerent, vnus ex regis
 pueris mensam subdidit pedibus. & cum spa- I 4
 donem, qui Darii fuerat, ingemiscentem con-
 spexisset Rex; causam moestitiae requisivit; Ille
 indicat, *Darium vesci in ea solitum: seque sa-*
eram eius mensam ad ludibrium recidentem sine
lacrymis conspiciere non posse. Subiit ergo regem I 5
 verecundia violandi hospitales deos. Iamque
 subduci iubebat: cum Philotas; *minime vero*
haec feceris rex, sed omen quoque accipe; mensam,

II. non signati formâ] Vide quae supra notauit
 Cellarius ad 3. 13. 16. S. 14. *vesci in ea*] eadem
 mensa, quae Alexandro scabelli loco fuit, Dario in
 conuiuio adponebatur. Nam quum veteres, quod
 notissimum est, non mensis adsiderent, sed adcum-
 berent, patet eas neque tam altas, vt apud nos hodie,
 fuisse. S. 15. *hospitales deos*] genios; mensarum
 praesides. Arnobius lib. II. p. 91. *Sacras facitis*
mensas salinorum appostu & simulacris deorum.
 Hinc de Hercule Epitrapezio Statius IV. Silv. VI.
 v. 32.

- - castae genius tutelaque mensae,
 & vers 60. eiusdem siluae

Regnator laetis numen venerabile mensis. C.

ex qua libavit hostis epulas, tuis pedibus esse
 16 subiectam. Rex, Perfidis fines aditurus, Susa
 urbem Archelao & praesidium III millium tradi-
 dit; Xenophilo arcis cura mandata est: Mace-
 donum aetate graues praesidere arcis custodiae
 17 iussit. Thesaurorum Callicrati turela permissa:
 Satrapia regionis Susiae restituta Abuliti. Ma-
 trem quoque Darii & liberos in eadem vrbe de-
 18 ponit. Ac forte Macedonicas vestes, multam-
 que purpuram, dono ex Macedonia sibi missam,
 cum his, quae eam confecerant, tradi Sisygambi
 iussit. Omni namque honore eam, & filii
 19 quoque pietate prosequeretur. Admonerique
 iussit, *ut si cordi quoque vestis esset: conficere eam
 neptes suas adsuefaceret, donoque doceret dare.*
 ad hanc vocem lacrimae obortae prodidere ani-
 mum adspersantis id munus. quippe non aliud
 magis in contumeliam Persarum feminae acci-
 20 piunt, quam admouere lanae manus. Nunci-
 ant qui dona tulerant, tristem esse Sisygambin;
 dignaque res excusatione solatio visa. Ipse
 ergo peruenit ad eam, & *mater, inquit, hanc
 vestem, qua indutus sum, sororum non solum*
 21 *donum, sed etiam opus vides. nostri decipere me-
 mores. Caue, obsecro, in contumeliam accipias*

16. Macedonum aetate graues] *Ii, qui ex Mace-*
donibus vel inter Macedones aetate graues erant. S.
 19. in contumeliam Persarum feminae] hoc luxui &
 pessimis moribus tribuendum est, quia otium & volu-
 ptas in hac gente dominabantur, labore & negotiis ad-
 feruos & inimos homines relegatis. C.

ignorationem meam. Quae tui moris esse cognoui, ut spero, abunde seruata sunt. Scio, apud vos² filium in conspectu matris nefas esse considerare, nisi cum illa permisit: Quotiescunque ad te veni, donec, ut considerem, adnueres; restiti. Procumbens venerari me saepe voluisti; inhibui. Dulcissimae matri Olympiadi nomen debitum, tibi reddo.

22. *in conspectu nefas considerare*] Hoc reuerentiae filiorum erga parentes est, quemadmodum Capitolinus in Gordoniano maiore cap. VI. Socero suo Annio Seuero tantum detulit, ut nunquam illo praesente federit ante praeturam. C. Procumbens venerari] Vide quae Cellarius notauit ad Nepotem 9. 3. 3. S.

CAP. III.

Vxiorum regione superata, Madatem praefectum, ac deditos & captiuos, tum libertate tum immunitate donat: Perfidemque intrare cogitans, ab Ariobarzane retrocedere cogitur.

MITIGATO animo eius, rex quartis castris peruenit ad fluuium; Pasitigrim incolae vocant, oritur in montibus Vxiorum, & per L stadia siluestribus ripis praeceps inter saxa

1. *Pasitigrim incolae vocant*] Post Eulacum siue Cheaspen hic fluuius & ultra Susianam ciuitatem, adeoque alius a Tigri Mesopotamiae, quem Plinius etiam, vere an secus, iam non disputamus, circa ostia Pasitigrim vocari tradidit. Hic Susianen ab occasu adluit,

- 2 deuoluitur. Accipiunt deinde eum campi, quos clementiore alueo praeterit, iam nauium patiens DC stadia sunt mollioris soli, per quod leni
- 3 tractu aquarum Perfico mari se insinuat. Alexander, amne superato, cum IX millibus pedum, & Agrianis atque Graecorum mercenariis millibus III, additis millibus Thracum, in regionem Vxiorum peruenit. Finitima Susis est, & in primam Persidem excurrit. arctum inter
- 4 se & Susianos aditum relinquens. Madates erat huius regionis praefectus: haud sane temporum homo. quippe vltima, pro fide experiri decreuerat. Sed periti locorum Alexandrum docent, occultum iter esse per calles, & auersum ab vrbe. si paucos misisset leuiter armatos, super capita

noſter ab ortu peruadit, videturque Salmaſio Exere, Plin. pag. 702. non alius quam *Oreatis* eſſe, quamquam Strabo ab *Oroate* diſtinguat. Arrianus etiam *Pafitigrim* vocat III. pag. 198. at Diodorus XVII. 67. ſimpli- citer *Tigrim*, ſine dubio mendose, quia Curtius in his Diodorum de verbo expreſſit. C. 3. in regionem *Vxiorum*] Hanc Strabo XV. pag. 501. deſcribit inter *Suſa* & *Persidem* iacere. montanam (*ὄρηνην*) aſperam, & *εὐὰ ἕξτραν δυοπύροδα*, anguſtias habere diſſiculter ſuperabiles, & incolas latrones. C. 4. haud ſane temporum homo] haud temporariae fidei, ſiue ex fortuna & tempore pendens. Vulgo legunt *temporum multorum*, ſuperſuam vocem amputauit Gronouius *Obſerv. I. 24. C. vltima experiri] ex wolt es auf die äufferſte gefahr ankommen laſſen. S. 5. ſuper capita hoſtium] in loca, quae apud hoſtes ſunt altiora, vt ex iis inferiora & oppugnari & defendi queant. S.*

hostium euasuros. Cum consilium placuisset, 6
 iidem itinerum fuerunt duces. M & D merce-
 de conducti, & Agriani fere mille Tautoni prae-
 fecto dati, ac post solis occasum iter ingredi
 iussi. Ipse tertia vigilia castris motis circa lucis 7
 ortum superauerat angustias, caesaque materia
 cratibus, & pluteis faciendis, vt qui turres ad-
 mouerent, extra teli iactum essent, urbem obsi-
 dere coepit. Praerupta erant omnia, faxis & 8
 cotibus impedita. multis ergo vulneribus de-
 pulsus, vt quibus non cum hoste solum, sed etiam
 cum loco dimicandum esset, subibant tamen:
 quia rex inter primos constiterat, interrogans 9
 tot urbium victores, *an erubescerent haerere in
 obsidione castelli exigui & ignobilis?* simul iam
 inter haec eminus petebatur; quum testudine
 obiecta milites, qui vt inde discederet, percellere
 nequiuert, tuebantur. Tandem Tauton su- 10
 per arcem urbis se cum suo agmine ostendit: ad
 cuius conspectum & animi hostium labare; &

7. *cratibus & pluteis*] Tegumenta erant *crates*
 ex flexilibus arborum ramis facta, quae telis hostium
 in oppugnatione praetendebantur: *plutei* machinae
 subrotatae, ex cratibus aut tabulis factae & coriis te-
 ctae, vt tuto sub iis milites ad muros appropinquarent.
Lips. Poliorc. I. 7. C. 9. *eminus petebatur*] *testudine obiecta*] scutis
 super capita elatis & artificiose iunctis tuebantur re-
 gem. vide infra num. 23. talis enim scutorum conne-
 xio atque vsus *testudo* vocabatur. Ad Lipsium Poli-
 orc. I. 5. C.

- Macedones acrius proelium inire coeperunt.
- ¹1 Anceps oppidanos malum vrgebat; nec fitti vis hostium poterat. paucis ad moriendum; pluribus ad fugam animus fuit: magna pars in arcem concessit. Inde xxx oratoribus missis ad deprecandum, triste responsum a rege redditur;
- ¹2 non esse veniae locum. Itaque suppliciorum metu perculsi, ad Sisygambim, Darii matrem, occulto itinere ignotoque hostibus mittunt, qui peterent, vt ipsa regem mitigaret; haud ignari, parentis eam loco diligi colique. & Madates fororis filiam secum matrimonio iunxerat: Darium propinqua cognatione contingens. Diu Sisygambis supplicum precibus repugnauit, abnuens, *deprecationem pro illis conuenire fortunae, in qua esset: adiecitque, metuere sese, ne victoris indulgentiam fatigaret. saepius cogitare, captiuam esse se, quam reginam fuisse.* Ad vltimum victa, litteris Alexandrum ita deprecata est, vt ipsum excusaret, quod deprecaretur. petere se, vt illis quoque; si minus, sibi ignosceret. pro necessario ac propinquo suo, iam non hoste, sed
- ¹3 supplice tantum vitam precari. Moderationem clementiamque regis, quae tunc fuit, vel vna

11. concessit] idem quod simplex cessit. S. oratoribus] legatis. Virgil. XI 100.

Iamque oratores aderant ex vrbe Latina. C.

14. vt ipsum excusaret] Vulgati libri vt ipsam: veteres vt ipsum, atque ita etiam Erasmus. Freinsheimius manult id ipsum: hoc est, eam rem excusaret, quod ausa sit deprecari. C.

haec

haec res possit ostendere, non Madati modo ignouit: sed omnes, & dedit, & captiuos libertate atque immunitate donauit: urbem reliquit intactam: agros sine tributo colere permisit. A victore Dario plura mater non impetrasset. 16 Vxiorum deinde gentem subactam, Susianorum Satrapiae contribuit: diuisisque cum Parmenione copiis, illum campestri itinere procedere iubet; ipse cum expedito agmine iugum montium cepit, quorum perpetuum dorsum in Persidem excurrit. Omni hac regione vastata, tertio die in Persidem; quinto angustias, quas illi Susidas Pylas vocant, intrat. Ariobarzanes has cum XXV millibus peditum occupauerat rupes, abscissas, & vndique praeruptas, in quarum cacuminibus extra teli iactum barbari stabant, de industria quieti, & pauentibus similes, donec in arctissimas fauces penetraret agmen. Quod 18 vbi contemptu sui pergere vident; tum vero ingentis magnitudinis saxa per montium prona

16. contribuit] adiecit, subiecit, vt in posterum sub Susianorum satrapia etiam contineretur Vxiorum gens. S. perpetuum dorsum] longior tractus montium, eiusque partes superiores. Supra III. 4. 12. dorsum montis imminebat vias. Suetonius Caesare c. 44. Apennini dorsum. C. 17. Susidas pylas] Arriano III. pag. 201. Persides pylae eadem, quae Curtio Susides; Diodoro Σουσιδες πύλας XVII. 68. Angustus transitus inter Susa & Persopolim, a ceteriori loco & vltiori ex aequo denominatus. C. 18. vbi] pro postquam. S. per montium prona] per decliues partes montium, Graecismus. Sic inferiora

deuoluunt: quae incussa saepius subiacentibus
 petris maiore vi incidebant, nec singulos modo,
 19 sed agmina proterebant. Fundis quoque excussi
 lapides & sagittae ingerebantur vndique. nec
 id miserrimum fortibus viris erat; sed quod in-
 20ulti ferarum ritu velut in fouea deprehenſi caede-
 rentur. Ira igitur in rabiem verſa, eminentia
 ſaxa complexi, vt ad hoſtem peruſiant, alius
 alium leuantes, conabantur adſcendere; ea ipſa
 multorum ſimul manibus correpta & conuulſa,
 21 in eos, qui commouerant, recidebant. Nec
 ſtare ergo, nec niti, nec teſtudine quidem protegi
 poterant, quum tantae in molis onera propel-
 lerent, barbari. Regem non dolor modo, ſed
 etiam pudor temere illas anguſtias conieſti
 22 exercitus angebat. Inuiſtus ad eam diem fue-
 rat, nihil fruſtra auſus, impune Ciliciae fauces
 intrauerat: mari quoque nouum iter in Pam-
 phyliaſ aperuerat; tunc haeſitabat deprehenſa

vallis, Liuius XXI, 37. extr. *inſima finem XXXIV.*
 47. extr. *ſaeva hiemis* Mela II. 2. *portuoſa litorum*
 Solinus c. 2, de Italia. C. 19. *nec id miſerrimum*
 Non haec fuit maxima viroꝝ fortiffimorum miſeria,
 quod a ſaxis contererentur, ſed quod inulti, ſeu ſe non
 vindicantes occiderent. S. 20. *in rabiem*] Adeo
 irati erant, vt etiam lapidibus deſcendentibus occur-
 rerent, quod ipſum noſter *rabiem* h. e. *inconſultum*
quid vocat. S. *ea ipſa*] ſcil. *ſaxa*. S. 21. *nec*
teſtudine protegi] Dixi num. 9. Neque enim clypeoꝝ
 obieſtu, aut ſuper capita connexionem, a tantae
 molis lapidibus tantoque cum impetu deuolutis, pote-
 rant tuti eſſe. C. 22. *mari nouum iter in Pam-*
phyliaſ] per Clunaca Pamphyliaſ mari iuninentem

feli-

felicitas; nec aliud remedium erat, quam reuerti qua venerat. Itaque signo receptui dato den-23
fatis agminibus, scutisque super capita confertis, retro euadere ex angustiis iubet. xxx fuere stadia, quae remensi sunt.

montem, qui angustam viam propter litus & inundationi obnoxiam hiberna tempestate relinquit. Vide Supplem. lib. II. num. IX. C. 23. *scutis super capita confertis*] Vera forma testudinis bellicae. Adde Lium XXXIV. 39. C. *remensi sunt*] *Metiri* cum compositis saepenuero a bonis auctoribus de *uia & itinere* adhibetur. Ergo *remensi* notat *retro auerunt*, S.

CAP. IV.

Captiuo quodam iter paucis cognitum aperiente, Persarum exercitum, ipso Ariobarzane occiso, delet Alexander.

TVM castris vndique aperto loco positis, 1
non consultare modo quid agendum esset; sed vates quoque adhibere coepit a superstitione animi. Sed quid tunc praedicere Aristander, cui tum plurimum credebatur ex vati- 2
bus, poterat? Itaque damnatis intempestiuus sacrificiis, peritos locorum conuocari iubet.

1. *a superstitione*] *ex vel prae* superstitione. C.
2. *damnatis*] *spretis, neglectis*. S. *intempestiuus*] quae hoc tempore nullum commodum adferre poterant, S.

Pet

- 3 Per Mediam iter ostendebant tutum apertumque; sed rex dimittere milites insepultos erubescerebat: ita tradito more, ut vix vllum militiae tam solemne esset munus, quam humandi suos.
- 4 Captiuos ergo, quos nuper exceperat, vocari iubet; inter quos erat quidam Graecae Persicaeque linguae peritus, qui frustra eum in Persidem montium dorso exercitum ducere adfirmat; siluestres esse calles, vix singulis peruios: omnia contegi frondibus, implexosque arborum ramos siluas committere. Namque Persis ab altero latere perpetuis montium iugis clauditur, quod in longitudinem MDC stadia, in latitudinem CLXX procurrit. Hoc dorsum a Caucaaso monte ad Rubrum mare pertinet; quaque deficit mons, aliud munimentum, fretum obiectum est.

Per Mediam iter] quo a septentrionibus intraret Persidem: sed hoc incommodum visum Alexandro, quia insepulta occisorum corpora relinquenda fuissent. C. 3. *vix vllum militiae tam solemne munus]* Dignum Niciae exemplum, quod adiiiciatur. Hic dux Atheniensium quum forte rescivit, duos ex suis ad Corinthum proelio insepultos relictos esse; quamuis victor, inhibuit exercitus cursum, maluitque victoriae laudem profundere. petendo a victis ad sepulturam corpora: quam duos ciues inhumatos relinquere, *Plutarch. in vita p. 527. C.* 4. *committere]* coniungere. Sensus est: Dixerat hic, quod siluae ramos arborum implexos coniungant. Constructionem hanc paullo obscuriorem faciunt duo accusatiui. S. 5. *pertinet]* pertingit. S. *quaque]* qua aduerb. pro vbi. S. *aliud munimentum]* nempe fretum. S.

Planicies deinde sub radicibus montium spatiosa 6
 procumbit, fertilis terra, multisque vicis atque
 vrbibus frequens. Araxes annis per hos campos 7
 multorum aquas torrentium euoluit in Medum:
 Medus ad mare, meridiem versus, minor annis
 eo quem accepit, euehitur; gignendaeque her-
 bae non alius est aptior, quidquid adluit floribus
 vestiens. Platani quoque & populi contegunt 8
 ripas; ita ut procul visentibus continuata vide-
 antur montibus nemora riparum. quippe ob-
 umbratus annis presso in solum dilabitur alueo;
 imminetque colles, ipsi quoque frondibus laeti,
 radices eorum humore subeunte. Regio non 9
 alia tota Asia salubrior habetur; temperaturum

7. *Araxes, Medus*] annes Persidis, & ille quidem
 diuersus ab Araxe Armeniae. Strabo lib. XV. p. 50r.
πρὸς αὐτῆ δὲ Περσέπιδας τὴν Ἀράξην διέβη, Iuxta Perse-
polim Alexander Araxem traiecit. Et hunc Araxem
 ex Paratacene, sicut Medum ex Media deducit: conflu-
 entes autem sic describit, ut Medus in Araxem, utpote
 maiorem, non hic in illum infundatur *συμβάλλει δ' εἰς*
αὐτὸν ὁ Μῆδος, in illum (Araxem) Medus influit. C.
Medus ad mare meridiem versus] Tellicus hanc
 ex variis optimam lectionem censet. Vulgo, *a mari*
(Caspio) & ad meridiem versus. Erasmus, *ad mare*
& ad meridiem versus. C. *floribus vestiens*] Sic
 Iustinus XII. 7. *mons vite hederaeque vestitus.* Noster
 VI. 5. 15. *trunci multa fronde vestiti. C.* 8. *Pla-*
tani, populi] sunt nomina arborum. S. *colles*
frondibus laeti] sic *laetas segetes* Virgilius dixit prin-
 cipio Georgic. & *pabuli laetitiam.* Iustinus XLIV. 4.
Oleas laetiores Columella XI. 2. C.

caelum:

caelum: hinc perpetuum iugum opacum & umbrosum, quod aestus leuat: illinc mare adiunctum, quod modico tepore terras fouet. His expositis captiuus interrogatus a rege, *auditu, an oculis comperta haberet, quae diceret? pastorem se fuisse, & omnes eos calles percurrisse, respondit: bis captum, semel a Persis in Lycia, iterum ab ipso.* Subit animum memoria regis oraculo editae fortis, quippe consulenti responsum erat, ducem in Persidem ferentis viae Lycium ciuem fore. Igitur promissis, quanta & praesens necessitas exigebat, & ipsius fortuna capiebat, oneratum; *armari iubet Macedonum more, & quod bene uerteret, monstraret iter; quamuis arduum & praeceps, euasurum se esse cum paucis. nisi forte crederet, quo ipse pecoris causa isset; Alexandrum pro gloria & perpetua laude ire non posse.* Etiam atque etiam docere captiuus, quam difficile iter esset, maxime armatis. tum rex, *praedem me, inquit, accipe, neminem eorum, qui sequuntur, recusaturum ire qua duces.* Cratero igitur ad custodiam castrorum relicto cum pedibus, quis adfuerat; & iis copiis, quas Meleager ducebat; & sagittariis equitibus M praecipit, ut castrorum specie ma-

11. *oraculo edita fortis*] Vide dicta ad III. l. 16. C. 12. *igitur*] Ordo & sensus est: *Igitur cum, pastorem fcil. promissis oneratum* (multa ipsis promittens) *more Macedonum armari iubet. S.* 13. *docere*] *doceret per enallagen. S.* 14. *quis*] pro quibus. S. *sagittariis equitibus*] quos cum Graecis Caesar

nente, plures de industria ignes fieri imperet: quo magis barbari crederent, ipsum regem in castris esse. Ceterum, si forte Ariobarzanes 15 cognouisset, per callium amfractus eum intrare, & ad occupandum iter suum partem copiarum tentasset opponere; Craterus in eum inlato terrore retineret ad propius periculum conuersum agmen: sin autem ipse hostem fefellisset, & sal- 16 tum occupasset; quum trepidantium barbarorum tumultum exaudisset (persequentium regem) id ipsum iter, quo pridie pulsi fuerant, ne dubitaret ingredi: quippe vacuum fore, hostibus in semet auersis. Ipse tertia vigilia silenti agmine, 17 ac ne tuba quidem dato signo, perguit ad demonstratum iter callium, tridui alimenta portare militem iusserat leuiter armatum. Sed praeter 18 iniurias rupes ac praeupta saxa, vestigium subinde fallentia, nix cumulata vento, ingredienti- fatigabat: quippe velut in foueas delati hauriebantur; & quum a commilitionibus leuantur, 19 trahebant magis adiuuantes, quam sequebantur. Nox quoque & ignota regio, ac dux, incertum an fatis fidus, multiplicabant metum; si custodes

B. Civ. III. 4. & Hirtius Afric. c. 19. *hippotoxotas* vocant, *τοξότης* enim *sagittarius* est. C. 16. *persequentium regem*] glossēma sapit, etiam Freinsheimio. C. *vacuum fore*] sc. iter, de quo modo agitur. S. *in semet auersis*] ad sua reuersis. S. 18. *hauriebantur*] obtegebantur a niue. S.

fefel-

fefellisset; quasi feras bestias ipsos posse depre-
 20 pendere & regis salutem, & suam. Tandem
 venere in iugum. a dextera iter ad ipsum Ario-
 barzanem erat: hic Philotam & Coenon cum
 Amynta & Polysperchonte, expeditam habentes
 manum, reliquit, monitos; vt quia eques pediti
 erat mixtus; qua pinguissimum esset solum, &
 21 pabuli fertile, sensim procederent; duces itine-
 ris de captiuis dati. Ipse cum armigeris & ala,
 quam agema adpellant, ardua semita, sed longius
 a stationibus hostium remota; multa cum vexa-
 22 tione processit. Medius erat dies, & fatigatis
 necessaria quies; quippe tantumdem itineris
 supererat, quantum emensi erant; sed minus
 23 praecipitis atque ardui. Itaque refectis cibo
 fomnoque militibus, secunda vigilia surgit, &
 cetera quidem haud aegre praeterit. ceterum,
 qua se iugum montium paullatim ad planiora
 demittit, ingens vorago concursu cauata torren-
 24 tium iter ruperat. ad haec arborum rami alius
 alio implicati & coeuntes, vt perpetuam obie-
 cerant sepem. Desperatio igitur ingens, adeo,

19. *vel fide, vel anima*] si dux fraudulenter vellet
 agere, aut casu in itinere interiret: & regem & se in
 extremis periculis fore. C. 20. *in iugum*] mon-
 tium continuatorum summitatem, quae ante aliquo-
 ties dorsum dicta est. S. 20. *agema*] Vide supra
 ad 4. 13. 26. S. 22. *emensi erant*] Vide ad finem
 cap. praecedentis. S.

vt vix lacrimis abstinerent, incesserat. Praeci-²⁵
 pue obscuritas terrori erat: nam etiam si qua
 sidera internitebant, continenti fronde tectae
 arbores conspicerere prohibebant. ne aurium
 quidem vsus supererat, siluas quatiente vento;
 quae concutientibus ramis maiorem quam pro
 flatu sonum reddebant. Tandem exspectata lux²⁶
 omnia, quae terribiliora nox fecerat, minuit:
 circumiri breui spatio poterat eluuius; & sibi
 quisque dux itineris coeperat fieri. Euadunt²⁷
 ergo in editum verticem: ex quo hostium stati-
 one conspecta, strenue armati, a tergo se osten-
 dunt nihil tale metuentibus, quorum pauci, qui
 congregari ausi erant, caesi sunt. Itaque hinc²⁸
 morientium gemitus: hinc ad suos recurrentium
 miserabilis facies, integros quoque, antea
 quam discrimen experirentur, in fugam auertit.
 Fremitu deinde in castra, quis Craterus praecerat,²⁹
 inlato; ad occupandas angustias, in quibus
 pridie haesitarat; miles educitur. simul &³⁰
 Philotas cum Polysperchonte Amyntaque &

25. continenti fronde] continua. Velleius II, 109.
 excisis continentibus Heremiae siluis. C. 26.
 eluuius] quam modo voraginem dixerat, torrentium
 concursu cauaram. C. 28. integros quoque] Ipse
 noster interpretis sui est, antequam discrimen, id est
 pugnam, experirentur. Nec aliter supra IV. 16. II.
 integris debiles implicabantur. & VII. II, 23. ali-
 qua membrorum parte multati, ab integris deserti
 sunt. Caesar B. Gall, III. 26. integrae ab labore
 cohortes. C.

Coeno diuersum iter ingredi iussus, alium terro-
 3 rem intulit barbaris. Ergo vndique Macedo-
 num armis fulgentibus ancipiti malo oppressi,
 memorabile tamen proelium edunt. vt opinor,
 ignauiam quoque necessitas acuit; & saepe de-
 3 2 speratio spei causa est. Nudi complectebantur
 armatos, & ingenti corporum mole secum ad
 terram detrahentes, ipsorum telis plerosque
 3 3 fodiebant. Ariobarzanes tamen, XL. ferme
 equitibus & quinque millibus peditum stipatus,
 per mediam aciem Macedonum cum multo suo-
 rum atque hostium sanguine erupit; Persepolim
 3 4 urbem caput regionis occupare festinans. Sed a
 custodibus vrbis exclusus, consequutis strenue
 hostibus, cum omnibus fugae comitibus renoua-
 to proelio cecidit. Craterus quoque raptim
 agmine acto superuenit.

37. *ignauiam necessitas acuit*] Sallustius *Catilin.*
 58. *necessitudo etiam timidos fortes facit.* Silius I.
 v. 559.

--- *clusos acuiunt extrema pericli,*
 & Statius *Theb.* X. v. 493.

Est vbi dat vires nimius timor. C.
desperatio spei causa] Velleius II. 5. vocat *spem*
desperatione quaesitam, quia, quod Vegetius III. 21.
 dixit, *ex desperatione crescit audacia.* Exemplum
 cape in Locrensibus apud Iustinum XX. 3. C. 34.
agmine acto] *ducto.* Agi pecora dicuntur & iumenta,
 quum propelluntur. *Infra* V. 13. 19. *reliquum agmen*
uore pecudum agebatur; Adde quae ad III. 13. 10.
 notauimus. C.

CAP. V.

Ad Persepolim properans, captiuorum Graecorum IV. millia liberat.

REx eodem loco, quo hostium copias fuderat, castra communit. Quamquam enim undique fugati hostes victoriam concesserant; tamen praecaltae praecipitesque fossae, pluribus locis obiectae, abruperant iter: sensimque & cate progrediendum erat; iam non hostium, sed locorum fraude suspecta. Procedenti ei litterae redduntur & Tiridate, custode regiae pecuniae, indicantes, eos, qui in urbe essent, audito eius aduentu, diripere velle thesauros; properaret occupare; expeditum iter esse, quamquam Araxes amnis interfluat. Nullam virtutem regis istius magis; quam celeritatem laudauerim. relictis

1. *locorum fraude suspecta*] Ab hominibus, quorum fraus proprie suspecta, ad loca & fossas translatio facta. Simili figura dicuntur *fallaces campi* Tacit. annal. I. 61. & *perfidum glacie flumen* Flor. III 4. C. 2. *quamquam Araxes amnis*] Freinshemio videtur legendum *quam qua*, hoc est *praeterquam qua*, quia fluius sine ponte impeditum iter efficiat. Nec tamen vulgaris scriptura nobis displicet, quod Tiridates non ignorauit, nihil facilius esse tanto exercitui, quam pontem tumultuarium flumini imponere, aut vadum, quo traiciat, inuenire. De hoc Araxe diximus modo ad cap. 4. num. 7. Addo eundem esse Ptolemaei *Rhomanem*, & forsan Arriani etiam *Arosin*; Indic. Rer. pag. 585. C. 3. *Nullam virtutem magis, quam celeritatem*] Caesarem Freinshemius comparat, de quo Cicero VIII, 9. ad Atticum: *hoc tempus horribilissimum*

enim

enim pedestribus copiis, tota nocte cum equi-
 4 prima luce peruenit. Vici erant in propinquo;
 quibus direptis ac dirutis, pontem ex materia
 5 eorum, subditis faxis, strenue induxit. Iamque
 haud procul vrbe erant; quum miserabile agmen,
 inter pauca fortunae exempla memorandum,
 regi occurrit. Captiui erant Graeci ad quatuor
 millia fere, quos Persae vario suppliciorum modo
 6 adfecerant. alios pedibus; quosdam manibus
 auribusque amputatis, iniustisque barbararum
 litterarum notis, in longum sui ludibrium reser-
 uauerant; & quum se quoque alienae ditionis

vigilantia, celeritate, diligentia est. Nam quod
 Vegetius IV. 31. obseruat, *in rebus bellicis celeritas
 amplius solet prodesse, quam virtus.* 4. *materia*
] ligno. S. 5. *haud procul vrbe*] Perse-
 poli. C. *ad quatuor millia*] octingentos tantum
 Diodorus XVII. 69. & Iustinus XI. 14. numerant, quod
 vero similis est. C. 6. *pedibus, manibus, auri-
 busque*] Barbara crudelitas. Simile exemplum in
 eadem gente notauit Seneca de Ira III. 20. *Rex Per-
 sarum totius populi nares recidit in Syria: inde
 Rbinocolura loci nomen est, quamquam Aethiopum
 regi id Strabo tribuat lib. XVI. Locus vero est in
 Aegypti Syriaeque siue Palaestinae confinio.* C.
iniustis litterarum notis] Non barbaris modo, sed
 Graecis etiam Romanisque in more fuit, vt stigmatē
 seruos notarent. Iuuenali hinc serui sunt XIV. 24.
*inscripta ergastula, metonymice: & Apuleio lib. IX.
 frontes litterati, pedes annulati.* Plutarchus in
 Nicia sub fin. de Syracusanorum in captiuos Atheni-
 ses faeuitia: *ὡς δικτάς ἐπώλεν, εἰζόντες ἴππον εἰς τὸ
 μέτροπον, vt seruos vendiderunt, equo in fronte com-
 punctos.* C.

esse

esse cernerent ; volentes regi occurrere non prohibuerant. Inusitata simulacra, non homines videbantur ; nec quidquam in illis praeter vocem poterat adgnosci. plures igitur lacrimas commouere, quam profuderant ipsi. quippe in tam multiplici variaque fortuna singulorum, intuentibus similes quidem, sed tamen dispares poenas, quis maxime miserabilis esset, liquere non poterat. Ut vero Iouem illi tandem Graeciae ultorem aperuisse oculos conclamauere ; omnes pari supplicio adfecti sibi videbantur. Rex absterfis, quas profuderat, lacrimis, bonum habere animum iubet ; visuros vrbes suas coniugesque : & castra inde duo ab vrbe stadia communit. Graeci excefferant vallo, deliberaturi, quid potissimum a rege peterent : quumque aliis sedes in Asia rogare, aliis reuerti domos placeret ; Euthymon Cymaeus ita locutus ad eos fertur. *Hi, qui modo ad opem petendam ex tenebris & carcere*

7. commouere] per enallagen historicam pro commonebant. S. 8. Iouem Graeciae ultorem] inscriptiones IOVI VINDICI apud Gruterum & Reinesium prostant. Hunc putant iam vindictam sumere de damnis Graeciae a Persico exercitu illatis. C. Ordo : *Ut* (pro postquam) *vero illi* (Graeci nempe milites) *conclamauere* (adulantes Alexandro) *Iouem vindicem tandem oculos aperuisse*, & miseriam suam respexisse. S. *visuros*] Curtius noster crebro solet in orationibus constructionem alio vertere, ut iam saepius notauit Cellarius, quod & h. l. factum. S. 9. *excefferant vallo*] vallo castrorum, in quibus rex eos alloquio dignatus fuerat. C. *Cymaeus*] gentile nomen. *Cyme* vel *Cuma* vrbs Aeoliae. C.

procedere erubuimus, et nunc est, supplicia (quorum nos pudeat magis an poeniteat, incertum est) ostentare Graeciae velut laetum spectaculum cupimus. At ii optime miseras ferunt, qui abscondunt: nec ulla est tam familiaris infelicibus patria, quam solitudo, et status prioris obliuio. Nam qui multum in suorum misericordia ponunt; ignorant, quam celeriter lacrimae inarescant.

12 Nemo fideliter diligit, quem fastidit, nam et calamitas querula est; et superba felicitas. Ita suam quisque fortunam in consilio habet, quum de aliena deliberat: et nisi mutuo essemus miseri,

13 olim alius alii potuissimus esse fastidio: Quid mirum est, fortunatos semper parem quaerere? Obsecro vos, olim vita defuncti, quaeramus locum, in quo haec semesa membra obruamus: ubi horribiles cicatrices celet exsilium. Grati prorsus coniugibus, quas iuuenes duximus, reuertemur! Liberi in flore et aetatis et rerum, patres adgnoscent

11. multum in s. m. ponunt] qui nimis diu suorum miseriam dolent. Multum subaudi temporis. S.
 12. diligit] sc. eum, quem fast. S. calamitas] In calamitate constituti querimur, felices autem quando sumus, tum superbi sumus, & de nulla calamitate, quae nobis contingere posset, cogitamus. S. fortunam in consilio habet] suae quisque fortunae rationem habet; suam fortunam considerat, & secundum illam aduersus alios se gerit. C. 13. olim vita defuncti] & nunc pro mortuis habiti, de sepulcro potius, quam de patria cogitemus. C. semesa] componitur a semis, & edo cuius partic. passiuum est esus. Semesus ergo est truncatus, debilitatus. S.

ergastuli

ergastuli detrimenta? Et quota pars nostri tot¹⁴
 obire terras potest? procul Europa inultima Ori-
 entis relegati, senes, maiore membrorum parte
 mutilati, tolerabimus scilicet, quae armatos &
 victores fatigauerunt. Coniuges deinde, quas¹⁵
 captis fors & necessitas vnicum solatium adplicuit,
 paruosque liberos, trahimus nobiscum, an relin-
 quimus? cum his venientes nemo adgnosere volet.
 relinquemus ergo extemplo praesentia pignora,¹⁶
 quum incertum sit, an visuri simus ea quae peti-
 mus? Inter hos latendum est, qui nos miseros
 nosse coeperunt. Haec Euthymon. Contra The-¹⁷
 aetetus Atheniensis orsus est dicere; Neminem
 pium habitu corporis suos aestimaturum; & tique
 saecuitia hostis, non natura calamitosos. Dignum

ergastuli detrimenta] captiuos, vinctos, metony-
 mice. C. 14. procul Europa] procul ab Euro-
 pa. S. tolerabimus scilicet] Ironice ponitur vox
 scilicet, i.e. non tolerabimus. S. 16. praesentia
 pignora] Pignora h. l. accipiuntur pro coniugibus &
 liberis. Nam, vt ex superioribus conicere licet,
 Graeci isti, in captiuitatis & truncationis suae sola-
 tium, praeter eas, quas in Graecia habuerant, alias
 vxores duxerunt, & ex iis quoque liberos susceperunt.
 Has ergo coniuges & liberos non statim relinquendas
 putat Euthymon, quum incertum sit, an eas quas petere
 h. e. ad quas proficisci vellent, salui & incolumes visuri
 sint, quum forte ex itineris incommodis plures mori
 possent. S. 17. pium] qui aliquem in alios, vel
 (vt ex hebraica lingua vocantur) proximos suos amorem
 ferunt. S. Dignum] scilicet esse, quae saepius
 omittit noster Curtius. S.

esse omni malo, qui erubesceret *fortuita*: tristem enim de mortalitate ferre sententiam; & desperare misericordiam, quia ipse alteri denegaturus

18 *sit*. Deos, quod ipsi nunquam ausi optare forent; offerre patriam, coniuges, liberos, & quidquid homines vel vita aestimant, vel morte redimunt.

19 *Quin* illi ex hoc carcere erumperent, alium domi esse caeli haustum; alium lucis adspectum; mores, sacra, linguae commercium etiam a barbaris expeti: quae ingenita ipsi omisuri sint sua sponte; non ob aliud tam calamitosi, quam quod illis ca-

20 rere coacti essent. Se certe rediturum ad penates & in patriam; tantoque beneficio regis vsurum: si quos contubernii, liberorumque, quos seruitus coegisset agnoscere, amor detineret; relinque-

21 rent, quibus nil patriae carius est. Pauci huius sententiae fuere; ceteros consuetudo, natura potentior, vicit. Confenserunt, petendum

erubesceret fortuita] Auorum memoria excusi *erubesceret fortuna*. vnde nostrates grammatici regulam finxerunt. Male. *fortuita* enim castigatiores libri omnes. C. 19. *alium domi caeli haustum*] suauiore patriae auram, saltem propter libertatem. C. *ingenita*] amor patriae, morum, linguae, sacrorum communium, natura insitus, non contemnendus est, quum barbari & alienigenae illam Graeciae suauitatem subinde expetant. C. 20. *contubernii*] *seruilis coniugii*. Inter seruos enim proprie non coniugium erat, sed *contubernium*. C. *relinquerent* quibus *nil &c.*] si certe coniuges liberosque in seruitute susceptos desererent, qui patria sua Graecia nihil carius haberent. *Tellier. C.*

esse

esse a rege, vt aliquam ipsis adtribueret sedem. Centum ad hoc electi sunt: quos Alexander²² ratus, quod ipse praestare cogitabat, petituros, *iuuenta, inquit, assignari quae vos beherent: & singulis vestrum mille denarium dari iussi. Quum redieritis in Graeciam, praestabo, ne quis statum suum, si haec calamitas absit, vestro credat esse meliorem.* Illi obortis lacrimis terram intue-²³ bantur, nec aut erigere vultus; aut loqui audebant: tandem rege tristitiae causam exigente, Euthymon familia iis, quae in consilio dixerat, respondit. Atque ille non fortunae solum²⁴ eorum, sed etiam poenitentiae misertus; terna millia denarium singulis dari iussit: denae vestes adiectae sunt; & armenta cum pecoribus ac frumento data: vt coli serique adtributus iis ager posset.

CAP. VI.

Opulentissima Persepoli direpta, interiorem Persidis regionem petit, ac Mardorum domat gentem.

POSTERO die conuocatos duces copiarum¹ docet; nullam infestio²rem urbem Graecis esse, quam regiam veterum Persidis regum. hinc illa immensa agmina infusa: hinc Darium prius;

¹ *regiam veterum Persidis regum] Persopolim.*
Plures quidem regiae, Babylon, Susa, Pasergadum, Gabae *Strab. XV. p. 501.* sed Persopolis praestantissima & praecipui nominis. C.

- deinde Xerxem Europae impium intulisse bellum.
- 2 excidio illius parentandum esse maioribus. Iamque barbari, deserto oppido, qua quemque metus agebat, diffugerant; quum rex phalangem nil contactus inducit. Multas vrbes, refertas opulentia regia, partim expugnauerat; partim in fidem acceperat: sed vrbis huius diuitiae
 - 3 vicere praeterita. In hanc totius Persidis opes congesserant barbari. aurum argentumque cumulatam erat: vestis ingens modus: supellex non ad vsum modo; sed ad ostentationem luxus
 - 4 comparata. Itaque inter ipsos victores ferro dimicabatur; pro hoste erat, qui preciosiorem occupauerat praedam: & quum omnia, quae reperiiebantur, capere non possent; iam res non
 - 5 occupabantur, sed aestimabantur. Lacerabant regias vestes, ad se quisque partem trahentes:

excidio illius parentandum maioribus] Parentare est genitoribus aliisue maioribus aut cognatis inferias facere, vt Alexander in Ilio ad tumulos heroum parentauit, Iustin. XI. 5. qui si interempti fuerant, vltione caedis hoc officium peragebatur. Hinc sanguine manibus interfectorum parentare. Iustin. XIII. 3. extr. quo Curtii etiam verba, quae explicamus, pertinent. Tandem simpliciter est vlscisci. Infra IX. 5. 20. internectione hostium iustae irae parentatum est. Petronius pag. 90. noxio sanguine parentabo iniuriae meae. C. 2. contactus] idem quod cunctatus. S. 3. vestis ingens modus] vestium (singularis pro plurali) magna copia. S. 4. pro hoste erat] hostis instar erat, vel, pro hoste habebatur, S.

dolabris praecioſe artis vaſa caedebant : nihil neque intactum erat , nec integrum ferebatur ; abrupta ſimulacrorum membra, vt quiſque auellerat , trahebat. Neque auaritia ſolum , ſed etiam crudelitas in capta vrbe graſſata eſt : auro argentoque onuſti vilia captiuorum corpora trucidabant ; paſſimque obuui caedebantur , quos antea precium ſui miſerabiles fecerat. Multi ergo hoſtium manus voluntaria morte occupauerant ; precioſiſſima veſtium induti , e muris ſemetipſos cum coniugibus ac liberis in praecepſu iacſtantes. Quidam ignes , quod paullo poſt facturus hoſtis videbatur , ſubiecerant aedibus,

5. dolabris] *dolabra* olim vocabatur instrumentum ſimile ei quod hodie *ſecurim* vocamus. Imaginem eius depinxit Graeuus ad Florum 4. 10. 10. vbi narratur , milites argentum Antonii *dolabris* concidiſſe. Male ergo lexica vulgaria *dolabram* reddunt *einen Hobel*. S. *nec integrum ferebatur*] auferebatur. C. 6. *precium ſui miſerabiles fecerat*] quorum ante miſerti erant & pepercerant milites propter argentum , quod pro precio vitae ſuae dabant. S. 7. *occupauerant*] praecoccupauerant , praecuerterant. C. *precioſiſſima veſtium induti*] Solatium quoddam mortis erat , in precioſiſſima veſte mori. Velleius II. 71. *Varus liberti manu , quum ſe inſignibus honorum veſaſſet , iugulatus eſt*. De Cleopatra necem ſibi parante Florus IV. 11. *maximos induta cultus* , nam quae vulgo interponuntur , vt ſolebat , gloſſema videntur Freinſhemio. Idem I. 13. 10. de Romanis maioribus natu , quum urbem Galii inuaſiſſent : *in trabeis erant & amplifiſſimo cultu , vt in ſua dignitate mererentur*. De Philocle Plutarchus in Lyſandro p. 440. idem memorauit.

- 8 vt cum suis viui cremarentur. Tandem suis rex corporibus, & cultu feminarum abstinere iussit.
- 9 Ingens pecuniae captivae modus traditur, prope vt fidem excedat. ceterum, aut de aliis quoque dubitamus; aut credimus, in huius urbis gaza fuisse c & xx millia talenta: ad quae vehenda (namque ad vsus belli secum portare decreuerat) iumenta & camelos a Sufis & Babylone contrahi
- 10 iussit. Accessere ad hanc pecuniae summam captis Persagadis sex millia talentorum. Cyrus Persagadum urbem condiderat, quam Alexandro
- 11 praefectus eius Gobares tradidit. Rex arcem Persopolis, III millibus Macedonum praesidio relictis, Nicarthidem tueri iubet: Tyridati quoque, qui gazam tradiderat, seruatus est honos, quem apud Darium habuerat: magnaue exercitus parte, & impedimentis ibi relictis,

8. *suis iussit*] Graeca syntaxis, nec tamen Latinis rubescenda. Facitus XLII. 15. *iussit Britannico*: & c. 40. *quibus iusserat*. Plura de eo in Caris nostris Posterioribus. Sensus autem est, *rex milites suos corporibus & cultu feminarum abstinere iussit*. C. 10. *Persagadis*] Varie scribitur. *Pasargadae* Straboni XV. *Passagardae* Plinio VI. 26. *Parfargadae* Arriano pag. 204. alii *Persagadae* malunt, vt sint quasi Persarum castra, ex voce Ebraeis notissima, quae turmas & militum globos significat. Promiscue etiam in *VM* & *AE* terminatur, vt vel ex solo nostro constat. Plinio castellum est: malo urbem dicere cum castello munitissimo, thesaurorum receptaculo. Straboni enim τὰ βασίλεια ἐν τῆς Πασαργάδαις dicuntur, siue regiam habuisse, quod maiorem capacitatem, quam castelli, arguit. C.

Parme-

Parme
mille
inte
harum
inculca
am, qu
erat ad ite
goris vis
& solitu
bant, h
credente
mani cul
antequam
reverti iu
fedit: c

12.
mari lo
fidas]
Novem
Calvme
1022
Persi
autes
etiam
calus
terror
um, 15
r. 10. n
humana
habitabi
fallo ver
Cimmer
inculere

Parmenionem Craterumque praefecit. Ipse cum 12
 mille equitibus, peditumque expedita manu,
 interiorem Persidis regionem, sub ipsum Vergi-
 liarum fidus, petiit: multisque imbribus & prope
 intolerabili tempestate vexatus, procedere ta-
 men, quo intenderat, perseveravit. Ventum 13
 erat ad iter perpetuis oblitum niuibus, quas frigoris
 vis gelu adstrinxerat. Locorum squalor
 & solitudines inuiae fatigatum militem terre-
 bant, humanarum rerum terminos se videre
 credentem. Omnia vasta, atque sine villo hu-
 mani cultus vestigio adtoniti intuebantur; &
 antequam lux quoque & caelum ipsos deficerent,
 reuerti iubebant. Rex castigare territos super-14
 sedit: ceterum ipse equo defiliit, pedesque per

12. *interiorem regionem*] septentrionalem, & a
 mari longius recedentem. C. *sub Vergiliarum
 fidus*] sub Pleiadum occasum Cosmicum, qui in
 Nouembrem incidebat, XL diebus post aequinoctium,
Columell. IX 14. aut paulo post illum occasum, matura
 hieme, quia iam tum cumulata nix erat, quam
 Persidem rex ingrederetur, *Curt. V. 4. 18.* Pleiadum
 autem ortu & occasu non poetae modo, sed historici
 etiam tempora designabant. *Liuius XXI. 35.* *niuis
 casus, occidente iam sidere Vergiliarum, ingentem
 terrorem adiecit.* C. 13. *iter oblitum niuibus*
 num, 15. *montes oblitos niuibus.* Seneca Troade
 v. 20. *nube densa oblitus dies,* i. e. tectus, contactus. C.
humanarum rerum terminos] extremitatem orbis
 habitabilis. C. *antequam lux & caelum deficerent*
 falso verebantur, ne hoc in boream instituto itinere in
 Cimmerias tenebras & frigidae Zonaе propinqua loca
 inciderent. C.

niuem & concretam glaciem ingredi coepit :
 erubuerunt non sequi , primum amici , deinde
 copiarum duces ; ad vltimum milites. Primus-
 que rex dolabra glaciem perfringens , iter sibi
 15 fecit : exemplum regis ceteri imitati sunt : Tan-
 dem propemodum inuias siluas emensi , humani
 cultus rara vestigia & passim errantes pecorum
 greges reperere : & incolae , qui sparsis tuguriis
 habitabant , quum se callibus inuiis septos esse
 credidissent : vt conspexere hostium agmen ,
 interfectis , qui comitari fugientes non pote-
 rant ; deuios montes , & obfitos niuibus petiue-
 16 runt. Inde per colloquia captiuorum paullatim
 feritate mitigata , tradidere se regi. nec in
 17 deditos grauius consultum. Vastatis deinde
 agris Persidis , vicisque compluribus reductis in
 potestatem ; ventum est in Mardorum gentem
 bellicosissimam , & multum a ceteris Persis cultu
 vitae abhorrentem. Specus in montibus fodiu-
 unt , in quos seque ac coniuges & liberos con-
 dunt ; pecorum , aut ferarum carne vescuntur.

17. in Mardorum gentem] Mardi videntur omnes
 latrones & fugitini montium incolae appellati , quod
 Ebraeis quoque haec vox rebelles & refractarios signi-
 ficat. Haec enim & ab Arriano Exp. Indic. pag. 586.
 Persis : post a nostro VI. 5. 11. Hyrcanis 3. a Ptolemaeo
 Armenis adiunguntur : Plinio VI. 16. a Caucaso ad
 Bactros vsque protensi sunt. Mirum ergo haud sit,
 quod VI. 5. aliud bellum Mardicum a nostro describitur.
 Consuli potest interpretes Melae Is, Vossius pag.
 242. C.

Ne feminis quidem pro naturae habitu molliora¹⁸ insignia sunt : comae prominent hirtae , vestis super genua est : funda vinciunt frontem ; hoc & ornamentum capitis & telum est. Sed hanc¹⁹ quoque gentem idem fortunae impetus domuit. Itaque trigesimo die , posteaquam a Persepoli profectus erat , eodem rediit. Dona deinde²⁰ amicis ceterisque pro cuiusque merito dedit. propemodum omnia , quae in ea vrbe ceperat , distributa.

18. *funda vinciunt frontem*] Strabo lib. III. pag. 116. de Balearium insularum funditoribus : ἔχοντες σφενδόνας τρεῖς περὶ τῆ κεφαλῆ, tres fundas circa caput habent. C. *telum*] iam supra diximus , telum esse omne id, quo alios laedere, & nos defendere possumus ; vnde & h. l. pro *funda* vsurpatur. S.

CAP. VII.

Alexander in conuiuio, a Tbaide aliisque castrensibus scortis impulsus, Persarum regiam incendit : deinde persequi Darium statuit.

CETERVM ingentia animi bona , illam¹ indolem, qua omnes reges antecessit ; illam in subeundis periculis constantiam , in rebus moliendis efficiendisque velocitatem , in deditis fidem ; in captiuis clementiam , in voluptatibus permisis quoque & vsitatis temperantiam , haud tolerabili vini cupiditate foedauit. Hoste &² aemulo regni reparante tum , quum maxime,

2. *tum, quum maxime*] A libris olim excusis quum

- bellum; nuper subactis, quos vicerat, nouumque imperium adspernantibus; de die inibat conuiuia, quibus feminae intererant: non quidem quas violari nefas esset; quippe pellices licentius quam decebat cum armato viuere adfuetae.
- 3 Ex his vna Thais, & ipsa temulenta, *maximam apud omnes Graecorum initurum gratiam* adfirmat, *se regiam Persarum iussisset incendi. expectare hoc eos, quorum vrbes barbari deleissent.*
- 4 Ebrio scorto de tanta re ferente sententiam, vnus & alter, & ipsi mero onerati, adsentiunt. rex quoque auidior quam patientior, *quin igitur*

abest, recentes vero & ex MS. castigati id habent. & Freinshemius in Flori Curtiique indicibus vt singularem elegantiam defendit, & hunc formulae sensum docet: si vnquam reparando bello incubuit, tum praecipue id egit. Exempla addit Liuii XL. 32. *vulgarum est, castra amissa esse. Et tum, quum maxime, ardere: Frontini II. 9. 5. consilium, quod tum, quum maxime, habebant barbari; & III. II. 4. sacrificio tum quum maxime occupatos oppressit. C. de die inibat conuiuia*] De die est interdiu. per diem, etiam a matutino. Suetonius Domit. 21. *lauabat de die prandebatque ad satietatem; Cont a de nocte est per noctem, Horat. I. Epist. II. v. 32. Haec veteres intempestiuam conuiuia adpellabant, ante horam solitam & iustam, vt longius spatium luxuriae esset, iniri solita. C. 3. Ex his vna Thais*] Attica genere, Diodor. XVII. 72. post amica Ptolemaei regis. *Plutarch. p. 687. C. expectare*] desiderare, sperare. S. 4. *rex quoque auidior*] Vulgo fuit auidior, sed verbum cum Blancardo induximus tanquam inepte superfluum. C.

Abscidimus Graeciam, & vrbi faces subdimus?
 Omnes incaluerant mero: itaque surgunt temu- 5
 lenti ad incendendam urbem; cui armati peper-
 cerant. Primus rex ignem regiae iniecit, tum
 conuiuiae & ministri, pellicesque. Multa cedro
 aedificata erat regia: quae celeriter igne con-
 cepto, late fudit incendium. Quod vbi exer- 6
 citus, qui haud procul ab vrbe tendebat, con-
 spexit; fortuitum ratus, ad opem ferendam
 concurrat. Sed vt ad vestibulum regiae ventum 7
 est; vident regem ipsum adhuc adgerentem
 faces. Ommissa igitur, quam portauerant, aqua;
 aridam materiam in incendium iacere coeperunt.
 Hunc exitum habuit regia totius Orientis, vnde 8
 tot gentes ante iura petebant: patria tot regum;
 vnicus quondam Graeciae terror; molita mille
 nauium classis, & exercitus, quibus Europa
 inundata est; contabulato mari molibus, perfos-
 sisque montibus, in quorum specus fretum im-

subdimus] Palat. MS. *subicimus*, id est subiici-
 mus, quod Freinshemio videtur genuinum. Tamen
 & *subdere facem* alibi apud nostrum reperitur VI.
 6. 15. C. 5. *Multa cedro*] ex multo ligno *cedri*.
Cedrus autem, quia arboris nomen, foemininum
 est. S. 8. *contabulato mari*] Ex historia Xerxis
 notissima sunt. Nauigiis autem hunc pontem iunctum
 fuisse, vt magnis nunc fluminibus imponuntur, docet
 Arrianus lib. V. pag. 325. C. *fretum immissum*
 est] Plinius etiam IV. 10. *fretum* vocat, quo montem
Athos Xerxes continenti abscidit: Mela II. 2. *nauigabile*
fretum. Catullus Coma Berenices v. 45. *nouum*
mare. Peninsula enim Athos erat, quam in insulam
 L 7 , missum

- 9 missum est. Ac ne longa quidem aetate, quae excidium eius sequuta est, resurrexit. Alias vrbes habuere Macedonum reges, quas nunc habent Parthi: huius vestigium non inueniretur, nisi Araxes annis ostenderet. haud procul moenibus fluxerat, inde urbem fuisse XX stadiis distantem, credunt magis quam sciunt accolae.
- 10 Pudebat Macedones, tam praeclaram urbem a comessabundo rege deletam esse. Itaque res in serium versa est; & imperauerunt sibi, vt crederent, illo potissimum modo fuisse delendam.
- 11 Ipsum, vt primum grauata ebrietate mentem quies reddidit, poenituisse constat, & dixisse; *maiores poenas Persas Graecis duros fuisse, si*

redegit Xerxes. Fossa autem illa oblimata postmodum fuit, nec eius vestigium superest. Adi Vossium ad Melam II. 2. pag. 138. C. 9. *ne longa quidem aetate resurrexit*] At non urbem, sed regium in ea palatium incendio hoc absuntum fuisse scriptores tradunt, & Diodorus etiam post Alexandri mortem XIX. 21. 22. Persepolim, vt temporum illorum ciuitatem memorat; etiam auctor II. Maccab. IX. 2. quae auctori libri I. cap. VI. 1. vbi eadem referuntur, *Elymais* est, vt probabile sit hoc patrium nomen fuisse, sicut *Elam* Persiam sonat; alterum a Graecis impositum. *Resurgere* autem de instauratis urbibus etiam alii dixerunt. Patereulus I. 7. *vix crediderim, tam mature tantam urbem creuisse, floruisse, concidisse, resurrexisse.* Propertius IV. eleg. 1. 87. *Troica Roma resurges.* C. 10. *imperauerunt sibi, vt crederent*] vix eo adduci poterant, & quasi cogebantur, vt crederent, possibile fieri posse, vt vrbs eo modo deleteretur. S.

ipsum

ipsum in folio regiaque Xerxis respicere coacti es-
sent. Postero die Lycio, itineris, quo Perfidem^{1 2}
intrauerat, duci, XXX talenta dono dedit. Hinc
in regionem Mediae transiit, vbi supplementum
nouorum militum a Cilicia occurrit. peditum
erant quinque millia, equites mille: vtrisque
Plato Atheniensis praeerat. his copiis auctus,
Darium persequi statuit.

^{1 2} Lycio] pastori isti, & Lycia oriundo. de quo
supra c. 5. n. 10. 11. S.

CAP. VIII.

Darii, suos ad pugnam hortantis, oratio.

ILLE iam Ecbatana peruenerat, caput Mediae. ¹
urbem hanc nunc tenent Parthi, eaque aestiua
agentibus sedes est. Adire deinde Bactra decre-
uerat: sed veritus, ne celeritate Alexandri occu-
paretur; consilium iterque mutauit. Aberat ²
ab eo Alexander stadia MD, sed iam nullum
interuallum aduersus celeritatem eius satis lon-
gum videbatur. Itaque proelio magis, quam
fugae se praeparabat. XXX millia peditum ³
sequebantur, in quibus Graecorum erant qua-

¹. aestiua agentibus] Parthici reges Ecbatanis
aestiua, quemadmodum Ctesiphonte hiberna age-
bant quod ibi, in boreali parte regni, moderatior aestus;
haec, ad austrum vergente regione, hiems tolerabilior
esset. C. ². aduersus celeritatem eius] Repete
dicta cap. V. num. 3. C. ³. in quibus] inter quos. S.
tuor

- tuor millia, fide erga regem ad vltimum iniucta.
- 4 funditorum quoque & sagittariorum manus quatuor millia expleuerat, praeter hos III millia & CCC equites erant, maxime Bactrianorum. Bessus praeerat, Bactrianae vrbis regionisque
- 5 praefectus. Cum hoc agmine Darius paullum declinauit via militari, iussis praecedere laxis
- 6 impedimentorum custodibus. Consilio deinde aduocato; *si me cum ignauis*, inquit, *& pluris qualemcunque vitam honesta morte aestimantibus, fortuna iunxisset; tacerem potius, quam frustra*
- 7 *verba consumerem. Sed maiore, quam vellem, documento, & virtutem vestram, & fidem expertus; magis etiam committi debeo, vt dignus talibus amicis sim, quam dubitare, an vestri similes*
- 8 *adhuc sitis. Ex tot millibus, quae sub imperio fuerunt meo, bis me victum, bis fugientem persequuti estis. Fides vestra & constantia, vt regem*
- 9 *me esse credam, facit. Proditores & transfugae in vrbibus regnant: non hercule qui tanto honore*

8. *declinauit via militari*] *via regia, frequentis, & ita lata, vt ordines militares capiat.* Infra cap. 13. 23. *iumenta decesserant militari via.* Vltus hoc nomine etiam Suetonius Aug. c. 49. & Hyginus de Colonia in Dalmatia: at Siculus Flaccus pag. 9. vocat *vias regales.* C. 6. *Consilio aduocato*] *amicis & consiliariis aduocatis.* C. *pluris aestimantibus*] Haec verba in constructione coniungenda sunt. S. 8. *persequuti estis*] *pro simplici secuti.* S. 9. *qui*] *pro vt:* quasi diceret: non ideo regnant, & in bono statu viuunt, vt quis exinde concludere possit, eos tanto honore dignos esse. S.

digni

digni habeantur ; sed ut praemiis eorum vestri sollicitentur animi. meam tamen fortunam,¹⁰ quam victoris, maluistis sequi ; dignissimi, quibus, si ego non possim, dii pro me gratiam referant. & mehercule referent. Nulla erit tam surda posteritas, nulla tam ingrata fama ; quae non in caelum vos debitis laudibus ferat. Itaque, etiamsi consilium fugae, a qua multum abhorret animus, agitaassem, vestra tamen virtute fretus, obuiam issem hosti. Quousque enim in regno¹¹ exsulabo, & per fines imperii mei fugiam externum & aduenam regem ? quum liceat experto belli fortunam, aut reparare quae amisi ; aut honesta morte defungi. Nisi forte satius est ex-¹² spectare victoris arbitrium ; & Mazaei & Mithrenis exemplo precarium accipere regnum nationis unius. Ut iam malit ille gloriae suae, quam irae obsequi. Nec dii fuerint, ut hoc decus mei capitis¹³ aut demere mihi quisquam aut condonare possit : nec hoc imperium viuis amittam, idemque erit regni mei, qui & spiritus, finis. Si hic animus,¹⁴ si haec lex, nulli non parta libertas est : nemo e

II. experto belli fortunam] mihi, qui iam fortunam belli expertus sum. S. 12. Mazaei & Mithrenis] Mazaeum transfugam satrapia Babyloniae Alexander donauerat : Mithrenem Sardinum proditorem praefecerat Armeniae. Curt. V. 1. 44. C. 13. hoc decus mei capitis] diadema, ornamentum & insigne regum C. 14. lex] quam nobis ipsi ferimus, i. e. propositum. S.

vobis fastidium Macedonum ; nemo vultum su-
 perbum ferre cogetur. Sua cuique dextra aut vli-
 15 sonem tot malorum pariet ; aut sinem. Equidem
 quam versabilis fortuna sit, documentum ipse
 sum, nec immerito mitiores vices eius exspecto.
 Sed si iusta ac pia bella dii auersantur ; fortibus
 16 tamen viris licebit honeste mori. Per ego vos
 decora maiorum, qui totius Orientis regna cum
 memorabili laude tenuerunt ; per illos viros, qui-
 bus stipendium Macedonia quondam tulit ; per
 tot nauium classes in Graeciam missas ; per tot
 tropaea regum oro et obtestor, et nobilitate vestra
 17 gestisque dignos spiritus capiatis : et eadem con-
 stantia animerum, qua praeterita tolerastis, ex-
 periamini, quidquid deinde tulerit. Me certe in
 perpetuum aut victoria egregia nobilitabit, aut
 pugna.

16. stipendium Macedonia tulit] Herodotus de
 Persis sub Dario Hystaspis filio Hellepontum traicien-
 tibus lib. VI. 44. τῶν περὶ τὴν Μακεδόνιαν πρὸς τοῖσι ὑπάρχουσιν
 δόλως προσηκόντων, peditatu Macedonas, ultra eos
 qui iam seruiebant, in seruitutem redegerunt. Nam
 ante paullo, quum idem rex ex Scythia rediret, per
 praefectum Macedoniam tentauerat. Herodot. V. 1.
 et 98. Justin. VII. 3. C. gestisque] vulgo gentisque,
 quod neque ad Persas, neque ad Graecos mercenarios
 referri potest. Gronov. C.

CAP. IX.

Varia magnatum sententia ac tumultus, ob Nabarzanis, qui cum Besso proditionis societatem inierat, consilium.

HAEC dicente Dario, praesentis periculi ¹ species omnium simul corda animosque horrore perstrinxerat, nec aut consilium suppetebat, aut vox; quum Artabazus, vetustissimus amicorum, quem hospitem fuisse Philippi saepe diximus, Nos vero, inquit, *preciosissima vestium induti, armisque, quanto maximo cultu possumus, adornati, regem in aciem sequemur: ea quidem mente, victoriam ut speremus; mortem non recusamus.* Adsensu exceperere ceteri hanc uocem. ² sed Nabarzanes, qui in eodem consilio erat cum Besso, inauditi antea facinoris societate inita, regem suum per milites, quibus ambo praeerant, comprehendere & vincere decreuerant; ea mente, ut si Alexander ipsos insequutus foret, tradito rege uiuo, iniret gratiam victoris, magni

¹. *saepe diximus*] non in libris, qui superstites sunt, sed in deperditis prioribus: & sic tamen *supra* quidam malunt, quam *saepe*. C. *preciosissima vestium induti*] Repete notata ad V. 6. 7. Pariter Xenophon, uti de se ipso lib. III. exped. Cyri Min. pag. 178. tradit, ornabatur in pugnam splendidissime, existimans si uicerint, τὸν κάλλιστον κόσμον τῶν νικῶν πρέπειν εἶτε τελευτῶν δέου, ἢ θῶς ἔχειν, τῶν καλλίστων ἑαυτὸν ἐξιδύσαντα, ἐν τῆτοις τῆς τελευτῆς τυγχάνειν, *victoriae honestissimum ornatum conuenire: sin mori oporteat, aequum esse, ut pro sua dignitate ornatus vitam finiunt.* C.

pro-

- profecto cepisse Darium aestimaturi ; sin autem eum effugere potuissent , interfecto Dario , regnum sibi occuparent , bellumque renouarent .
- 3 Hoc parricidium cum diu volutassent , Nabarzanes aditum nefariae spei praeparans ; Scio, me, inquit , sententiam esse dicturum , prima specie haudquasquam auribus tuis gratam . Sed medici quoque grauiores morbos asperis remediis curant ; Et gubernator , tibi naufragium timet , iactura ,
- 4 quiddid seruari potest , redimit . Ego tamen , non vt damnum quidem facias , suadeo ; sed vt te , ac regnum tuum salubri ratione conserues . Diis aduersis bellum inimus ; Et pertinax fortuna Persas vrgere non desinit . nouis initiis Et omnibus opus est . Auspicium Et imperium alii trade interim , qui tamdiu rex adpelletur , donec Asia decedat hostis ; victor deinde regnum tibi reddat .
- 5 Hoc autem breui futurum retio promittit . Baetra intacta sunt : Indi Et Sacae in tua potestate : tot

3. parricidium] proprie est , quando quis patrem interfecit : deinde etiam de caede eorum adhibetur , quibus vel sanguine vel officio sumus deuincti , vt h. l. de Rege . S. iactura redimit] Nauta vt ea quae seruari possunt seruet , iactura quadam ea redimit , h. e. quaedam in mare conicit , & iacturam quadam pat tur . S. 4. damnum facias] patiaris . S. 5. Indi Et Sacae] foederati potius quam subiecti imperio Persarum . Sacae autem gens Scythica Indis finitima , post Paropamisum montem : nec forsã vna gens , quia ferẽ omnes Scythae etiam in vnum Sacae adpellati , Mela III. 5. Vulgo legunt Sagae , sed nusquam occurrit gens Sagarum . Sacae autem notissimi , etiam infra VII. 9. commemorandi . C.

populi,

populi, tot exercitus, tot equitum peditumque
 millia ad renouandum bellum vires paratas ha-
 bent; & maior belli moles superfit; quam exhau-
 sta fit. Quid ruimus belluarum ritu in perniciem 6
 non necessariam? Fortium virorum est, magis
 mortem contemnere; quam odisse vitam. Saepe 7
 taedio laboris ad vilitatem sui compelluntur igna-
 ui: at virtus nihil inexpertum omittit. Itaque
 vltimum omnium mors est, ad quam non pigre
 ire satis est. Proinde, si Bactra, quod tutis- 8
 simum receptaculum est, petimus; praefectum
 regionis eius Bessus, regem temporis gratia statu-
 amus. compositis rebus iusto regi tibi fiduciarium
 restituet imperium. Haud mirum est, Darium non 9
 temperasse animo, quamquam tam impiae voci
 quantum nefas subesset, latebat. itaque, pesti-
 mum, inquit, mancipium, reperisti optatum tibi
 tempus, quo parricidium aperires! strictoque 10
 acinace interfecturus videbatur: ni propere
 Bessus Bactrianique, tristium specie; ceterum,
 si perseueraret, vincituri, circumstetissent. Na- 11
 barzanes interim elapsus, mox & Bessus sequu-

8. fiduciarium imperium] Fiduciarium, quod sub
 fide restitutionis concessum est. Caesar B. Civ. II. 17.
 officium legati, qui fiduciarium operam obtineret.
 Lilius XXXII. 38. Nabidi eam urbem velut fiduciarium
 dare, ut victori sibi restitueret. Etiam regnum
 fiduciarium dicitur Hirtio Alex. E. c. 23. quod Arsi-
 noe, dum controuersia inter Cleopatrum & fratrem
 componeretur, administrabat. C. 10. tristium
 specie] quasi tristes essent de iis, quae Nabarzanes con-
 tra Regem protulerat, S.

tus,

tus, copias, quibus praeerant, a cetero exercitu
secedere iubent; secretum initari consilium.

12 Artabazus conuenientem praesenti fortunae
sententiam orsus, mitigare Darium temporum
identidem admonens coepit. *Ferret aequo ani-
mo qualiumcunque, suorum tamen, vel stultitiam,
vel errorem. Instare Alexandrum grauem, etiam
si omnes praesto essent: quid futurum, si perse-*

13 *quuti fugam ipsius, alienentur a rege?* Ea re paruit
Artabazo; & quamquam mouere castra statu-
erat, turbatis tamen omnium animis, eodem
in loco substitit. sed adtonitus moestitia simul

14 & desperatione, tabernaculo se inclusit. Ergo
in castris, quae nullius regebantur imperio,
uarii animorum motus erant, nec in commune,

15 vt antea, consulebatur. Dux Graecorum mili-
tum Patron arma capere suos iubet, paratosque

16 esse ad exsequendum imperium. Persae secesse-
rant: Bessus cum Bactrianis erat, tentabatque
Persas abducere, Bactra, & intactae regionis
opulentiam, simulque quae manentibus instarent

17 pericula, ostentans. Persarum omnium eadem
fere fuit vox, *nefas esse deserere regem.* Inter haec
Artabazus omnibus imperatoriis fungebatur

12. *persequuti fugam ipsius*] adhuc comites fugi-
entis regis. C. 16. *Bactra* &c.] Bessus Persas
ab exercitu ad urbem Bactra abducere tentabat, osten-
dens partim opulentiam eius urbis, & regionis circum-
iacentis, quae hactenus ab hostibus erat intacta: partim
belli pericula si in castris vellent manere, S.

officiis.

officiis. ille Persarum tabernacula circumire, hortari, monere nunc singulos, nunc vniuersos, non ante destitit, quam satis constaret, imperata facturos. Idem aegre a Dario impetrauit, vt cibum caperet, animumque regis.

17. *animumque regis*] subaudi *asperet* h. e. vt regio esset animo, praesensque periculum sperneret. S.

CAP. X.

Bess & Nabarzanis de Dario prodendo aut occidendo nefaria deliberatio; quam viris artibus occultant.

AT Bessus & Nabarzanes olim agitarum 1
scelus exsequi statuunt, regni cupiditate
accensi: Dario autem incolumi tantas opes
sperare non poterant. Quippe in illis gentibus 2
regum eximia maiestas est. ad nomen quoque
barbari conueniunt; & pristinae veneratio
fortunae sequitur aduersam. Inflabat impios 3
animos regio, cui praeerant, armis virisque &
spatio locorum nulli earum gentium secunda:

2. *Quippe in illis gentibus*] Expofuimus supra ad III. 6. 17. C. *ad nomen quoque*] si quis saltem nomine regis iubeat, statim conueniunt. S. *pristinæ veneratio fortunæ*] non minus reges suos in aduersa, quam in prospera fortuna venerantur. C. 3. *regio cui praeerant*] Bactriana & finitima. C.

tertiam

- tertiam partem Asiae tenet : multitudo iuniorum, exercitus, quos amiserat Darius, aequabat.
- 4 Itaque non illum modo, sed etiam Alexandrum spernebant : inde vires imperii repetituri, si regiones potiri contigisset. Diu omnibus cogitatis,
- 5 placuit per milites Bactrianos, ad omne obsequium destinatos, regem comprehendere, mitrique nuncium ad Alexandrum, qui indicaret
- 6 viuum adseruari eum. si, id quod timebant, prodicionem aspernatus esset ; occisuri Darii, & Bactra cum suarum gentium manu petituri.
- 7 Ceterum propalam comprehendi Darius non poterat ; tot Persarum millibus laturis opem
- 8 regi : Graecorum quoque fides timebatur. Itaque quod non peterant vi, fraude adsequi tentant : poenitentiam secessionis simulare decreuerant, & excusare apud regem consternationem
- 9 suam. Interim qui Persas sollicitarent mittuntur :

tertiam partem Asiae] Licet latissime extendas Bactrianam, & finitimas quoque ei regiones accenseas, vt Sogdianam & alias ; tamen hoc procul a vero abest. Proprie autem Bactriae non amplissimi termini erant, ab occasu Margiana ; a septentrione Oxus Sogdianam dirimens ; ab ortu pars Indiae ; a meridie Aria & mons Parapamisus. C. 6. *aspernatus esset*] Alexander. S. 8. *poenitentiam secessionis*] decreuerant, se id simulare velle, quasi poeniteret eos consilii, quod voluerint ab exercitu Darii secedere. S. 9. *sollicitarent*] ad tumultum & rebellionem concitarent. Nepos Pausania cap. 3. num. 6. *Helotes spe libertatis sollicitare existimabatur.* Sallustius Catil. 24. *seruitia urbana sollicitare,* id est *seruos.* Adde nostrum III. 5. 15. C.

hinc

hinc spe, hinc metu militares animos versant; ruinae rerum illos subdere capita, in perniciem trahi; cum Baetra pateant, exceptura eos donis & opulentia, quantam animis concipere non possint. Haec agitantibus Artabazus superuenit, siue regis iussu, siue sua sponte; adfirmans, mitigatum esse Darium, & eundem illis amicitiae gradum patere apud regem. Illi lacrimantes nunc purgare se, nunc Artabazum orare, ut causam ipsorum tueretur, precesque perferret. Sic peracta nocte, sub lucis ortu Nabarzanes cum Bactrianis militibus in vestibulo praetorii aderat, titulum solemnis officii occulto sceleri praeferebat. Darius signo ad eundem dato, cursum pristino more conscendit. Nabarzanes ceterique parricidae procumbentes humi, quem paullo post in vinculis habituri erant, sustinuerunt venerari, lacrimas etiam poenitentiae indices

versant] commouent. S. ruinae rerum] eos subdere capita siue vitam ruinae, quae omnibus rebus Darii imminet, & ad perniciem trahi: contra vero, quum eis liber aditus sit ad Baetra, ibi eos donis & diuitiis maximis abundare posse. S. 10. agitantibus] secum perpendentibus. S. 12. titulum solemnis officii] sub specie obeundi consueti officii nefarium scelus occulte tegebat. Sic etiam Iulianus de Olympiade IX. 7. 10. quum titulo officii ad exsequias cucurrisset. Idem l. 10. 16. transfugae titulo Babylonem proficiscetur. In his titulus praetextum sonat & externam speciem. C. 13. sustinuerunt venerari] sie gaben gleichsam ihrer seelen einen stoß, daß sie dem Könige ihren unterthänigen Reuerenz machten.

M

profu-

hinc

14 profuderunt: adeo humanis ingenis parata sim-
 ulatione est. Preces deinde, suppliciter admotae,
 Darium, natura simplicem & mitem, non credere
 modo quae adfirmabant, sed etiam flere coege-
 15 runt. Ac ne tum quidem cogitati sceleris poeni-
 tuit, quum intuerentur, qualem & regem & virum
 fallerent. Ille quidem securus periculi quod
 instabat, Alexandri manus, quas solas timebat,
 effugere properabat.

13. *qualem & regem & virum*] regem mitem &
 generosum, offensarum obliuiscens: virum bonum
 & natura simplicem, simulatae poenitentiae sincero ad-
 fectu credentem. C. *securus periculi*] de illo
 periculo non cogitans, aut illud timens. S.

CAP. XI.

*Insidiae proditorum Dario aperiuntur, qui Grae-
 corum praesens tutumque respuit auxilium;
 paratus perire si saluum esse nollent sui mi-
 lites.*

1 **P**ATRON autem, Graecorum dux, prae-
 cepit suis, ut arma, quae in sarcinis antea
 ferebantur, induerent; ad omne imperium,
 2 suum parati & intenti. Ipse currum regis seque-
 batur, occasione imminens adloquendi eum:
 quippe Bessi facinus praesenserat. sed Bessius,

1. *quae in sarcinis ferebantur*] Quum iter face-
 rent milites, arma sarcinis implicata, gerebant, quae
 expedire necesse erat, quoties pugnae se praepara-
 rent. G.

id ipsum metuens, custos verius, quam comes a
 curru non recedebat. Diu ergo Patron cunctatus 3
 ac saepius sermone reuocato, inter fidem
 timoremque haesitans, regem intuebatur, qui 4
 vt tandem aduertit oculos; Bubacem spadonem
 inter proximos currum sequentem percontari
 iubet, *nūm quid ipse velit dicere.* Patron, se
 vero, *sed remotis arbitris, loqui velle cum eo re-*
 spondit. Iussusque propius accedere; sine inter- 5
 prete, nam haud rudis Graecae linguae Darius
 erat; Rex, inquit, *ex L millibus Graecorum super-*
sumus pauci, omnis fortunae tuae comites; Et in
hoc tuo statu iidem, qui flore te fuimus; quas-
cumque sedes elegeris, pro patria Et domesticis
rebus petitori. Secundae aduersaeque res tuae 6
 copulauere nos tecum. Per hanc fidem inuictam
 oro Et obtestor, *in nostris castris tibi tabernacu-*
lum statue, nos corporis tui custodes esse patiaris.
Amisimus Graeciam; nulla Baetra sunt nobis;
spes omnis in te, vtinam Et caeteris esset. Plura
dici non adlinet. custodiam corporis tui exter-

3. *inter fidem timoremque haesitans*] Fides erat
 Patron Dario Regi, eamque ob causam prodicionem
 Bessi & aliorum ei aperire volebat: haerebat tamen
 siue dubitabat id facere, quia timebat, ne forte Bes-
 sus & coniurati eius aliquid in se consulerent. S.
 6. *vtinam Et caeteris*] haecenus lectum est Et in caet.
 Sed praepositionem omitti iubet Clericus, quod & ad-
 probauit Cellarius. Ceteris ergo est datiuus casus, &
 voci nobis opponitur h, m. *Nobis spes omnis in te est,*
vtinam Et caeteris. S.

nus & alienigena non deposcerem, si crederem
 7 alium posse praestare. Bessus quamquam erat
 Graeci sermonis ignarus, tamen stimulante con-
 scientia indicium praefecto Patronem detulisse
 credebat: & interpretis Graeci relato sermone
 8 exempta dubitatio. Darius autem, quantum
 ex vultu concipi poterat, haud sane territus, per-
 contari Patrona *causam consilii, quod adferret,*
 coepit. Ille non ultra differendum ratus, Bessus,
 inquit, & Nabarzanes insidiantur tibi, in ultimo
 discrimine & fortunae tuae & vitae. Hic dies
 9 aut parricidis, aut tibi futurus ultimus. Et
 Patron quidem egregiam conseruati regis glo-
 10 riam tulerat. Eludant ilicet, quibus forte ac-
 temere humana negotia volui agique persuasum
 est. Equidem aeterna constitutione crediderim,
 nexuque caussarum latentium, & multo ante

7. interpretis Graeci relato sermone] At vero
 remotis arbitris, num. 4. & sine interprete, num. 5.
 collocutus cum rege fuerat, unde ergo interpres Grae-
 cus? Haec ita perplexum habent Tanaquillum Fabrum,
 vt substituat, interpretis Graeci remotione. Nulla
 enim, inquit, vehementior Besso causa esse poterat
 suspicandi, Patronem aliquid aduersus se detulisse, quam
 quod interprete vti noluerat Darius. Vide epist. II.
 saepius citatam. C. 8. Patrona] Est adcausa-
 tius graecus a Patron. S. 10. nexu caussarum
 latentium] Quae Curtii de fato sententia fuerit, ex
 aliis etiam locis constat, IV. 6. 17. ineuitabile est
 fatum: & X. 1. 30. fati ineuitabilis fors est. Haec
 Stoicae disciplinae debuit, quibus gemina habet Seneca,
 & ipse huic disciplinae addictissimus. Epist. XIX.
 qualem dicimus esse seriem caussarum, ex quibus
 desti-

destinatar
 rabili lege

quam

manu

definitio

quod huius

consequam

multa nolle

es, quib

experiri p

restitur f

ant, a q

series in

constr.

inexorabil

tus credid

non tamen

quemque

quemque

xi, dom

numum

vii nollet

Bessus

ca

bu

cura

A T Bes

tum

Alexandri,

uollet; dil

destinatarum, suum quemque ordinem immutabili lege percurrere. Darius certe respondit; ¹¹ *quamquam sibi Graecorum militum fides nota sit; nunquam tamen a popularibus suis recessurum, difficilius sibi esse damnare, quam decipi. quidquid fors tulisset, inter suos perpeti malle, quam transfugam fieri. Sero se perire, si saluum esse sui milites nolent.* Patron desperata salute regis, ad ¹² eos, quibus praeerat, rediit; omnia pro fide experiri paratus.

nestitur fatum. Epist. LXXVII. rata & fixa fata sunt, atque aeterna necessitate ducuntur. & mox; series inuicta & nulla mutabilis ope illigat ac trahit cuncta. & Epist. CI. Stat terminus nobis, ubi illum inexorabilis fatorum necessitas fixit. Pari modo Curtius credidit, quamuis proditae fuerint insidiae Dario, non tamen illas declinare potuisse. C. suum quemque ordinem] alii suum quaque, sed etiam quemque, puta hominem, bonum & aptum est. C. 11. damnare] populares suos, eosque spernere, eo nimirum, quod eorum satellitio & custodia amplius uti nollet. S.

CAP. XII.

Bessus Darium fectis verbis & lacrimis delusum comprehendit; aureisque vinculum compedibus, in sordido vehiculo ad Alexandrum deduci curat.

AT Bessus occidendi protinus regis impetum conceperat. sed veritus ne gratiam Alexandri, ni viuum eum tradidisset, inire non posset; dilato in proximam noctem sceleris

- consilio, agere gratias incipit, quod perfidi hominis insidias, iam Alexandri opes spectantis, prudenter cauteque vitasset. donum eum hosti latuum fuisse regis caput. nec mirari, hominem mercede conductum omnia habere venalia: sine pignore, sine lare, terrarum orbis exulem, ancipitem hostem; ad nutum licentium circumferri.
- 3 Purganti deinde se, deosque patrios testes fidei suae inuocanti, Darius vultu adsentiebat; haud dubius, quin vera deferrentur a Graecis; sed eo rerum ventum erat, ut tam periculosum esset,
- 4 non credere suis; quam decipi. XXX millia erant, quorum inclinata in scelus leuitas timebatur; IV millia Patron habebat: quibus si credidisset salutem suam, damnata popularium
- 5 fide, parricidio excusationem videbat. Itaque praecipit immerito, quam iure violari. Bessio tamen insidiarum consilium purganti respondit; *Alexandri sibi non minus iustitiam, quam virtutem esse perspectam. Falli eos, qui proditionis ab*

1. *agere gratias incipit*] scelus quod ipse conceperat, in Patronem defert, quasi propter peregrinitatem suspectum. C. 2. *sine pignore*] qui nullas uxores & liberos vsquam locorum habent. Nam id putat vox *pignoris*, ut iam aliquoties adfuit. S. *sine lare*] *lar* proprie est deus vniuscuiusque domus & familiae peculiaris: ponitur autem pro ipsa *domo*. Vult autem dicere, Graecos istos nusquam locorum sedem aliquam fixam habere. S. 5. *immerito*] quando nihil adhuc contra Bessum & suos cogitauerat. S. *iure*] si illos vellet captiuare, & fortasse ab illis trucidaretur. S.

eo praemium expectent: violatae fidei neminem
 acriorem fore vindicem ultoremque. Iamque 6
 nox adpetebat, quum Persae more solito armis
 positis ad necessaria ex proximo vico ferenda
 discurrunt. At Bactriani, ut imperatum erat a 7
 Besso, armati stabant. Inter haec Darius Artabazum
 acciri iubet; expositisque, quae Patron
 detulerat, haud dubitare Artabazum, quin transe-
 undum esset in castra Graecorum. Persas quoque
 periculo vulgato sequuturos. Destinatus forti 8
 suae, & iam nullius salubris consilii patiens, vni-
 cam in illa fortuna opem Artabazum ultimum
 illum visurus amplectitur; perfususque mutuis
 lacrimis, inhaerentem sibi auelli iubet: capite
 deinde velato, ne inter gemitus digredientem
 vel a tergo intueretur; in humum pronum cor-
 pus abiecit. Tum vero custodiae eius aduersi, 9
 quos regis salutem vel periculo vitae tueri oportebat,
 dilapsi sunt; tot armatis, quos iam aduen-

8. *Destinatus forti suae*] fatorum lege & necessitate
 destinatus, ut vitam proditus a suis finiret. C.
ultimum] ultimo. Aduerbiu. C. *capite velato*
] vide supra IV. 10. 34. C. *vel a tergo*] Simplex & planus sensus, doctis viris sic emendantibus.
 Vulgo *velut a rege*, aut *velut a rogo* quasi a se tanquam
 a funere & busto cum gemitu & lacrimis discedentem
 non sustinuerit Darius intueri. Verum & hoc durius-
 culum est, & a Curtii natiua simplicitate alienum. C.
 9. *tot armatis pares*] vulgo *cum armatis*: alii *tum*:
 quidam abiciunt particulam. *Tot* est ex coniectura
 Freinshemii, & videtur numerus periodi syllabam po-
 stulare, quae aptior vix esse potest, quam *tot*. C.

tare credebant, haud rati se futuros pares. In-
gens ergo in tabernaculo solitudo erat, paucis
spadonibus, quia quo discederent, non habe-
10 bant, circumstantibus regem. At ille remotis
arbitris, diu aliud atque aliud consilium animo
volurabat. Iamque solitudinem, quam paullo
ante pro solatio petiuerat, perosus, Bubacem
11 vocari iubet. quem intuens, *Ite, inquit, con-
sultite vobis, ad ultimum regi vestro, si decebat,
fide exhibita. ego hic legem fati mei exspecto.
forsitan mireris quod vitam non finiam? alieno*
12 *scelere, quam meo mori malo.* Post hanc vocem
spado gemitu non modo tabernaculum; sed
etiam castra compleuit. Inrupere deinde alii,
laceratisque vestibus lugubri & barbaro ululatu
13 regem deplorare coeperunt. Persae, ad illos
clamore perlato, adtoniti metu, nec arma ca-
pere, ne in Bactrianos inciderent; nec quiescere
audebant, ne impie deserere regem viderentur.
14 Varius ac dissonus clamor sine duce ac sine impe-
rio totis castris referebatur. Besso & Nabarzani
nunciauerant sui, regem a semetipso interemtum
15 esse. planctus eos deceperat. Itaque citatis
equis aduolant, sequentibus quos ad ministerium
sceleris delegerant: & quum tabernaculum in-
traissent, quia regem viuere spadones indicabant,

10. *Bubacem*] praecipuum ex spadonibus, cap. XI.
n. 4. C. 15. *aduolant*] celeriter adueniunt.
Metaphora ab auibus deducta, de qua notauimus ad
Iuuenicum. 4. 775. S. 16. *deorum honoribus*
cultus] adoratus, quod apud Persas in usu est. Vide
Nepotem 2. 3. 3. S.

comprehendi vinciri que iusserunt. Rex curru¹⁶
 paullo ante vectus, & deorum a suis honoribus
 cultus, nulla externa ope admota, captivius seruo-
 rum suorum, in sordidum vehiculum pellibus
 vndique contextum imponitur. Pecunia regis,¹⁷
 & supellex, quasi iure belli diripitur, onustique
 praeda, per scelus vltimum parata, fugam inten-
 dunt. Artabazus cum iis, qui imperio parebant,¹⁸
 Graecisque militibus Parthienem petebat, omnia
 tutiora paricidarum contuitu ratus. Persae,¹⁹
 promissis Bessi onerati: maxime quia nemo alius
 erat, quem sequerentur; coniungere se Bactri-
 anis, agmen eorum tertio adsequuti die. Ne²⁰
 tamen honos regi non haberetur; aureis compe-
 dibus Darium vinciant: noua ludibria subinde
 excogitante fortuna. Et ne forte cultu regio
 posset agnosci; sordidis pellibus vehiculum in-
 texerant: ignoti iumenta agebant, ne percon-
 tantibus in agmine monstrari posset: custodes
 procul sequebantur.

19. Persae promissis onerati] Supra cap. X.
 num. 9. C. 20. Ne-non] Duae istae negationes
 adfirmant, pro: vt tamen rei aliquis honos habe-
 retur. S. aureis compedibus] Velleius II. 82.
 Artavasden Antonius catenis, ne quid honori decisset,
 aureis vinxit. De eodem Armeniae rege Dio Cassius
 lib. XLIX. pag. 415. ἔδησεν αὐτὸν ἀργυραῖς ἀλύσειν.
 ἀισχρὸν γὰρ, ὡς εἶπεν, ἦν, βασιλεὺς αὐτὸν γεγονότα
 σιδηραῖς δεσῆναι, argenteis catenis vinxit, quia turpe
 videbatur, virum qui rex fuisset, ferreis constringi.
 Silius XVII. 625. de Syphace in triumpho Scipionis
 ducto

--- auratae fervebant colla catenae. C.

CAP. XIII.

Alexander, audito Darii periculo, ad Persarum exercitum contendit. Bessus autem, cum parricidis aliis arma vultumque metuens victoris, Darium, multis confossum vulneribus, relinquit, fugaque sibi consulere conatur.

- 1 **A**LEXANDER, audito Darium mouisse ab Ecbatanis; omisso itinere, quod patebat in Mediam, fugientem insequi pergit strenue. Tabas oppidum est in Paraetacene ultima: ibi transfugae nunciant, praecipitem fuga
- 2 Baetra petere Darium. Certiora deinde cognoscit ex Bagysthene Babylonio, non equidem victum regem; sed in periculo esse aut mortis,
- 3 aut vinculorum. Rex ducibus conuocatis, *maximum, inquit, opus, sed labor brevissimus superest; Darius haud procul destitutus a suis, aut oppressus. In illo corpore posita est victoria nostra: Et tanta res celeritatis praemium.*
- 5 Omnes pariter conclamant, *paratos ipsos sequi; nec labori, nec periculo parceret.* Igitur raptim agmen cursus magis quam itineris modo ducit: ne nocturna quidem quiete diurnum laborem

1. *audito*] postquam ab eo auditum erat. S.
 2. *Tabas oppidum*] Glareanus *Ragas* substituit, inuitis, qui a libris non temere discunt. Stephano tres sunt *Tabae*, in Lydia, in Caria, καὶ τρίτη τῆς Περσίας. sequor *Holstenium*, qui Παριστακηνῆς reponit, ut eadem vrbs sit, quam *Polybius Excerpt. XXXI.* vocat Τάβας τῆς Περσίας. C. 4. *destitutus*] *desertus*. S. *In illo corpore*] *Darii scil.* S. tanta res] *victoria*. S.

relaxante. Itaque quingenta stadia processit: 6
 peruentumque erat in vicum, in quo Darium
 Bessus comprehenderat. Ibi Melon Darii inter- 7
 pres excipitur, corpore non potuerat agmen
 sequi, & deprehensus celeritate regis, transfu-
 gam se esse simulabat. Ex hoc acta cognoscit.
 sed fatigatis necessaria quies erat. Itaque 8
 delectis equitum sex millibus, trecentos quos
 Dimachas appellant, adiungit: dorso hi graui-
 ora arma portabant, ceterum equis vehebantur;
 quum res locusque posceret, pedestris acies erat.
 Haec agentem Alexandrum adeunt Orfillos & 9
 Mythracenes, qui Bessi parricidium exosi trans-
 fugerant: nunciabantque stadia D abesse Persas;
 ipsos breuius iter monstraturos. Gratus regio 10
 aduentus transfugarum fuit. Itaque prima
 vespera ducibus iisdem cum expedita equitum
 manu monstratam viam ingreditur; phalange
 quantum festinare posset, sequi iussa. Ipse qua-
 drato agmine incedens, ita cursum regebat, vt
 primi coniungi vltimis possent. CCC stadia 11
 processerant, quum occurrit Brocubelus Mazaei
 filius, Syriae quondam praetor, is quoque
 transfuga nunciabat, *Bessum haud amplius
 quam cc stadia abesse.* *Exercitum, & pote quæ*

6. *peruentum erat in vicum*] in vico Parthorum,
Iustin. XI. 15. Darius enim ex Media iam per Caspias
 portas ad Parthienem progressus fuerat, quum caperetur
 a coniuratis. *Arrian. III. pag 208. C.* 8. *Di-*
machas appellant] a duplici pugnandi modo. Simile
 genus militum est, quod *Dragons* vocamus. C.

nihil praecaueret, incompositum inordinatumque
 procedere. Hyrcaniam videri petituros. si festi-
 naret sequi, palantibus superuenturum. Darium
 12 adhuc viuere. Strenuo alioqui cupiditatem con-
 sequendi transfuga iniecerat. itaque calcaribus
 subditis, effuso cursu eunt. Iamque fremitus
 hostium iter ingredientium exaudiebatur; sed
 prospectum ademerat pulueris nubes. paul-
 lisper ergo inhibuit cursum, donec consideret
 13 puluis. Iamque conspecti a barbaris erant, &
 abeuntium agmen conspexerant, nequaquam
 futuri pares, si Besso tantum animi fuisset ad
 proelium, quantum ad parricidium fuerat.
 Namque & numero barbari praestabant, & ro-
 bore: ad hoc refecti cum fatigatis certamen ini-
 14 turi erant. Sed nomen Alexandri, & fama, ma-
 ximum in bello utique momentum, pauidos in
 15 fugam conuertit. Bessus, & ceteri facinoris
 eius participes, vehiculum Darii adsequuti, coe-
 perunt hortari eum, ut conscenderet equum, &
 16 se hosti fuga eriperet. Ille deos ultores adesse
 testatur, & Alexandri fidem implorans, negat,
 se parricidas velle comitari. Tum vero ira quo-
 que accensi; tela iniiciunt in regem; multisque
 17 confossum vulneribus relinquunt. Iumenta

11 palantibus] hinc inde dispersis. S. 12.
 pulueris nubes] Supra IV. 15. 32. C. 14. no-
 men Alexandri & fama] Idem fere est, quod antea
 III 8. 7. dicebatur fama bella stare. Claudianus B.
 Gildon. v. 384.

--- plus nominis horror,
 Quam tuus ensis, aget. C.

quo-

quoque, ne longius prosequi possent, conuuln-
 rantur; duobus seruis, qui regem comitabantur,
 occisis. Hoc edito facinore, vt vestigia fugae 18
 spargerent, Nabarzanes Hyrcaniam, Bessus
 Bactra, paucis equitum comitantibus, petebant:
 barbari ducibus destituti, qua quemque aut spes
 ducebat, aut pavor, dissipabantur: D tantum
 equites congregauerant se, incerti adhuc, resiste-
 rene melius esset, an fugere. Alexander, hostium 19
 trepidatione comperta, Nicanorem cum equi-
 tum parte ad inhibendam fugam praemittit: ipse
 cum ceteris sequitur. III ferme millia resisten-
 tium occisa sunt; reliquum agmen more pecu-
 dum intactum agebatur, iubente rege, vt caedi-
 bus abstineretur. Nemo captiuorum erat, qui 20
 monstrare Darii vehiculum posset: singuli, vt
 quaeque prehenderant, scrutabantur; nec tamen
 vllum vestigium fugae regis exstabat. Festinan- 21
 tem Alexandrum vix tria millia equitum perse-
 quuta sunt. at in eos, qui lentius sequebantur,
 incidebant vniuersa fugientium agmina. vix 22
 credibile dictu, plures captiui, quam qui cape-
 rent, erant: adeo omnem sensum territis fortuna
 penitus excusserat, vt nec hostium paucitatem,
 nec multitudinem suam satis cernerent. Inte- 23
 rim iumenta, quae Darium vehebant, nullo re-
 gente decesserant militari via, & errore delata

18. *vestigia spargerent*] *occultarent*. Ideo in
 diuersa dilapsi sunt, vt dubiam Alexandrum redderent,
 quo sequeretur, C.

- per IV stadia, in quadam valle confiterant,
 24 aestu, simulque vulneribus fatigata. Haud pro-
 cul erat fons, ad quem monstratum a peritis
 Polystratus Macedo siti maceratus accessit: ac
 dum galea haustam aquam sorbet, tela iumen-
 torum deficientium corporibus infixata conspexit.
 25 Miratusque confossa potius, quam abacta esse
 semiuiui. ***

25. *semiuiui* ***] Hec scripti, etiam olim excusi
 libri deficiunt. Itaque difficilis connexio supplementi
 est coniecturis in incerto errantibus. Vocem *boninis*
 vel scriptam fuisse proxime, vel subauditam, extra
 dubium est: *corpus* quod repertum fuerit, an *gemitus*,
 qui auditus, an alud exceperit, quis diuinabit? alter-
 rum vulgaris supplementi est, alterum Freinsheimiani.
 Nihil autem deesse videtur, quam quae mortem Darii
 & sepulturae curam describant, quae, quantum fieri
 potest, Iustinum & Plutarchum sequenti (Diodorus
 enim & Arrianus vix attingunt hanc causam) sic breui-
 ter designamus. C.

SUPPLEMENTVM.

- 1 **D**arius Polystrati accedentis audita voce,
 praesentis fortunae id esse solatium dixit;
 quod vltima verba apud intellecturum sit red-
 2 diturus. Perferri autem Alexandro iubet, se

1. *apud intellecturum*] Iustinus XI. 15. 6. qui tamen
 interprete captiuo Persa cum Polystrato locutum esse
 addit: *adplicito*, inquit, *captiuo*, quum cinem esse ex
 voce cognouisset. Quod autem Darius sermonis Grae-
 ci non ignarus erat, teste Curtio V. 11. 5. Freinshe-
 mius Graece Macedoni Polystrato locutum esse au-
 tumat. C.

nullis

*nullis in eum meritorum officiis ; maximorum
 illi debitorem mori, quae matri, uxori, liberis
 praestitisset. Gratiam se solam, quam moriens 3
 possit, precando referre, ut illi terrarum omnium
 contingat imperium. Curam sepulturae, & par- 4
 ricidii ultionem non multis verbis rogare, quod
 hanc humanitatis officio ; illam exempli causa &
 communis regum securitatis non sit neglecturus
 Alexander. Tandem hausta frigida quam postu- 5
 lauerat, Polystrato quoque gratias egit, de
 vltima infelicitate sua conquestus, quod referre
 non possit : velle autem, ut Alexander illi ; Ale-
 xandro dii referant ; in eamque rem se dexte-
 ram, fidei regiae pignus, Alexandro ferendam
 dare. Haec dicentem, accepta Polystrati manu, 6
 vox atque vita destituit. Quae vbi Alexandro 7
 nunciata sunt, viso corpore defuncti, tam in-
 dignam isto fastigio mortem lacrimis profecutus
 est ; & chlamyde sua contactum, regioque orna-
 tum cultu, ad matrem Sisygambim patrio more
 sepeliendum, tumulisque maiorum inferendum
 misit.*

*2. nullis in eum meritorum] itidem Iustini sunt : eius-
 dem & sequentia. C. 5. hausta frigida] Plutar-
 chus in Alex. p. 690. πῶν ὑδωρ ψυχρὸν. C. velle
 ut Alexander] Plutarch. ibidem C. dexteram
 fidei pignus] Iustinus, Addit Plutarchus διὰ σὲ, per te,
 te interprete. C. 7. lacrimis profecutus est]
 Iustin. C. chlamyde contactum] Plutarch. C.
 ad Sisygambim misit] idem, C.*

Q. CVRTII RVFI,
DE
REBVS GESTIS
ALEXANDRI REGIS
MACEDONVM,
LIBER VI.

Deest principium huius libri, non autem admodum magnum. Ex Diodoro historiam supplemus: verba & ornatum non diuinamus.

SUPPLEMENTVM.

1. **A**lexandro in Asia grauibus bellis occupato, plerique Graecorum occasionem circumspiciebant, qua in libertatem se adfererent: eamque inuenisse credebant in Thraciae tumultu, quem Memnon praefectus militum concitauerat.
2. Duces ceteris Lacedaemonii erant, qui, tota Graecia temporibus feruiente, soli Macedonum
3. dominationi resisterant. A Persis pecunia spe-

1. *Thraciae tumultu*] Memnon rebellauerat, qui Diodoro XVII. dicitur $\delta \kappa \alpha \theta \epsilon \varsigma \acute{\alpha} \mu \epsilon \nu \omicron \varsigma \varsigma \rho \alpha \tau \eta \gamma \epsilon \varsigma \tau \eta \varsigma \Theta \rho \acute{\alpha} \kappa \eta \varsigma$, constitutus ab Alexandro dux militum per Thraciam. C. 2. *soli resisterant*] Quod ipse rex in inscriptione, quam in supplementis II. 6. vides, significauit. Clarius Iustinus XII. 1. *Philippi Alexandrique pacem soli spreuerant & leges respuerant.* C. 3. *pecunia sperabatur*] cuius causa etiam Agis ad Pharnabazum nauigauit, *Arrian. II. p. 117. add. Diodor. c. 1. C.*

rabatur

rabatur ad amplio**re**m belli vsum. Quum ergo 4
 Antipater, quidquid militum habebat, in Thra-
 ciam duxisset, motum nuper exortum oppressu-
 rus; Peloponnesii, exceptis paucis bello Macedo-
 nas inuadunt, Agidi, Lacedaemoniorum
 regi summam imperii deferentes. Quo audito 5
 Antipater, vtcumque potuit, res in Thracia
 componens, aduersus Graecos proficiscitur, qui
 nescio qua pugna confisi, Megalopolim obsidi- 6
 one cınxerant, & iam in eo erat, vt caperent
 oppidum, quum Antipater ex Macedonia super-
 uenit. Vtrunque acriter pugnatur, & quam- 7
 quam locus Macedonas, qui numero praeuale-
 bant, non capiebat: irruunt tamen, vrgent,
 cedere cogunt. quod vbi Agis conspexit, vt 8
 inclinatanı suorum aciem firmaret; illico cum

4. *exceptis paucis*] Megalopolitanis & Pellenaeis.
Aeschines contra Ctesiph. pag. 454. C. 5. *res in*
Thracia componens] Diodorus c. l. c. 63. C. 6.
pugna confisi] ad Corragum ignobilem locum (Freins-
 hemio castellum Macedoniae est) vicerunt Spartani.
Aeschines c. l. διέφθειραν τὰς ἐπὶ Κόρραγον στρατιώτας. C.
Megalopolim] Arcadiae urbem, fidam Macedonibus
ἐκ τῶν κατὰ τὸν Ἀμύντε Φίλιππον ἐνεργησιῶν, propter
Philippi in ipsam merita. Polybius II. cap. 48. C.
in eo erat, vt caperent] Aeschines c. l. καὶ ἐκέλευν
ἡμέραν ἐπιδοξῶς ἦν ἀλῶναι. C. 7. *acriter pugna-*
tur] haud procul Megalopoli in Arcadia saltem. Plu-
 tarch. Agef. pag. 604. ἐν Ἀρκαδίᾳ. C. numero
praeualebant] Diodorus enim Antipatro peditum XL
 millia; Spartanis ac sociis tantum XX. tribuit. C.

regia

regia cohorte, quae electissimis constabat, se in medium -----

8. *se in medium -----* His adnecti possunt Curtii prima, quae supersunt, huius libri verba, pugnae discrimen immisit, &c. C.

CAP. I.

Proelii inter Lacedaemonios atque Macedones descriptio, & pax ab Alexandro victore Graecis, qui eo absente defecerant, concessa.

- 1 **P**UGNAE discrimen immisit, obrunctisque, qui promptius resistebant, magnam partem hostium propulit. Coeperant fugere
 2 victores: & donec auidius sequentes in planum deduxere, multi cadebant; sed ut primum locus, in quo stare posset, aequis viribus dimicatum
 3 est. Inter omnes tamen Lacedaemonios rex eminebat, non armorum modo & corporis specie; sed etiam magnitudine animi, quo vno
 4 vinci non potuit. Vndique nunc cominus, nunc eminus petebatur; diuque arma circumferens,

2. *Coeperant fugere victores*] Macedones, qui primum cedere coegerant Spartanos; iam ab his vicissim pellebantur. C. *in planum deduxere*] proelium enim loco iniquo & angusto committebatur. *mox num. 10. C.* 3. *eminebat*] praestantior erat. Lacedaemoniorum autem fortitudo alias vel maxime celebratur. S. *specie*] pulchritudine. S. 4. *petebatur*] infestabatur armis variis, man schoß, wurff, hieb und schlug nach ihm. S. arma alia

alia tela clypeo excipiebat; corpore alia vitabat: donec hasta femora perfossa plurimo sanguine effuso destituere pugnantem. Ergo clypeo suo exceptum armigeri raptim in castra referabant, iactationem vulnerum haud facile tolerantem. Non tamen omisere Lacedaemonii pugnam; & vt primum sibi quam hosti aequiorem locum capere potuerunt; densatis ordinibus effuse fluentem in se aciem exceperunt. Non aliud discrimen vehementius fuisse memoriae proditum est. Duarum nobilissimarum bello gentium exercitus pari Marte pugnabant. Lacedaemonii vetera; Macedones praesentia decora intuebantur: illi pro libertate; hi pro dominatione pugnabant: Lacedaemoniis dux; Macedonibus locus deerat.

circumferens] per arma h. l. καὶ ἐξοχὴν intelligendum est *scutum*, quippe quo olim omnia telorum genera excipiebant. Boni autem bellatores & ante & retro, & ab vnoquoque latere tela excipiebant, inde *circumferri* h. l. arma vel *scutum* dicuntur. S. corpore alia vitabat] corporis declinatione vitabat. Vide supra IV. 6. 16. C. 5. Ergo clypeo suo exceptum] Mos militaris; vulneratos vel occisos clypeo impositos in castra referre. Virgil, X. v. 506.

Impositum scuto referunt Pallanta frequentes.

Adde de Iuliano in Persis vulnerato Philostorgium VII. 15. Zosimum III. 29. 1. C. iactationem vulnerum] Non facile Rex tolerare poterat, quod ipse vulneratus a militibus clypeo ferentibus huc illuc iactabatur. S. 6. effuse fluentem] irruentem, impetum facientem. C. 8. Lacedaemonii vetera] gloriam Peloponnesiaci belli & aliorum. C. praesentia decora] Philippi & Alexandri res gestas atque gloriam, C.

- 9 Diei quoque vnius tam multiplex casus modo
 spem, modo metum vtriusque partis augebat,
 velut de industria inter fortissimos viros certa-
 10 men aequante fortuna. Ceterum angustiae
 loci, in quo haeserat pugna, non patiebantur
 totis congregari viribus. spectabant ergo plures,
 quam inibat proelium, & qui extra teli iactum
 erant, clamore inuicem suos accendebant.
 11 Tandem Laconum acies languescere, lubrica
 arma sudore vix sustinens; pedem deinde referre
 12 coepit vrgente hoste, ac apertius fugere. Inse-
 quebatur dissipatos victor, & emensus cursu
 omne spatium, quod acies Laconum obtinuerat,
 13 ipsum Agim persequabatur. Ille, vt fugam suo-
 rum, & proximos hostium conspexit, deponi se
 iussit: expertusque, membra an impetum animi
 sequi possent, postquam deficere se sensit, popli-
 14 tibus semet excepit; galeaque strenue sumpta,
 clypeo protegens corpus, hastam dextra vibrabat,
 vltro vocans hostem; si quis iacenti spolia de-
 15 mere auderet. Nec quisquam fuit, qui sustineret
 cominus congregari, procul missilibus adpeteba-
 tur, ea ipsa in hostem retorquens: donec lancea
 nudo pectori infixata est: qua ex vulnere euulsa
 inclinatum ac deficientem caput clypeo paulisper

10. *inibat*] Haecenus lectum fuit *inierant*, sed hoc, quod reponimus, simplicius est, & constructioni magis adcommodum. S. 13. *deponi se iussit*] milites, a quibus portabatur, abire iussit, & meliori se vsui patriae seruare: ipse extremam pugnam experturus. *Diodorus. C.* 15. *sustineret cominus*] auderet propius cum eo pugnare. C.

exce-

excepit; deinde linquente spiritu pariter ac sanguine, moribundus in arma procubuit. Ceci-¹⁶
dere Lacedaemoniorum V millia & CCCLX, ex
Macedonibus haud amplius CCC. ceterum vix
quisquam, nisi faucius, reuertit in castra. Haec
victoria non Spartam modo, sociosque eius, sed
etiam omnes, qui fortunam belli spectauerant,
fregit. Nec fallebat Antipatrum, dissentire ab¹⁷
animis gratulantium vultus; sed bellum finire
cupienti opus erat decipi & quamquam fortuna
rerum placebat; inuidiam tamen, quia maiores
res erant, quam quas praefecti modus caperet,
metuebat. quippe Alexander hostes vinci volu-¹⁸
erat; Antipatrum vicisse, ne tacitus quidem
indignabatur: suae demptum gloriae existimans,

16. haud amplius CCC] prauatus haud dubie locus. Diodorus enim cap. 63, τρισχλίοι καὶ πεντακίοι. vnde Tellierus expunctis ccc, in contextum recepit tria millia. Sic vero pro amplius erit minus scribendum, quod ille posthabuit. C. qui fortunam spectauerant] in quibus & Athenienses erant, quiescentes hoc bello. Diodor. & Aeschin. c. l. C. spectauerant] obseruauerant, in quamnam partem victoria se se verteret, vt & eam sequi possint. S. 17. dissentire vultus] aliquos, qui gratulandi animum prae se ferebant, vultu tamen se prodidisse, quod non ex animo ipsis victoriam gratularentur. S. opus erat decipi] illum oportebat se simulare, quasi ab illis non deciperetur: quod tamen reuera erat, & ille prope nouerat. S. 18. ne tacitus quidem] non occulte, sed aperte indignabatur, & pugnam hanc Antipatri contemtim προουχίαν, murium pugnam nominabat. Plutarch. in Agesil. pag. 604. C.

quid-

- 19 quidquid cessisset alienae. Itaque Antipater, qui probe nosset spiritum eius, non est ausus ipse agere arbitria victoriae: sed concilium Graecorum, quid fieri placeret, consuluit. A quo Lacedaemonii, nihil aliud, quam ut oratores mittere ad regem liceret, precati, veniam defectio-
 20 nis praeter auctores impetraverunt. Megalopolitanis, quorum vrbs erat obsessa a defectione, Achaei & Aetoli CXX talenta dari iussi sunt.
 21 Hic fuit exitus belli, quod repente ortum, prius tamen finitum est, quam Darium Alexander apud Arbela superaret.

20. *precati veniam*] interponunt quidam cum *Modio haud grauatim*: Tellierus *gratis*, Erasmus *grate*: quae Freinshemius libros veteres sequutus expunxit. *C. Megalopolitanis*] Dicitum in supplemento huius libri. *C. a defectione*] post defectionem Peloponnesiorum a fide Macedonibus promissa. Quidam malunt pro defectione, aliterque incidunt, ut cum sequentibus cohaereat. *C. Achaei & Aetoli*] socii Lacedaemoniorum. *C.*

CAP. II.

Alexander bello inuictus, otio & deliciis frangitur, unde rumor in castris, qui torpentem excitat.

- I SED ut primum instantibus curis laxatus est animus, militarium rerum quam quietis otii-
 que patientior; exceperere eum voluptates: & quem arma Persarum non fregerant, vitia vice-

1, ut primum] quom primum, S,

runt.

runt. Intempestiua conuiuia, & perpotandi 2
 peruigilandique infana dulcedo, ludique, & greges pellicum, omnia in externum lapsa sunt morem; quem aemulatus quasi potiore suo, ita popularium animos oculosque pariter offendit, vt a plerisque amicorum pro hoste haberetur. Tenaces quippe disciplinae suae, solitosque parco 3
 ac parabili victu ad implenda naturae desideria defungi, in peregrina & deuictarum gentium mala impulerat. Hinc saepius comparatae in 4
 caput eius insidiae, secessio militum, & liberior inter mutuas querelas dolor, ipsius deinde nunc

2. *Intempestiua conuiuia*] Nulla in veterum libris *intempestiua* conuiuia extare, nisi vitio librariorum, & vbiq; *tempestiua* legendum esse, Salmasius in Vopisci Florian. extr. argumentis probat, suffragantibus non minori auctoritate viris Grononio ad Quintilianii Declam. CCLX; Graeuio ad Suetonii Calig. c. XLV. *Tempestiua* enim, hoc est, de medio die inita, in vitis posita erant, vt opus non sit *intempestiua* illis opponi. Adde Lipsium in Taciti XIV. qui vero *intempestiua* admittit, sed nocturna, tempestiuis tanquam diurnis opposita: cui noster obstat num. 5. conuiuis siue tempestiuis legas siue intempestiuis, *dies noctesque* consumtas tradens. Freinshemio sunt intempestiua, quae temporibus non conueciunt, instituta quando aliud agendum erat. Sed & hoc inuitis, puto, quos laudauit III. vitis. C. *perpotandi*] *per* in compositione auget: vnde *perpotare* est *nimum potare*, & *peruigilare*, *tota nocte vigilare*. S. *in externum morem*] *Perficias* & a iarum gentium consuetudines & mores imitabatur Alexander. S. 3. *ad implenda naturae desideria*] vt saltem tantum ederent vel biberent, quantum natura desiderat. S.

suspri-

- suspiciones, quas excitabat inconsultus pavor: ceteraque his similia, quae deinde dicentur.
- 5 Igitur quum intempestiuus conuiuus dies pariter noctesque consumeret; satietatem epularum ludis interpolabat: non contentus artificum, quos e Graecia excitauerat, turba. quippe captiuae feminarum iuebantur suo ritu canere, inconditum & abhorrens peregrinis auribus carmen.
- 6 Inter quas vnam rex ipse conspexit moestio rem quam ceteras, & producentibus eam verecunde reluctantem. excellens erat forma; & formam pudor honestabat; deiectis in terram oculis, & quantum licebat, ore velato, suspicionem praebuit regi, nobiliorem esse, quam vt inter coniuuales ludos deberet ostendi. Ergo interrogata *quaenam esset? neptem se Ochi, qui nuper regnasset in Persis, filio eius genitam esse*, respondit, *Suorem Hystaspis fuisse*. propinquus hic Darii fuerat, magni & ipse exercitus praetor. Adhuc in animo regis tenues reliquiae pristini moris haerebant. itaque fortunam regia stirpe geni-

5. *artificum*] musicorum, histrionum, & id genus hominum. C. *captiuae feminarum*] captiuae feminae, Graecismus. C. 6. *producentibus*] *producere* quando de mulieribus vsurpatur, notat eas *supri causa adducere*, vel *prostitueret*. Exempla dabunt Wouerius ad Petronium c. 25. Taubmannus ad Plautum Afn. 3. 1. 39. Eandem significationem obtinent verba *deducere*, & *perducere* de quibus alibi. S. 6. *ore velato*] *facie velata* quod apud mulieres tristitiae signum erat. S. 8. *pristini moris*] *pristinorum morum*. Singularis pro plurali. S.

tae,

tae, & tam celebre nomen reueritus, non dimitti modo captiuam, sed etiam restitui ei suas opes iussit: virum quoque requiri, vt reperto coniugem redderet. Postero autem die praecepit 9 Hephæstioni, vt omnes captiuos in regiam iuberet adduci. vbi singulorum nobilitate spectata, secreuit a vulgo, quorum eminebat genus. Decem hi fuerunt; inter quos repertus est Oxathres Darii frater, non illius fortuna, quam indole animi sui clarior. Sex & viginti millia talentum proxima praeda redacta erant; e quis duodecim millia in congiarium militum absumpta sunt. par huic pecuniae summa custodum fraude subtracta est. Oxydates erat nobilis Perses, 11 qui a Dario capitali supplicio destinatus, cohibebatur in vinculis: huic liberato satrapream Mediae adtribuit: fratremque Darii recepit 12 cohortem amicorum, omni vetustae claritatis honore seruato. Hinc in Parthiënen peruentum 12

9. *Oxathres Darii frater*] laudatus etiam III. 11. 8. post corporis custos & amicus Alexandro VI. 2. 11. VII. 5. 40. C. 10. *congiarium militum*] Quamquam distinguunt Latini saepenumero, vt donatium militi, *congiarium* plebi addatur (vid. Tacit. XII. 41. 3. Plinius Panegy. 25.) tamen etiam laxiore vsu vocis, quae militi donantur, congiaria sunt. Quinctilianus VI. 3. etiam dona, quae Augustus amicis misit, *congiaria* vocat. additque *congiarium esse commune liberalitatis atque mensurae*. C. 11. *satrapream*] pro *satrapiam*. Est ex Graeco *σατραπειαν*; ei latine scribitur per e, vt *μυσεον, museum*. S. 12. *Hinc in Parthiënen*] siue Parthiam angustam illo tempore regionem, post, vsque ad Caspiae pylas, ampliatam,

est, tunc ignobilem gentem; nunc caput omnium, qui post Euphratem & Tigrim amnes siti, 13 Rubro mari terminantur. Scythae regionem campestem ac fertilem occupauerunt; graues adhuc accolae. sedes habent & in Europa, & in Asia: qui super Bosporum colunt, adscribuntur Asiae; at qui in Europa sunt, a laeuo Thraciae latere ad Borysthenem, atque inde ad Tanaim 14 alium amnem, recta plaga adtinent. Tanais Europam & Asiam medius interfluit. nec dubitatur, quin Scythae, qui Parthos condidere; non a Bosporo, sed ex regione Europae penetrauerint. 15 Vrbs erat ea tempestate clara Hecatompylos, condita a Graecis: ibi statua rex habuit

Strab. XI. pag. 354. Hinc Curtius Iustino & Arriano conciliatur. Illi enim quum pylas praetergressum Darium in Parthiae vico captum vincumque tradant. Parthiam sui acui, hoc est auctam ampliatamque intelligunt: Curtius autem Parthienem, vt Alexandri temporis angustis finibus circumscripta erat. C. *caput*] *praecipuus & principalis populus. S.* 13. *graues adhuc accolae*] Diuide Scythas: qui occupauere regionem, iam non erant accolae; sed incolae: ceterorum demum pars accolebat. C. 14. *ex regione Europae*] Cur vero non ex Asiae Scythia, quae multo propinquior erat? Vt vero supra vidimus, familiaris error est Curtio, vt quae ad Tanaim & Euxinum Pontum sunt, regionibus tribuat, quae circa Caspium mare existunt. Alioqui non negamus longinquiores migrationes Europaeorum, quam vel a Tanai, vel Scythia, trans Bosporum in Europa sita, in Parthienem. Quem vero Curtius *Bosporum* opponit, Asiatica regio est, terra Cimmeriorum. C. 15. *condita a Graecis*] sed quibus? nomen a Macedonibus impositum, largior:

commeatibus vndique aduectis. Itaque rumor,
otiosi militis vitium, sine auctore percrebuit;
regem contentum rebus, quas gessisset, in Mace-
doniam protinus redire statuisse. Discurrunt ¹⁶
lymphatis similes in tabernacula, & itineri sarcina-
nas aptant: signum datum crederes, vt vasa
colligerent. Totis castris tumultus hinc contu-
bernales suos requirentium, hinc onerantium
plaustra, perfertur ad regem. Fecerant fidem ¹⁷
rumori temere vulgato Graeci milites, redire iussi
domos, quorum equitibus singulis denariorum
fena millia dono dederat. Iplis quoque finem
militiae adesse credebant. Haud secus quam par ¹⁸
erat territus Alexander, qui Indos atque vltima
Orientis peragraré statuisset; praefectos copi-
arum in praetorium contrahit: obortisque lac-
rimis, *ex medio gloriae spatio reuocari se, victi
magis, quam victoris fortunam in patriam relatu-
rum conquestus est. nec sibi ignauiam militum ¹⁹
obstare, sed deorum inuidiam, qui fortissimis*

urbem iam tum Alexandri temporibus claram a Grae-
cis conditam fuisse, vnde probabitur? C. *otiosi
militis malum*] Per adpositionem, pro rumor, qui
erant otiosi m. m. h. e. Quoniam milites otiosi erant,
& nihil habebant quod agerent, tum confabulationibus
indulgebant, vnde tales rumores orti. S. ^{16.} *lym-
phatis similes*] vide IV. 12. 14. C. *vasa*] Ita
omnis generis instrumenta & utensilia dicuntur, signi-
ficatione a graeco σκῆνος sumta. S. ^{18.} *contrahit*] *conuocat, congregat.* S. ^{19.} *deorum inuidiam*] *Impie & irreuerenter: non autem praeter morem gen-
tilium hominum, quibus solenne erat de diis suis ita
sentire atque dicere, Supra V. 8. 15. si iusta ac pia*

*viris subitum patriae desiderium admouissent, paullo post in eandem cum maiore laude fama-
 20 credituris.* Tum vero pro se quisque operam
 suam offerre: difficillima quaeque poscere; pol-
 liceri militum quoque obsequium, si animos
 eorum leni & apta oratione permulcere voluif-
 21 set. Nunquam infractos & abiectos recessisse,
 quoties ipsius alacritatem & tanti animi spiritus
 haurire potuissent. Ita se facturum esse respon-
 dit. Illi vulgi aures praeparent sibi, satisque
 omnibus, quae in rem videbantur esse, composi-
 tis; vocari ad concionem exercitum iussit, apud
 quem talem orationem habuit.

*bella dii auersantur. & VII. 7. 7. deos quoque incu-
 sans querebatur. & X. 5. 10. inuidia deum ereptum
 esse rebus humanis. Florus I. 13. 1. de Gallorum Seno-
 num incurfione, siue inuidia deum, siue fato, Rufus
 Festus c. 24. Cari victoria ad inuidiam caelestis in-
 dignationis pertinuisse credenda est. C. 21. in-
 fractos & abiectos] infractos, valde fractos, timidos,
 desperantes, vt IN augeat, non minuat, vim simplicis.
 Vide Virg. IX, Aen. v. 499. & Vell. Paterc. II. 37. n. 2.
 & c. 39. n. 1. C. haurire] vox haec de omnibus
 fere sensibus vsurpatur: e. g. haurire auribus, audire;
 haurire aquam, bibere; sic & h. l. haurire, vel de
 visâ vsurpatur tanquam sensu externo; vel de sensu in-
 terno h. e. intellectu, vt haurire idem sit, quod perci-
 pere, sentire. S. praeparent] praecoccupent
 milites, vt oratio Alexandri eo altius deinde in eorum
 animos penetrare possit. S.*

CAP. III.

Hortatoria Alexandri ad milites oratio, ut bellum in Asia inchoatum, persequantur & absoluant.

Magnitudinem rerum, quas gessimus, milites, ¹
 intuentibus vobis, minime mirum est, &
 desiderium quietis, & facietatem gloriae occur-
 rere. *Vt omittam Illyrios, Triballos, Boeotiam,* ²
Thraciam, Spartam, Achaeos, Peloponnesum,
quorum alia ductu meo; alia imperio auspicio-
que perdomui; ecce orsi bellum ad Hellespontum, ³
Ionas, Aeolidem seruitio barbariae impotentis
exemimus: Cariam, Lydiam, Cappadociam,
Phrygiam, Paphlagoniam, Pamphyliam, Pisidas,
Ciliciam, Syriam, Phoenicem, Armeniam, Per-
sidem, Medos, Parthienem habemus in potestate.
plures prouincias complexus sum, quam alii vrbes
ceperunt. & nescio, an enumeranti mihi, quae- ⁴
dam ipsarum rerum multitudo subduxerit. Itaque ⁵
si crederem, satis certam esse possessionem terra-
rum, quas tanta velocitate domuimus; ego vero,

2. ductu, imperio, auspicioque] ductu, quibus ipse
 rex praefuerat bellis: imperio & auspicio, quae per
 duces suos gesserat. Adde principium lib. V. & eius-
 dem libri c. 9. n. 4. Inscriptio apud Plinium III. 20.
 quod eius ductu auspiciisque gentes alpinae omnes sub
 imperium P. R. sunt redactae. C. 3. barbariae
 impotentis] barbarorum, qui crudeliter & superbe
 in has regiones imperium exercuerant. Haec enim est
 vocis impotens h. l. notio. S. complexus sum]
 cepi, ut ipse se paullo post explicat. S. 4 subdu-
 xerit] e memoria elabi fecerit. S.

- milites, ad penates meos, ad parentem sororesque,
 & ceteros ciues, vel renitentibus vobis erumperem:
 vt ibi potissimum parta vobiscum laude & gloria
 fruerer; vbi nos vberissima victoriae praemia ex-
 spectant: liberorum, coniugum, parentumque
 laetitia, pax, quies, rerum per virtutem partarum
 6 *secura possessio. Sed in nouo, & (si verum fateri
 volumus) precario imperio, adhuc iugum eius
 rigida ceruice subeuntibus barbaris, tempore,
 milites, opus est, dum mitioribus ingeniis imbuan-
 tur, & efferatos mollior consuetudo permulceat.*
 7 *Fruges quoque maturitatem statuto tempore ex-
 spectant: adeo etiam illa sensus omnis expertia,
 8 tamen sua lege mitescunt. Quid? creditis tot
 gentes alterius imperio ac nomine adsuetas, non
 sacris, non moribus, non commercio linguae no-
 biscum cohaerentes, eodem proelio domitas esse, quo
 viciae sunt? Vestris armis continentur, non suis
 moribus; & qui praesentes metuunt, in absentia*

3. *praemia nos expectant]* per Hypallagen inuer-
 titur constructio, pro: *expectamus praemia. S.*
 6. *precario imperio]* Nullae preces adhibitae in subi-
 gendis barbaris: tanta tamen earum gentium multitudo
 erat, tantaque potentia vt fama potius & terrore, quam
 vi armorum numeroque Macedonum subiectae ac do-
 mitae essent. C. 7. *sua lege]* ordine a Deo &
 natura praescripto, qui ipsis legis instar est. S. *mi-
 tescunt]* *matura fiunt.* Nam ante maturitatem fru-
 ges & fructus acerbis sunt gustu, post eam vero iucunda
 & mitia. S. 8. *sacros]* religione. S. *con-
 tinentur]* *coercentur, S.*

hostes

hostes erunt. Cum feris bestiis res est, quas captas
 & inclusas, quia ipsarum natura non potest, lon-
 gior dies mitigat. Et adhuc sic ago, tamquam 9
 omnia subacta sint armis, quae in ditione Darii.
 Hyrcaniam Nabarzanes occupauit; Baetra non
 possidet solum parrycida Bessus; sed etiam mi-
 natur: Sogdiani, Dahae, Massagetae, Sacae,
 Indi sui iuris sunt. Omnes hi, simul terga nostra
 viderint, sequentur. Illi enim eiusdem nationis 10
 sunt; nos alienigenae & externi. suis autem
 quique parent placidius: etiam quum is praefest,
 qui magis timeri potest. Proinde, aut quae
 cepimus, omittenda sunt; aut quae non habemus,
 occupanda. Sicut in corporibus aegris, milites, I I
 nihil quod nociturum est, medici relinquunt; sic
 nos quidquid obstat imperio, recidamus. Parua
 saepe scintilla contempta magnum excitauit incen-
 dium. Nihil tuto in hoste despicitur: quem

cum feris bestiis] cum efferatis hominibus. Infra
 Cliticus VIII. 1. 35. mitto ad feras bestias, praecipit
 ingenia fortitas, Sogdianos intelligens. Ignatius
 epist. ad Romanos; Ἀπὸ Συρίας μέχρι ῥώμης θηριομαχῶ
 ---- ἐνδεδεμένος δέκω λεοπαρδοῖς, ὅ ἐστι στρατιωτικὸν τάγμα,
 quod ne nouum glossema putes, interpretationis causa
 adiectum; Hieronymi versionem ex de Script. Eccles.
 libro adiungo: ligatus cum decem leopardis, hoc est
 militibus. C. longior dies] longum tempus.
 Pars pro toto. S. 9. minatur] se nobis aduersa-
 rium fore, quam primum ipsum adgredi vellemus. S.
 simul] simul ac. Vid. Tursellinus c. 212 n. S. se-
 quentur] insequentur nos tanquam hostes. S.
 n. Nihil tuto in hoste despicitur] Liuius XXI. 43.
 Saepe contemptus hostis cruentum certamen edidit.

- 12 spreueris, *Valentioſorem negligentia facies. Ne Darius quidem hereditarium Perſarum accipit imperium, ſed in ſedem Cyri, beneficio Bagoae caſtrati hominis, admiſſus: ne vos magno labore eredatis Beſſum vacuum regnum occupaturum.*
- 13 Nos vero peccauimus, milites, ſi Darium ob hoc vicimus, et ſeruo eius traderemus imperium, qui vltimum auſus ſcelus, regem ſuum, etiam externae opis egentem, certe, cui nos victores peperciſſemus, quaſi captiuum in vinculis habuit: ad vltimum,
- 14 ne a nobis conſeruari poſſet, occidit. Hunc vos regnare patiemini? quem equidem cruci adfixum videre feſtino, omnibus regibus gentibusque fidei,
- 15 quam violauit, meritas poenas ſoluentem. At hercule, ſi mox eundem Graecorum vrbes, aut Hellespontum vaſtare nunciatum erit vobis; quo dolore adficiemini, Beſſum praemia veſtrae occupaſſe victoriae? tunc ad repetendas res feſtina-

Velleius II. 118. *neminem ait celerius opprimi, quam qui nihil timeret; Et frequentiffimum initium eſſe calamitatis, ſecuritatem. C. 12. Bagoae caſtrati hominis] Artaxerxem Ochum Perſarum regem Bagoas eunuchus & chiliarchus veneno ſuſtulit, & ceteris filiis interfectis minimum natu Arſen in folio collocauit. Hoc quoque poſt triennium deiecto, Darium Codomannum in faſtigium regni euexit. Diodor. Sic. XVII. 5. C. 13. peccauimus] male fecimus. S. vltimum auſus ſcelus] quo grauius admitti non poteſt: parricidium nempe. quod infra VIII. 8. 2. vltimum facinus vocatur. Seneca de Clem. I. 23. multo minus audebant liberi nefas vltimum admittere, quamdiu ſine lege crimen fuit. de parricidio autem ibidem diſſerit. C. ad vltimum] Denique, tandem, vt III. 1. 7. VI. 5. 17. C.*

bitis,

bitis, tunc arma capietis. Quanto autem prae-16
 stat territum adhuc & vix mentis suae compotem
 opprimere? quatrivni nobis iter superest, qui tot
 proculcauimus niues, tot amnes superauius, tot
 montium iuga transcurrimus. Non mare illud,
 quod exaestuans iter fluctibus occupat, euntes
 nos moratur, non Ciliciae fauces & angustiae in-
 cludunt: plana omnia & prona sunt. In ipso¹⁷
 limine victoriae stamus. pauci nobis fugitivi &
 domini sui interfectores supersunt. Egregium me
 hercule opus, & inter prima gloriae vestrae nume-
 randum posteritati famaeque tradetis, Darii quo-
 que hostis, finito post mortem eius odio, parricidas
 esse vos vltos, neminem impium effugisse manus
 vestras. Hoc perpetrato, quanto creditis Persas¹⁸
 obsequentiores fore, quum intellexerint, vos pia
 bella suscipere; & Bessi sceleri, non nomini suo,
 irasci?

16. mare, quod exaestuans iter] mare Pamphy-
 lium, cuius fluctibus angustum iter ad Climacem mon-
 tem tegebatur, quum Macedones transfirent. *Supplem.*
II. 9. C. in ipso limine victoriae] limen pro
 ingressu, & facilitate ingrediendi ponitur: & limen
 victoriae pro facilitate vincendi. *S.* 18. pia
 bella] quae impietatem eorum, qui in cognatos &
 dominos saeuunt, coercere student. E. g. hic de Besso
 loquitur, qui Darium occiderat. De vocis autem pius
 notatione iam superius aliquoties egit Cellarius. *S.*
 non nomini suo] Persico nomini & nationi, vt non
 opus sit ad Bessum referre & per eius exponere. Ad
 Persas potius reducatur pronomen, vt vim natiuam
 reciprocandi retineat. *C.*

CAP. IV.

Zioberis miri fluminis descriptio. Alexander Nabazani per literas salutem quaerenti veniam pollicetur. Deinde mari Caspio & Hyrcaniae proximus quosdam Darii praefectos recipit in gratiam.

- 1 **S**VMMMA militum alacritate subeuntium, quocumque vellet, duceret, oratio excepta
- 2 est. nec rex moratus impetum; tertioque per Parthienem die ad fines Hyrcaniae penetrat, Cratero relicto cum iis copiis, quibus praeerat, & ea manu, quam Amyntas ducebat, additis sexcentis equitibus, & totidem sagittariis: ut ab incursione barbarorum Parthienem tueretur.
- 3 Erigyium impedimenta, modico praefidio dato, campestri itinere ducere iubet. Ipse cum phalange & equitatu CL stadia emensus, castra in valle, qua Hyrcaniam adeunt, communit. Nemo praecaltis densisque arboribus umbrosum est, pingue vallis solum rigantibus aquis, quae ex
- 4 petris imminentibus manant. Ex ipsis radicibus montium Zioberis amnis effunditur, quā

I. *subeuntium*] Ita Gronovius Obs. II. 4. trium codicum manuscriptorum auctoritate. Vulgo *iubentium* legunt. C. *Subire* autem hic notat *respondere*, quod l. c. exemplis probat Gronovius. Ordo talis est: *Oratio* (haec Alexandri) *accepta est summa alacritate militum subeuntium* (i. e. respondentium) *duceret* (se Rex) *quocumque vellet*. S. 2. *manu*] *copiis, exercitu*. S. 3. *campestri*] *terrestri*: quod *navali* contradistinguitur. S. 4. *Zioberis amnis*] ignotus fere geographis. Diodorus XVII. 75.

tria

tria fere stadia in longitudinem vniuersus fluit ;
 deinde saxo , quod alueolum interpellat , reper-
 cussus , duo itinera , velut dispensatis aquis ,
 aperit. Inde torrens & faxorum , per quae in- 5
 currit , asperitate violentior , terram praecipit
 subit. Per CCC stadia conditus labitur : rur-
 susque velut ex alio fonte conceptus editur , &
 nouum alueum intendit ; priore sui parte spatio- 6
 sior , quippe in latitudinem XIII stadiorum
 diffunditur : rursusque angustioribus coercitus
 ripis iter cogit , tandem in alterum amnem cadit ,
 cui Rhidago nomen est. Incolae adfirmabant , 7
 quaecumque dimissa essent in cauernam , quae
 propior est fonti , rursus , vbi aliud os amnis aper-
 rit , existere. Itaque Alexander duos tauros ,
 qua subeunt aquae terram , praecipitari iubet ,
 quorum corpora vbi rursus erumpunt , expulsa
 vide , qui missi erant , vt excipiunt. Quartum 8
 iam diem eodem loco quietem militi dederat ;

Στιβοίτην vocat , ex quo nomine videtur Curtianum
 deprauatum esse. C. 5. *torrens*] ita dicitur,
 quia pluuia crescit , siccitate torrescit i. e. arefcit,
 quam notionem huius vocis olim fuisse testantur Festus
 in *Torrens* & Isidorus Orig. 13. 21. Et haec causa est,
 cur , quem antea *fluuium* vocauit , iam *torrentem* no-
 minat. Eluius praeterea habet alueum , quo *torrens*
 destituitur. S. 6. *iter cogit*] *contrahit se*. S.
 7. *cui Rhidago nomen est*] Neque huius apud alios
 occurrit mentio ; nec apud Diodorum , qui tamen
 Ziobaris , vel vt ipse vocat , *Stiboeta* mirandam natu-
 ram scripsit. C. *erumpunt*] Sensus postulat , vt
 ita legamus , & referamus ad vocem *aquae*. Nam
 haec tenus lectum est *erumpit*. S. 8. *militi*]

- quum litteras Nabarzanis, qui Darium cum Besso interceperat, accipit, quarum sententia haec erat. *Se Dario non fuisse inimicum; immo etiam quae credidisset vtilia esse, suasisse: & quia fidele consilium regi dedisset, prope occisum ab eo.*
- 9 *Agitasse Darium, custodiam corporis sui, contra ius fasque, peregrino militi tradere, damnata popularium fide, quam per ducentos & triginta*
- 10 *annos inuiolatam regibus suis praestitissent. Se in praecipiti & lubrico stantem consilium a praesenti necessitate repetisse. Darium quoque quum occidisset Bagoan, hac excusatione satis fecisse popularibus, quod insidiantem sibi interemisset.*
- 11 *NIHIL esse miseris mortalibus spiritu carius. amore eius ad vltima esse propulsum. sed ea magis esse sequutum, quae coegisset necessitas, quam*
- 12 *quae optasset. In communi calamitate suam quemque habere fortunam. Si venire se iuberet, sine metu esse venturum. non timere, ne fidem datam tantis rex violaret: deos a deo falli non*
- 13 *solere. Ceterum si, cui fidem daret, videretur*

militibus. Singularis pro plurali. S. 9. Agitasse] subaudi secum vel animo suo h. e. cogitasse. S. damnata] neglecta, contempta. S. 10. quum occidisset Bagoan] Bagoas, qui Dario regnum dederat, quum & hunc veneno sublaturus esset, coactus ab eodem est ipsum poculum, quod misauerat, ebibere & vim suae vitae inferre. Diodor. XVII. 5. C. 11. Spiritu] vita. Causa efficiens pro effectu ponitur. C. 12. a Deo] ita adulatorie vocat Alexandrum. S. 13. si cui] si indignus videretur, ut ei fidem daret. S.

indignus,

indignus, multa exilia patere fugienti: patriam 14
esse, ubicunque vir fortis sedem elegerit. Nec
 dubitauit Alexander, fidem, quo Persae modo
 accipiebant, dare, *Inuiolatum, si venisset, fore.*
 Quadrato tamen agmine, & composito ibat,
 speculatores subinde praemittens, qui explo-
 rarent loca. leuis armatura ducebat agmen, 15
 phalanx eam sequebatur, post pedites erant im-
 pedimenta. & gens bellicosa, & natura situs
 difficilis aditu, curam regis intenderat. Namque 16
 perpetua vallis iacet, vsque ad mare Caspium
 patens. Duo terrae eius velut brachia excur-
 runt: media flexu modico sinum faciunt, lunae
 maxime similem, quum eminent cornua, non-
 dum totum orbem fidere implente. Cercetae, 17
 Mosyni, & Chalybes a laeua sunt: ab altera

14. *fidem, quo Persae modo*] Modus iste consiste-
 bat in data dextra. Etenim ἡ πίστις ἀντὶ τοῦ βεβαιωτάτη
 παρὰ τοῖς Πέρσιν, *fides haec, quae per oblatam dex-*
tram datur, firmissima est apud Persas. Diodor. Sic.
 XVI 43. *Quod Darii morituri verba apud Iustinum*
 XI, extr. confirmant, *unicum pignus fidei regiae dexte-*
ram se ferendam Alexandro dare. C. *quadrato*
agmine] exercitu suo ita ordinato, vt in omnibus qua-
 tuor eius lateribus, quocunque inuaderetur, milites
 faciem aduersus hostes conuerterent. S. 16, *lunae*
maxime similem] Strabo lib. XI. pag. 350. montium
 ait ad Hyrcanum mare *μηνοειδὲς τὸ χῆμα, lunatam*
figuram, sicut de ipso hoc mari Plinius VI. 13. lunaris
obliquatur cornibus. C. 17. *Cercetae, Mosyni,*
Chalybes] Grandi errore mare Caspium cum Ponto
 Euxino confunditur. Omnes enim haec gentes ad Pon-
 tum Euxinum suere, non ad mare Caspium: & *Leuco-*

parte Leucosyri, & Amazonum campi; & illos
 qua vergit ad septentrionem; hos ad Occasum
 18 conuersa prospectat. Mare Caspium dulcius
 ceteris ingentis magnitudinis serpentes alit:
 pisces longe diuersi ab aliis coloris. quidam
 Caspium, quidam Hyrcanum, adpellant: alii
 sunt qui Maeotim paludem in id cadere putent:
 & argumentum adferunt; *aquam, quo dulcior
 sit quam cetera maria, infuso paludis humore*
 19 *mitescere.* A septentrione ingens in litus mare
 incumbit, longeque agit fluctus, & magna parte
 exaestuans stagnat. idem alio caeli statu recipit
 in se fretum, eodemque impetu, quo effusum est,
 relabens, terram naturae suae reddit. & qui-
 dam credidere, non Caspium mare esse, sed ex
 India in Hyrcaniam cadere, cuius fastigium, vt

*syri pars Cappadocum erant; Amazonii campi ibi-
 dem ad Thermodoonta fluuium. Vide geograph. C.
 18. ceteris] sc. maribus, S. Maeotim paludem]*
 qui id putarunt, in errorem quem iam notauimus,
 Curtium induxerant. Sed nemo hodie nescire potest,
 Maeotim Bosphorano freto in Pontum infundi, non in
 mare Caspium. C. *aquam quo dulcior sit]* Si
 dulcior est, quod alii dubitant, magnis id fluminibus,
 quae in illud mare exonerantur, imputandum erit.
 Sunt autem Rha siue Wolga, Cyfus, Araxes, Oxus,
 Iaxartes, & alia. C. 19. *recipit in se fretum]*
 in quale? iterum videtur Pontum, & quae adjacent
 Bosphorana freta, cum Caspio mari confundere. C.
sed ex India in Hyrcaniam cadere] quod periplum
 huius maris nullum fecerant Macedones, sed diuersis
 tantum ex terris accesserant; factum, vt quidam in
 plura illud maria diuiserint, quod ab oriente est, ex

Supra

supra dictum est, perpetua valle submittitur. Hinc rex XX stadia processit semita propemo-20 dum inuia, cui filua imminebat, torrentesque & eluuiēs iter morabantur. nullo tamen hoste obiuo, penetrauit; tandemque ad vltiora peruentum est. Praeter alios commeatus, quo-21 rum tum copia regio abundabat, pomorum quoque ingens modus nascitur, & vberimum gignendis vis solum est. Frequens arbor fa-22 ciem quercus habet, cuius folia multo melle tinguntur: sed nisi solis ortum incolae occupaerint; vel modico tepore succus extinguitur. XXX hinc stadia processerat, quum Phrata-23 phernes ei occurrit, seque & eos, qui post Darii mortem profugerant, dedens: quibus benigne exceptis ad oppidum Aruas peruenit. hic ei Craterus & Erigius occurrunt. Praefectum²⁴ Tapurorum gentis Phradatem adduxerant. hic quoque in fidem receptus, multis exemplo fuit

Indico oceano, aliud ex boreali derivantes. Sed vnum lacum maiorem esse vndique terris cinctum, hodie notissimum certissimumque est. C. 22. *Frequens arbor*] Illa arboris species, quae ibi frequens est, faciem qu. &c. S. occupauerint] obseruaerint vt eo tempore istud cogent. S. 23. *oppidum Aruas*] Et hoc geographis ignotum est. Arrian. p. 216. *Zadracaria* vocat urbem, iuxta quam Craterus regi occurrerit. C. 24. *Tapurorum gentis*] Hyrcanica finitima, vt ex hac expeditione apud nostrum & Arrianum apparet. Ptolemaeus autem Margianae coniungit, C.

expe-

supra

- 2) experiendi clementiam regis. Satrapem deinde Hyrcaniae dedit Menapim. exul hic regnante Ocho ad Philippum peruenerat: Tapurorum quoque gentem Phradati reddidit.

25. Hyrcaniae] est casus tertius. S. dedit] posuit, constituit. S.

CAP. V.

Artabazo summa cum animi beneuolentia excepto, Graecis qui Darium adiuerant, parciit Alexander, & Mardorum gente debellata, Amazonicae cuiusdam reginae petitioni satis facit.

- 1) **I**Amque rex vltima Hyrcaniae intrauerat, quum Artabazus (quem Dario fidissimum fuisse supra diximus) cum propinquis Darii ac suis liberis modicaque Graecorum militum manu
 2) occurrit. Dextram venienti obtulit rex; quippe & hospes Philippi fuerat, quum Ocho regnante exsularet; & hospitii pignora in regem suum ad
 3) vltimum fides conseruata vincebat. Comiter igitur exceptus, *Tu quidem, inquit, rex perpetua felicitate floreas. ego ceteris laetus, hoc vno torqueor, quod praecipiti senectute, diu frui tua bonitate non possum.* nonagesimum & quintum
 4) annum agebat. Nouem iuuenes, eadem matre

1. supra diximus] lib. V. cap. IX. & sequentibus. C. 2. ad vltimum] ad mortem vsque Darii. C. fides vincebat hospitii pignora] fidelitas erga natium regem superabat hospitii gratiam, quo Philippi Macedonis domui deuinctus erat. C.

geniti,

geniti, patrem comitabantur. hos Artabazus
 dextrae regis admouit, precatus vt tam diu viue-
 rent, donec vtilis Alexandro essent. Rex pedi- 5
 bus iter plerumque faciebat: tunc admoueri sibi
 & Artabazo equos iussit; ne ipso ingrediente
 pedibus, fenex equo vehi erubesceret. Deinde 6
 vt castra sunt posita; Graecos, quos Artabazus
 adduxerat, conuocari iubet: at illi, nisi Lace-
 daemoniis fides daretur, respondent, *se quid*
agendum ipsis foret, deliberaturos. Legati erant 7
 Lacedaemoniorum missi ad Darium, quo victo
 adplicauerant se Graecis mercede apud Persas
 militantibus. Rex omissis sponsionum fideique 8
 pignoribus, venire eos iussit, fortunam, quam
 ipse dedisset, habituros. Diu cunctantes, ple-
 risque consilia variantibus, tandem *venturos se*
 pollicentur. At Democrates Atheniensis, qui 9
 maxime Macedonum opibus semper obstiterat;

6. nisi Lacedaemoniis fides daretur] fides publica
 & sponso veniae impetrandae. Lacedaemonii enim
 prae ceteris Graecorum Macedonum potentiae aduer-
 sabantur, vt vel ex supplemento & principio libri huius
 VI. manifestum fuit. C. 8. omissis sponsionum
 pignoribus] quia contra commune decretum Graeciae
 barbaris aduersus Graecos militauerant. C. for-
 tunam, quam ipse dedisset] Arrianus III. pag. 218.
 επιτρέποντας Αλεξάνδρω, χρησθαι ὅ, τι βέλαιο. Nostra-
 tes, auf discretion ergeben. C. 9. Democrates
 Atheniensis] Videtur Demochares esse. sororis De-
 mosthenis filius, qui cognomen *parrhesiastae* ob ni-
 miam & procacem linguam accepit, Macedonum impe-
 rio infestissimus, vt ex Senecae de Ira III. 23. constat,

venia

venia desperata, gladio se transfigit, ceteri, sicut
constituerant, ditioni Alexandri se ipsos permit-
10 tunt. mille & D milites erant. praeter hos
legati ad Darium missi XC. In supplementum
distributus miles: ceteri remissi domum, praeter
Lacedaemonios, quos tradi in custodiam iussit.
11 Mardorum erat gens confinis Hyrcaniae, cultu
vitae aspera, & latrociniis adfucta. haec sola
nec legatos miserat; nec videbatur imperata
factura. Itaque rex indignatus, si vna gens
posset efficere, ne inuictus esset; impedimentis
cum praesidio relictis, expedita manu comitante
12 procedit. Noctu iter fecerat, & prima luce ho-
stis in conspectu erat: tumultus magis quam
proelium fuit. Deturbati ex collibus, quos

cuius etiam Cicero meminit de Orat. II. 23. & in Bruto
c. 83. ac Aelianus Var. hist. III. 7. C. 10. In
supplem. distr. miles] singularis pro plurali, pro mili-
tes (ii scilicet, qui se Alexandro dederant) distri-
buti sunt, man hat sie untergeslecket. S. 11.
Mardorum gens] Supra diximus ad V. 6. 17. C.
indignatus, s.] Latinius dixisset: indignatus, quod
vna gens vellet efficere &c. Sed h. l. Graecorum
more particulam si construit, quemadmodum ii suum
a pro an. Sensus ergo talis erit: Rex indignatus
(experiti volebat) an vna gens. &c. S. expedita manu]
Adhuc omnes legerunt inuicta manu.
Spuria vox inuicta, sine dubio ex praecedente ne in-
uictus redundans. Locus tamen quod supplendus est,
Freinshemius reliqua supponit, scitius Tanaquillus
expedita. Relinquuntur enim impedimenta, relin-
quitur praesidium: quid superest, nisi manus expedita?
Vide Epist. LI. C.

occupauerant, barbari profugiunt; proximique
 vici ab incolis deserti capiuntur. Interiora regi-
 onis eius haud sane adire sine magna vexatione
 exercitus poterat. Iuga montium, praealtae
 filuae, rupesque inuiae sepiunt; ea quae plana
 sunt, nouo munimenti genere impediuerant bar-
 bari. Arbores densae sunt ex industria constitae,¹⁴
 quarum teneros adhuc ramos manu flectunt,
 quos intortos rursus inferunt terrae: inde velut
 ex alia radice laetiores virent trunci. hos, quae
 natura fert, adolescere non sinunt, quippe alium
 alii quasi nexu conferunt, qui vbi multa fronde
 vestiti sunt, operiunt terram. itaque occulti
 nexu ramorum velut laquei perpetua sepe iter
 cludunt. Vna ratio erat caedendo aperire sal-
 tum: sed hoc quoque magni operis. crebri
 namque nodi durauerant stipites, & in se impli-
 cati arborum rami suspensis circulis similes, lento
 vimine frustrabantur ictus. Incolae autem, ritu
 ferarum virgulta subire soliti; tum quoque in-
 trauerant saltum, occultisque telis hostem lacef-

13. *iuga montium* Sc.] subaudi vel initio huius
 constructionis relatiuum *quam*, vel sub finem pronomen
eam. S. 14. *laetiores trunci*] Supra V. 4. 8. *colles frondibus laeti*, adde ibi notata. C. 15. *qua
 natura fert*] ad eam altitudinem, ad quam arbores
 alias natura excrescunt. S. *Fronde vestiti*] vide
 ibidem num. 7. C. *cludunt*] antiquo pro *clau-
 dunt*. S. 16. *nodi durauerant*] Doctiorum haec
 scriptura est. Vulgo inepte *nudauerant*. C. *Dura-
 uerant*] i. e. *duriores fecerant*. S. *lento vimine
 frustrabantur ictus*] *die aeste gaben nach, und war
 also der hieb vergebens*. S.

febant.

sebant. Ille venantium modo latibula scrutatus, plerosque confodit: ad vltimum circumire saltum milites iubet, vt si qua pateret, inrum-
 18perent. Sed ignotis locis plerique oberrabant. excepti sunt quidam; inter quos equus regis, Bucephalam vocabant: quem Alexander non eodem quo ceteras pecudes animo aestimabat. nam ille nec in dorso insidere suo patiebatur alium; & regem, quum vellet adscendere, sponte sua genua submittens excipiebat, credebaturque
 19sentire, quem veheret. Maiore ergo quam decebat, ira simul ac dolore stimulatus, equum vestigari iubet; & per interpretem pronunciari, ni reddidissent, neminem esse victurum. Hac denunciatione terrii, cum ceteris donis equum
 20adducunt. Sed ne sic quidem mitigatus, caedi filias iubet, adgestaeque humo e montibus pla-
 21niciem ramis impeditam exaggerati. Iam in aliquantulum altitudinis opus creuerat, quum barbari, desperato regionem, quam occupa-

17. Ille] *hostis* scil. S. 18. *Bucephalum*] Veteres etiam libri *Bucephalam*: quidam autem *Bucephalum*. Graeci pariter promiscua forma. Plutarchus, Arrianus, Aelianus, Hesychius ε βουκέφαλος: at Zonaras p. 131. τῷ βουκέφαλα ἵππῳ κομισθέντες φιλιππῶ, & p. 136. de Hyrcanis βαρβάρων τινῶν τὸν ἵππον αὐτῷ βουκέφαλον ἀφελόμενων. Adde dicta in Supplementis I. 5. C. 21. in *aliquantulum*] Ita Tellierus, procul dubio Freinshemii sequutus consilium, edidit. Vulgo negligitur IN. C. *desperato*] absolute, vt Iustinus I. 7. 9. *cognito quod illatum Croeso bellum esset*, id est, postquam cognitum fuit. Sic nostrum

runt.

runt, posse retineri, gentem suam dedidere. Rex
 obsidibus acceptis Phradati tradere eos iussit.
 Inde quinto die in statiuam reuertitur. Artaba-²²
 zum deinde, geminato honore, quem Darius
 habuerat ei, remittit domum. Iam ad urbem
 Hyrcaniae, in qua regia Darii fuit, ventum erat.
 ibi Nabarzanes accepta fide occurrit, dona in-
 gentia ferens. inter quae Bagoas erat specie²³
 singulari spado, atque in ipso flore pueritiae;
 cui & Darius fuerat adfuetus, & mox Alexan-
 der adfuevit: eiusque maxime precibus motus
 Nabarzani ignouit. Erat, vt supra dictum est,²⁴
 Hyrcaniae finitima gens Amazonum, circa

interpretatur: postquam desperatum fuit. Erasmus
 legit desperati, & actiue *qui desperant*, interpretatur.
 Dure. C. 22. *geminato honore*] *multipliciter*
aucto, vt *tergemini honores* sunt maximi & summi
 Horatio Oda I. vide Barth. Adv. XXI. 12. C. *vr-*
bem Hyrcaniae] cui nomen erat *Zeudracarta* siue
Zadracarta, Arrian. p. 216. 220. vt non opus sit, cum
 Radero *Hyrcaniam* hoc loco nomen urbis facere, &
 poetae figura Aeneid. III. 29. (*Buthroti adscendimus*
urbem) explicare, quamquam Ptolemaeus urbem hu-
 ius nominis memorauit. C. 23. *specie*] *pulchri-*
tudine. S. *adfuetus*] de *concubitu masculo*
 intelligenda haec vox pudica admodum. & tam nefan-
 dam rem honeste describens. Ipsam autem rem in
 gentilibus, & maxime Romanis sui temporis maxim-
 opere execratur D. Paulus Roman. I. 27. S. 24.
Hyrcaniae finitima gens Amazonum] Solenne Cur-
 tio, vt quae vicina Ponto sunt, ad mare Hyrcanum
 transferat. Thermoodon enim amnis Cappadociae
 & Ponti Polemoniacy est: etiam Themiscyra τὸ τῶν

Thermo-

- Thermodoonta amnem Themiscyrae incolen-
 25tium campos. Reginam habebant Thalestrim,
 omnibus inter Caucaſum montem & Phafim
 amnem imperitantem. Haec cupidine viſendi
 regis accenſa finibus regni ſui exceſſit; & quum
 haud procul abeſſet, praemiſit indicantes, veniſſe
 reginam adeundi eius, cognoscendique auidam.
 26Protinus facta poteſtate veniendi, ceteris iuſſis
 ſuſſistere, CCC ſeminarum comitatu proceſſit.
 Atque vt primum rex in conſpectu fuit, equo ipſa
 27deſiliit duas lanceas dextra praeferens. Veſtis
 non toto Amazonum corpore obducitur; nam
 laeua pars ad pectus eſt nuda, cetera deinde
 velantur. nec tamen ſinus veſtis, quem nodus
 28conligunt, infra genua deſcendit. Altera papil-
 la intacta ſeruat, qua muliebris ſexuſ liberos

Ἀμαζόνων πεδίων, *Amazonum campus* circa illum fluui-
 um, vt Strabo lib. II. pag. 86. & XI. pag. 348. tradidit.
 An vero vnquam fuerint Amazones, non diſputamus,
 nec tot auctorum conſpirationi contradicimus. Valde
 autem ſuſpectum nobis eſt, Alexandri temporibus tam
 potens mulierum regnum in Pontica ora fuiſſe, a Ther-
 moodonte nempe aut amplius, ad Phafim vſque Col-
 chidis amnem. Neque enim ante haec Medi cum Ly-
 dis de ſuperiori Aſia certantes, & Halym conſtituentes
 communem terminum, leguntur cum feminis belli-
 gerariſſe: nec poſt Alexandrum Antigonuſ, Mithridateſ,
 aliique, regnorum hiſ lociſ ſedem figenteſ, mulierum
 repugnantiam experti ſunt. C. 27. caetera] eſt
 ſextuſ caſuſ, & ſubaudiendum parte. S. ſinus
 veſtiſ] vocatur ea pars veſtiſ, quae anteriorem cor-
 poriſ partem tegit, & in ſedendo ſinum efficit, S.

alant:

alant: aduritur dextra, vt arcus facilius inten-
 dant, & tela vibrent. Interrito vultu regem²⁹
 Thalestris intuebatur, habitum eius haudqua-
 quam rerum famae parem oculis perlustrans.
 quippe hominibus barbaris in corporum maie-
 state veneratio est, maiorumque operum non
 alios capaces putant, quam quos eximia specie
 donare dignata est. Ceterum interrogata, num³⁰
 aliquid petere vellet: haud dubitauit fateri, ad
 communicandos cum rege liberos se venisse: di-
 gnam, ex qua ipse regni generaret heredes, feminei
 sexus se retenturam; marem reddituram patri.
 Alexander, an cum ipso militare vellet, inter-³¹
 rogat: & illa, caussata sine custode regnum reli-
 quisse, petere perseuerabat, ne se inritam spei
 pateretur abire. Acrior ad Venerem feminae³²
 cupido quam regis, vt paucos dies subsisteret,
 perpulit. XIII dies in obsequium desiderii eius
 absumpti sunt. Tum illa regnum suum; rex
 Parthienem petiuerunt.

29. habitum] personam eius, quae non admodum
 longitudine erat conspicua. S. barbaris in cor-
 porum maiestate] Sic ignoti faciem Agesilai intuentes,
 contemnebant. Nepos cap. 1. brevis enim & claudis
 erat. Contra Porum sui venerabantur propter corpus
 rarae magnitudinis. Curt. VIII. 13. C. 31. caus-
 sata] excusationem proferens, Vide supra, S.

CAP. VI.

Macedones Alexandri offenduntur moribus, qui ut seditionem auerteret, ad bellum Bessò inferendum mentem conuertit, ac sarcinis combustis, Satibarzanem, quod defecisset, primum persequitur: barbaros a montibus dispellit: Artacnam expugnat.

- H**IC vero palam cupiditates suas soluit; continentiamque & moderationem, in altissima quaque fortuna eminentia bona, in
 2. superbiam ac lasciuiam vertit. Patrios mores disciplinamque Macedonum regum salubriter temperatam & ciuilem habitum, velut leuiora
 3. orum potentiae fastigium aemulabatur. Iacere humi venerabundos pati coepit: paullatimque feruilibus ministeriis tot victores gentium imbuere, & captiuus pares facere expetebat. Itaque
 4. purpureum diadema distinctum albo, quale Darius habuerat, capiti circumdedit, vestemque Persicam sumpsit; ne omen quidem veritus, quod

1. *soluit*] frenum illis laxauit. S. 2. *ciuilem habitum*] ciuibus cum principe communem. Supra III, 6. 19. *cultus habitusque paullulum a priuato abhorrens.* C. *Persicae regiae*] Persicorum regum arrogantiam, diuinae magnitudini se aequantium, imitabatur. C. 3. *Iacere humi*] προσκυνεῖν vocabant, quod Graecis hominibus indignum inuisumque erat. *Nepos Conone c. 3. C.* 4. *albo*] albo colore. S. *quale Darius habuerat*] Vide III. 3. 19. C. *ne omen quidem veritus*] quod antea in Dario notatum fuerat III, 3. 6. C.

a victoris insignibus in deuicti transfret habitum. & ille se quidem Persarum spolia gestare dicebat: sed cum illis quoque mores induerat, superbamque habitus animi insolentia sequebatur. Litteras quoque, quas in Europam mitteret, veteris annuli gemma obsignabat; iis, quas in Asiam scriberet, Darii annulus imprimebatur, vt appareret, vnum animum duorum non capere fortunam. Amicos vero & equites, cumque his principēs militum, adspernantes quidem, sed recusare non ausos, Persicis ornauerat vestibus. Pellices CCC & LX, totidem quot Darii fuerant, regiam implebant, quas spadonum greges, & ipsi muliebria pati adsueti, sequebantur. Haec luxu & peregrinis infecta moribus veteres Philippi milites, rudis natio ad voluptates, palam auersabantur, totisque castris vnus omnium sensus ac sermo erat, *plus amissum victoria, quam bello quaesitum esse. Tum maxime vinci ipsos, dedique alienis moribus & externis: tantae morae precium, domos quasi in captiuo habitu reuersuros. pudere iam sui, regem victis quam victoribus similiorem, ex Macedoniae imperatore Darii satra-*

6. vnum animum non capere] vnus animum non sufficere vtrique regno Europae & Asiae. C. 8. muliebria pati adsueti] Vide cap. praeced. n. 23. S. 9. rudis ad voluptates natio] Asperis enim locis, Thraciae & Illyrici finibus, plerique exciti erant. C. plus amissum] virtutem, continentiam, abstinentiam, quae maioris sunt, quam omnes opes orientis. C. 10. captiuo habitu] vestitu eorum, qui victi erant. C.

- 11 *pen factum*, Ille non ignarus, & principes amicorum, & exercitum grauitur offendi, gratiam liberalitate donisque recuperare tentabat. sed, opinor, liberis precium seruitutis ingratum est.
 12 Igitur ne in seditionem res verteretur; otium interpellandum erat bello; cuius materia oppor-
 13 tune alebatur. Namque Bessus veste regia sumpta, Artaxerxen adpellari se iusserat; Scythasque & ceteros Tanais accolas contrahebat. Haec Satibarzanes nuntiabat: quem receptum in fidem, regioni, quam antea obtinuerat, prae-
 14 fecit. Et quum graue spoliis adparatuque luxuria agmen vix moueretur; suas primum, deinde totius exercitus sarcinas, exceptis admodum
 15 necessariis, conferri iussit in medium. Planicies spatiosa erat, in quam vehicula onusta perduxerant. Expectantibus cunctis, quid deinde esset imperaturus; iumenta iussit abduci; suisque primum sarcinis face subdita, ceteras incendi
 16 praecepit. Flagrabant exurentibus dominis,

11. *liberis precium seruitutis*] Florus IV. 2. 92. *grauis erat liberis ipsa beneficiorum potentia.* Arminius apud Tacitum Annal. II. 9. 4. aucta stipendia, torquem & alia militaria dona, quibus Romani fratrem ornauerant, irridet tanquam *vilia seruitii precia.* C. 13. *Artaxerxen*] solenne Persarum nouis regibus, priuatum nomen cum auspiciatore commutare. Sic Codomannus Darii, *Iustin.* X. 3. Ochus Artaxerxis, *Diodor.* XV. 40. & maior Ochus itidem Darii, cognomine Nothi, nomen adsumserant. C. *Tanais accolas*] non veri Tanais, Europam & Asiam diuidentis; sed quem falso ita adpellabant Macedones Iaxartis, *Plin.* VI. 16. C.

quae

quae ut intacta ex urbibus hostium raperent, saepe flammam restinxerant; nullo sanguinis precium audente desistere, quum regias opes idem ignis exureret. Breuis deinde oratio mitigauit¹⁷ dolorem; habilesque militiae & ad omnia parati, laetabantur, sarcinarum potius, quam disciplinae fecisse iacturam. Igitur Bactrianam regionem petebant. Sed Nicanor, Parmenionis¹⁸ filius, subita morte correptus, magno desiderio sui adfecerat cunctos. Rex ante omnes moe-¹⁹ stus, cupiebat quidem subsistere funeri adfuturus; sed penuria com meatuum festinare cogebat. Itaque Philotas cum II millibus & DC relictus, ut iusta fratri persolueret: ipse contendit ad Bessum. Iter facienti litterae ei adferuntur a²⁰ finitimis satraparum, e quibus cognoscit, Bessum quidem hostili animo occurrere cum exercitu: ceterum Satibarzanem, quem satrapiae Ariorum ipse praefecisset, defecisse ab eo. Itaque quan-²¹ quam Besso imminebat, tamen ad Satibarzanem opprimendum praeuerti optimum ratus, leuem armaturam & equestres copias educit, totaque nocte strenue facto itinere, improuisus hosti superuenit. Cuius cognito aduentu Satibarza-²² nes cum II millibus equitum (nec enim plures subito contrahi poterant) Bactra per fugit, ceteri

20. *satrapiae Ariorum*] vulgo *satrapen*, quod si retinetur, vel simpliciter *fecisset* postea cum Acidalio, vel *refecisset* scribendum erat cum Freinshemio, id est *denno fecisset*. nam & sub Dario hanc praefecturam administrauerat, *num.* 13. C.

- 23 proximos montes occupauerunt. Praerupta
rupes erat, qua spectat occidentem: eadem qua
vergit ad orientem leniore submissis fastigio,
multis arboribus obsita, perennem habet fon-
24 tem, ex quo largae aquae manant. Circumitus
eius XXX & II stadia comprehendit. in vertice
herbidus campus. In hoc multitudinem imbel-
lem confidere iubent: ipsi, qua rupes erat, arbo-
25 rum truncos & saxa obmoliuntur. XIII millia
armata erant. In horum obsidione Cratero re-
lictō, ipse Satibarzanem sequi festinat. & quia
longius eum abesse cognouerat; ad expugnan-
dos eos, qui edita montium occupauerant, redit.
26 Ac primo repurgari iubet, quidquid ingredi pos-
sent: deinde vt occurrebant inuiae cotes, prae-
ruptaeque rupes; inritus labor videbatur obstan-
27 te natura. Ille, vt erat animi semper obluētantis
difficultatibus; quum & progredi arduum, &
reuertere periculosum esset, versabat se ad omnes
cogitationes, aliud atque aliud, ita vt fieri solet
vbi prima quaeque damnamus, subiiciente ani-
mo. haesitanti, quod ratio non potuit, fortuna
28 consilium subministrat. Vehemens Fauo-
nius erat, & multam materiam ceciderat miles,

24. *qua rupes erat*] circa totam vndique rupem. C.
25. *edita montium*] editos S. altos montes. Vide ad
Iuuenicum notata I, 227. S. 26. *quidquid ingredi
possent*] quousque patebat iter, ante praerupta mon-
tium, sed tum saxi & arborum truncis impeditum. C.
27. *damnamus*] prima consilia, quae nobis incidunt,
spernimus. S. 28. *Fauonius*] ventus occiden-
talis, qui alias *Zephyrus* dicitur, S.

aditum per saxa molitus. haec vapore torrida inaruerat. Ergo adgeri alias arbores iubet, & 29 igni dari alimenta: celeriterque stipitibus, cumulatis fastigium montis aequatum est. tunc 30 vndique ignis iniectus cuncta comprehendit. flammam in ora hostium ventus ferebat; fumus ingens velut quadam nube absconderat caelum. sonabant incendio siluae, atque ea quoque, quae 31 non incenderat miles, concepto igne proxima quaeque adurebant. Barbari suppliciorum vltimum, si qua intermoreretur ignis, effugere tentabant; sed qua flamma dederat locum, hostis obstabat. Varia igitur caede consumpti sunt. 32 alii in medios ignes; alii in petras praecipitauerunt se; quidam manibus hostium se obtulerunt: pauci semiustulati venere in potestatem. Hinc 33 ad Craterum, qui Artacacna obsidebat, redit. Ille, omnibus praeparatis, regis expectabat aduentum, captae vrbs titulo, sicut par erat,

31. *suppliciorum vltimum*] mortem. S. *intermoreretur*] ardere desinere, per metaphoram. S.
 32. *venere in potestatem*] hostium scil. S. 33.
Artacacna] regiam Ariorum; auctore Arriano III. pag. 222 qui *Artacoana* vocat, vti etiam omnes membranae Plinii VI. 23. teste Harduino: Diodorus XVII. 78. corrupte *Chortacana*, *Χορτάκωνα πόλιν ἐπιφανέστατην τῶν ἐν τέτοις τοῖς τόποις, καὶ φυσικῇ διαφέρεταιν ἀχυρότητι, nobilissimam illic terrarum urbem, naturaque insigniter munitam.* C. *captae vrbs titulo cedens*] non volebat nomen habere, quasi ipse urbem cepisset, sed expectabat aduentum Regis. Tale exemplum etiam in sacris occurrit 2. Sam. 11. 27. s. S.

- 34cedens. Igitur Alexander turres admoueri iubet; ipsoque adspectu territi barbari; e muris supinas manus tendentes, orare coeperunt, iram in Satibarzanem defectionis auctorem referuaret; supplicibus semet deditibus parceret. Rex data venia, non obsidionem modo soluit, sed
- 35omnia sua incolis reddidit. Ab hac vrbe digresso, supplementum nouorum militum occurrit. Zoilus D equites ex Graecia adduxerat: III millia ex Illyrico Antipater miserat. Thessali equites C & XXX cum Philippo erant: Ex Lydia II millia, & DC peregrinus miles aduenerant: CCC equites gentis eiusdem sequebantur.
- 36Hac manu adiecta Drangas peruenit. bellicosa natio est. Satrapes erat Burzaentes, sceleris in regem suum particeps Besso. Is suppliciorum, quae meruerat, metu profugit in Indiam.

34. *turres*] quae muris admotae erant, ut inde primum defensores ex muris propellerentur, deinde in muros insilirent obpugnatores. S. 35. *Thessali equites*] non recentes ex Thessalia, sed qui ceteris in Media dimissis, voluntarie remanserant. Arrianus p 221. Θεσσαλῶν τὰς ἐθελοντὰς ὑπομείναντας. Philippus autem, qui ex Media adducebat: eidem est Meneclai filius. C.

CAP. VII.

Coniurationem in Alexandrum Dimnus Nicomacho, hic per Cebalinum fratrem Alexandro detegit. Hinc mors Dimni, qui ipse sibi manus infert.

IAM nonum diem statua erant, quum externa ^x
 vi non interritus modo rex, sed inuictus in-
 testino facinore petebatur. Dimnus modicae ^z
 apud regem auctoritas & gratiae, exoleti, cui
 Nicomacho erat nomen, amore flagrabat; obse-
 quio vni sibi dediti corporis victus. Is, quod ³
 ex vultu quoque perspicui poterat, similis ad-
 nito, remotis arbitris cum iuvene secessit in tem-
 plum, arcana se & silenda adferre praefatus:
 suspensumque expectatione per mutuam carita- ⁴
 tem & pignora vtriusque animi rogat, vt adfir-
 met iureiurando, quae commisisset, silentio esse
 tecturum. & ille ratus, nihil, quod etiam cum ⁵

1. *intestino facinore*] insidiis, coniuratione. C.
 2. *modicae auctoritatis*] at Siculus cap. 79. φιλων
 τις τῷ βασιλέως, ex amicis regis, non autem primae
 cohortis, quod noster *modicae* vocabulo significauit,
 Ceterum verbo moneo, in Curtii libris *Dymnus* per y
 scribi; in Graecis autem Diodori & Plutarchi per
 iota. C. *exoleti*] ita eo tempore, quo Curtius
 noster scripsisse dicitur, vocabantur *scorta mascula*.
 Vide Lampridium in Alexandro Seuero cap. 24. 34.
 39. S. 4. *suspensum*] *dubium*, quidnam ille
 vellet proferre. S. *quae commisisset*] *quae con-*
crediturus esset. Barthio XXVII. 15. suspecta vox est,
 & vel *commiserit*, vel *commissa essent* mauiit. vt
 nobis videtur, sine causa. C.

periuurio detegendum foret, indicaturum, per
 6 praesentes deos iurat. Tum Dimnus aperit, in
 tertium diem insidias regi comparatas, seque
 eius consilii fortibus viris & illustribus esse parti-
 7 cipem. Quibus iuuenis auditis, se vero fidem
 in parricidio dedisse constanter abnuat, nec
 vlla religione, vt scelus tegat, posse constringi.
 8 Dimnus, & amore & metu amens, dextram exo-
 leti complexus, & lacrimans, orare primum,
 9 *Vt particeps consilii operisque fieret. si id sustinere
 non posset; attamen ne proderet se, cuius erga
 ipsum benevolentiae praeter alia hoc quoque habe-
 ret fortissimum pignus, quod caput suum permi-*
 10 *ssisset fidei adhuc inexpertae.* Ad vltimum auer-
 sari scelus perseverantem metu mortis terret: ab
 illo capite coniuratos pulcherrimum facinus in-
 11 choaturos. Alias deinde effeminatum & muli-

9. *per praesentes deos*] Vt sanctior religio iuris-
 iurandi esset, in templis veteres & praesentibus diis
 suis iurabant. Iustinus XXIV. 2. *In hoc mitteret ar-*
bitrum iurandi; quo praesente apud deos pa-
 trios, quibus vellet obsecrationibus, se obligaret
 & mox: sumtis in manus altaribus, contingens ipsa
 simulacra & pulvinaria deorum, inauditis vlti-
 misque execrationibus adiurat. Ouidius Trist. II.
 v. 54. --- iuro,

Per te praesentem conspicuumque deum. C.

6. *consilii viris participem*] id est cum viris.
 Quintil. Declam. III. p. 32. *in ruris operibus marito
 particeps. C.* 7. *fidem in parricidio*] silentium
 promississe in causa parricidiali, siue coniuratione. C.
 8. *dextram exoleti*] Nicomachi impudici. C. 10.
in illo capite] Nicomacho exoleto. C.

ebriter

ebriter timidum, alias proditorem amatoris adpellans, nunc ingentia promittens, interdumque regnum quoque, versabat animum tanto facinore procul abhorrentem. Strictum deinde gladium ¹² modo illius, modo suo admouens iugulo; supplex idem & infestus expressit tandem, ut non solum silentium, sed etiam operam polliceretur. namque abunde constantis animi, & dignus, qui ¹³ pudicus esset, nihil ex pristina voluntate mutaerat. sed, se captum Dimni amore, simulabat nihil recusare. Sciscitari inde pergit, *cum quibus tantae rei societatem inisset. plurimum referre, quales viri tam memorabili operi admoturi manus essent.* Ille, & amore & scelere male ¹⁵ fanus, simul gratulatur, quod fortissimus iuuenum non dubitasset se iungere, Demetrio corporis custodi, Peucolao, Nicanori. adiicit his ¹⁶ Aphoberum, Loceum, Dioxenum, Archepolim, & Amyntam. Ab hoc sermone dimissus Nicomachus ad fratrem, Cebalino erat nomen, quae acceperat, desert. Placet ipsum subsistere in tabernaculo; ne si regiam intrasset, non adfuetus adire regem, coniurati proditos se esse resciscerent. Ipse Cebalinus ante vestibulum ¹⁷ regiae, neque enim propius aditus ei patebat, confisit, operiens aliquem ex prima cohorte

^{13.} namque abunde constantis] Barthio Adv. XXVII. ^{15.} videntur quaedam ante namque excidisse, quia sensus alias tamen vel at requirat. C. ^{17.} ex prima cohorte amicorum] Plures amicorum cohortes erant, & alii aliis faciliorem habebant ad regem vel

- 18 amicorum, quo introduceretur ad regem. Forte ceteris dimissis, vnus Philotas Parmenionis filius, incertum quam ob causam, substiterat in regia. huic Cebalinus, ore confuso magnae perturbationis notas prae se ferens, aperit, quae ex fratre compererat; & sine cunctatione nun-
- 19 ciari regi iubet. Philotas laudato eo, protinus intrat ad Alexandrum; multoque inuicem de aliis rebus consumpto sermone, nihil eorum,
- 20 quae ex Cebalino cognouerat, nunciat. Sub vesperam eum prodeuntem in vestibulo regiae excipit iuuenis; an mandatum exsequutus foret requirens. Ille, non vacasse sermoni suo regem,
- 21 causatus, discessit. Postero die Cebalinus venienti in regiam praesto est: intrantemque admonet pridie communicatae cum ipso rei. Ille curae sibi esse respondit: ac ne tum quidem regi, quae audierat, aperit. Coeperat Cebalino esse
- 22 suspectus. Itaque non vltra interpellandum ratus, nobili iuueni, Metrōn erat ei nomen, super armamentarium posito, quod scelus pararetur, indicat. Ille, Cebalino in armamentario abscondito, protinus regi, corpus forte curanti,

principem, aditum. Lampridius in Alexandro c. 20. Moderationis tantae fuit, vt amico, non solum primi ac secundi loci, sed etiam inferiores aegrotantes videret. Lipsius ad Tacit. VI. 9. C. 18. perturbationis notas] In ore indicia adfectuum adparent, Pacatus Panegy. Theodos. cap. 37. ita intimos mentis adfectus proditor vultus enunciat, vt in speculo frontium imago exstet animorum. C. 21. praesto est] adest, S. 22. super armamentarium] praest-

quid

quid ei index detulisset, ostendit. Rex, ad²⁴
 comprehendendum Dimnum missis satellitibus,
 armamentarium intrat. ibi Cebalinus gaudio
 elatus, *habeo te*, inquit, *incolumem ex impiorum*
manibus ereptum. Percontatus deinde Alexan-²⁵
 der quae noscenda erant, ordine cuncta cognos-
 cit. Rursusque institit quaerere, quotus dies
 esset, ex quo Nicomachus ad eum detulisset
 indicium? Atque illo fatente, iam tertium²⁶
 esse; existimans, haud incorrupta fide tanto post
 deferre quae audierat, vinciri eum iussit. Ille²⁷
 clamitare coepit, *eodem temporis momento quo*
audisset, ad Philotam decurrisse: ab eo perconta-
retur. Rex item quaerens, *an Philotam adisset?*²⁸
an institisset ei, ut perueniret ad se? perseverante
 eo adfirmare quae dixerat; manus ad coelum
 tendens, manantibus lacrimis, hanc sibi a caris-
 simo quondam amicorum relatam gratiam que-
 rebatur. Inter haec Dimnus, haud ignarus²⁹
 quam ob causam accerferetur a rege; gladio,
 quo forte erat cinctus, graviter se vulnerat,
 occursumque satellitum inhibitus, perfertur in
 regiam. Quem intuens rex, *quod*, inquit, *in*³⁰
te Dimne tantum cogitavi nefas, ut tibi Mace-
donum regno dignior Philotas me quoque ipso vide-
retur? Illum iam defecerat vox. itaque edito
 gemitu, vultuque a conspectu regis averso, sub-
 inde collapsus exstinguitur. Rex Philota ve-³¹

fecto armamentarii. Armamentarium autem locus
 est, in quo arma reconduntur. Diodoro cap. 79, *δπλο-*
δῆμα. C,

nire in regiam iusso, *Cebalinus*, inquit; *Ultimum supplicium meritus, si in caput meum praeparatas insidias biduo textit. huius criminis reum Philotam substituit: ad quem protinus indicium*
 32 *detulisse se adfirmat. quo propiore gradu amicitiae me contingis; hoc maius est dissimulationis tuae facinus; & ego Cebalino magis, quam Philotae id conuenire fateor. Fauentem habes iudicem, si quod admitti non oportuit, saltem negari*
 33 *potest. Ad hoc Philotas haud sane trepidus, si animus vultu aestimaretur, Cebalinum quidem scortii sermonem ad se detulisse; sed ipsum tam leui auctori nihil credidisse respondit; veritum ne iurgium inter amatorem & exoletum, non sine*
 34 *risu aliorum, detulisset. Quum Dimnus interemerit se ipsum, qualiacumque erant, non fuisse reticenda. complexusque regem, orare coepit, vt praeteritam vitam potius quam culpam, silentiū*
 35 *tamen; non facti vllius, intueretur. Haud facile dixerim, credideritne ei rex, an alius iram suppresserit; dextram reconciliatae gratiae pignus obtulit; & contemptum magis, quam celatum indicium esse videri sibi dixit.*

34. *Quum Dimnus interemerit &c.]* Incertum, cuius haec verba sint, *Alexandri* an *historici*. *Mucila* enim esse, etiam *Freinshemius* agnouit, & post illum alii editores: nemo vero ausus fuit supplere. C. *complexusque regem]* Non cohaeret cum prioribus, *Videtur ergo tum ante Quum Dimnus interemerit, tum ante complexusque aliquid deesse.* *Consule Freinshemium, C.*

CAP. VIII.

Amicorum regionum consilio Philotas, Parmenionis filius, coniurationis auctor & particeps creditus, capitur, ac velato capite in regiam abducitur.

ADVOCATO tamen consilio amicorum, 1
 cui tum Philotas adhibitus non est, Nico-
 machum introduci iubet. Is eadem, quae de- 2
 tulerat ad regem, ordine exposuit. Erat Cra-
 terus regi carus in paucis, & eo Philotae ob aemu-
 lationem dignitatis aduersus. neque ignorabat, 3
 saepe Alexandri auribus nimia iactatione virtu-
 tis atque operae grauem fuisse: & ob ea non
 quidem sceleris, sed contumaciae tamen suspe-
 ctum. Non aliam premendi inimici occasio- 4
 nem aptiorem futuram ratus, odio suo pietatis
 praeferebat speciem; *Vtinam, inquit, in principio*
quoque huius rei nobiscum deliberasses. Suasis- 5
semus, si Philotae velles ignoscere, patereris potius
ignorare eum, quantum deberet tibi; quam usque
ad mortis metum adductum, cogeres potius de
periculo suo, quam de tuo cogitare beneficio. Ille 6
enim semper insidiari tibi poterit; tu non semper
Philotae poteris ignoscere. Nec est quod existimes,
eum, qui tantum facinus ausus est, venia posse
mutari. scit eos, qui misericordiam consumpse-

1. *advocato consilio*] Vide supra IV. II. I. C.

2. *in paucis*] *inter paucos. S. eo*] *ob eam rem,*
vel causam. S. 6. qui misericordiam consumpse-
runt] *qui gravitate criminis omnem clementiam exhau-*
serunt. Tellier. C.

7 runt, amplius sperare non posse. At ego, etiam
 si ipse vel poenitentia: vel beneficio tuo victus
 quiescere volet; patrem eius Parmenionem, tanti
 ducem exercitus, & inueterata apud milites tuos
 auctoritate, haud multum infra magnitudinis
 tuae fastigium positum, scio non aequo animo salu-
 8 tem filii sui debiturum tibi. **QVAEDAM**
 beneficia odimus, meruisse mortem confiteri pu-
 det. Superest, ut malum videri iniuriam accepisse,
 quam vitam. proinde scito, tibi cum illis de sa-
 9 lute esse pugnandum. Satis hostium superest, ad
 quos persequendos ituri sumus: latus a domesticis
 hostibus muni. hos si submoues, nihil meae ab
 10 externo. Haec Craterus. Nec ceteri dubita-
 bant, quin coniurationis indicium suppressurus
 non fuisset, nisi auctor aut particeps. Quem
 enim pius & bonae mentis, non amicum modo,
 sed ex vltima plebe; auditis quae ad eum delata
 erant, non protinus ad regem fuisse cursurum? Na
 11 cebalini quidem exemplo, qui ex fratre comper-
 ta ipsi nunciasset, Parmenionis filium, praefectum
 equitatus, omnium arcanorum regis arbitrum?
 simulasse etiam non vacasse sermoni suo regem, ne

8. *Quaedam beneficia*] quibus probrosum & infame est indignisse. Simili modo Tacitus Annal. IV. 18. 3. Beneficia eo usque laeta sunt, dum videntur exsolui posse: ubi multum anteuenere, pro gratia odium redditur. C. 9. a domesticis hostibus] vox hostibus, ut futilis glossa, suspecta est Barthio Adv. XXVII. 15. Subaudiri enim facile ex superioribus potest. C.

index alium internuncium quaereret. Nico-12
 machum, religione quoque deum adstrictum, con-
 scientiam suam exonerare properasse: Philotam,
 consumpto per ludum iocumque paene toto die,
 grauatum esse pauca verba ad caput regis pertinen-
 tia, tam longo & forsitan superuacuo inserere ser-
 moni. At enim non credidisse talia referentibus 13
 pueris! cur igitur extraxisset biduum, tanquam
 indicio haberet fidem. dimittendum fuisse Ceba-
 linum, si delationem eius damnabat. IN SVO 14
 quemque periculo magnum animum habere; quum
 de salute regis timeretur, credulos esse debere;
 vana quoque deferentes admittere. Omnes igitur 15
 quaestionem de eo, vt participes sceleris indi-
 care cogeretur, habendam esse decernunt. Rex,
 admonitos, vt consilium silentio premerent,
 dimittit. Pronunciari deinde iter in posterum
 diem iubet, ne qua noui initi consilii daretur
 nota. Inuitatus est etiam Philotas ad vltimas 16
 ipsi epulas, & non coenare modo, sed etiam
 familiariter conloqui cum eo, quem damnauerat,
 sustinuit. Secunda deinde vigilia, luminibus 17
 extinctis, cum paucis in regiam coeunt Hephae-
 stion, & Craterus, & Coenus, & Erigyus: hi

12. conscientiam suam exonerare] quae taceri
 nefas est, indicare. Repetitur huiusdem libri cap. IX.
 num. 9. eodem sensu verbum exonerare. C. gra-
 uatum esse] es ist ihm zu beschwerlich gewesen. S.
 17. luminibus extinctis] Non tempus significatur,
 sed occultatio intrantium, hoc est, sine consuetis lumi-
 nibus, quae noctu praeferrī solebant, coiuere, ne obser-
 uarentur, C.

ex amicis; ex armigeris autem Perdiccas &
 18 Leonnatus. Per hos imperatum, vt qui ad prae-
 torium excubabant, armati vigilarent. Iam
 ad omnes aditus dispositi milites, equites quoque
 itinera obsidere iussi; ne quis ad Parmenionem,
 qui tum Mediae magnisque copiis praeerat, oc-
 19 cultus euaderet. Attarras autem cum trecentis
 armatis intrauerat regiam: huic decem satellites
 traduntur, quorum singulos deni armigeri seque-
 20 bantur. Ii ad alios coniuratos comprehen-
 dendos distriburi sunt: Attarras, cum trecentis
 ad Philotam missus, clausum aditum domus
 moliebatur, quinquaginta iuuenum promptis-
 simis stipatus. nam ceteros cingere vndique
 domum iusserat, ne occulto aditu Philotas possset
 21 elabi. Illum, siue securitate animi, siue fatiga-
 tione resolutum, somnus opprefferat; quem
 22 Attarras torpentem adhuc occupat. Tandem
 ei sopore discusso quum iniicerentur catenae;
Vicit, inquit, bonitatem tuam, rex, inimicorum
acerbitas. nec plura loquutum capite velato
 23 in regiam adducunt. Postero die rex edixit,
omnes armati coirent. Sex millia fere militum
 24 venerant: praeterea turba lixarum calonumque

20. *aditum moliebatur*] magno conatu mouebat,
 vi aperiebat. C. 21. *resoluere*] *quies, somnus.*
Et defatigatio membra nostra *soluere* dicuntur h. e.
 ad labores plures sustinendos *inutiles reddere.* S.
 22. *capite velato*] mos enim olim erat, reis & ad sup-
 plicium ducendis caput velari. Vid. Esther 7. 8. Liui-
 us 1. 26. S.

imple-

impleuerant regiam. Philotam armigeri agmine suo tegebant, ne ante conspici posset a vulgo, quam rex adloquutus milites esset. De capita-² 5 libus rebus verusto Macedonum modo inquirebat exercitus: in pace erat vulgi. nihil potestas regum valebat; nisi prius valuisset auctoritas. Igitur primum Dimni cadauer infertur, pleris-² 6 que, quid patraisset, quoue casu extinctus esset, ignaris.

25. *in pace erat vulgi*] id, siue ea res, videlicet iudicare in causa capitali, pacis temporibus erat penes populum. C. *nihil potestas regum valebat*] Macedonum reges non habebant potestatem damnandi aut absoluedi capitali crimine, nisi auctoritas & approbatio populi vel militum accessisset. C.

CAP. IX.

De coniuratione aduersus Philotam, ex postulatoria Alexandri ad milites oratio. coram quibus Philotas adductus, defensionem parat.

Rex deinde in concionem procedit vultu ¹ praeferens dolorem animi. Amicorum quoque moestitia expectationem haud paruum rei fecerat. Diu rex dimisso in terram vultu attonito stupentique similis stetit. tandem recepto animo; *Paene, inquit, milites, paucorum hominum scelere vobis ereptus sum. Deum prouidentia & misericordia viuo. Conspectusque* ²

2. *conspectus vestri*] eleganter pro vulgato *conspectus vester*, idque cum Bongarsio, Barthio etiam

vestri

- Vestri venerabilis cogit, & vehementius parricidis irascerer; quoniam spiritus, immo vnus vitae meae fructus est, tot fortissimis viris, & de me
- 3 optime meritis, referre adhuc gratiam posse. Interrupit orationem militum gemitus, obortaeque sunt omnibus lacrimae. Tum rex; quanto, inquit, maiorem in animis vestris motum excitabo, quum tanti sceleris auctores ostendero: quorum mentionem adhuc reformido; & tanquam
- 4 salui esse possint, nominibus abstineo. Sed vincenda est memoria pristinae caritatis, & coniuratio impiorum ciuium detegenda. Quomodo autem tantum nefas sileam; Parmenio, illa aetate, tot meis, tot parentis mei meritis deuinctus, omnium nobis amicorum vetustissimus, ducem tanto sceleri
- 5 se praebuit. Minister eius Philotas, Peucolaum & Demetrium, & hunc Dimnum, cuius corpus adspicitis, ceterosque eius amentiae in caput meum
- 6 subornauit. Fremitus vndique indignantium querentiumque tota concione obstrepebat: qualis solet esse multitudinis, & maxime militaris;
- 7 vbi aut studio agitur, aut ira. Nicomachus deinde, & Metron, & Cebalinus producti, quae quisque detulerat, exponunt. Nullius eorum

Freinshemius recepit. Adi Gellium XX. 6. C. quoniam spiritus] suspecta vox spiritus. Barthius Adv. XXVIII. legi vult speratus: Rubenius, quem Tellieus sequutus est, supremus. Freinshemius in Rubenii magis quam Barthii sententiam inclinat. C. 4. illa aetate] quippe qui iam ad senectutem peruenerat. S. 6. studio] beneuolentia vel gratia in aliquem. S.

indicio

indicio Philotas particeps sceleris destinabatur. itaque indignatione pressa vox indicum silentio excepta est. Tum rex, *qualis, inquit, ergo animi vobis videtur, qui huius rei delatum indicium ad ipsum suppressit? Quod non fuisse vanum, Dimmi exitus declarat. Incertam rem deferens, tormenta non timuit Cebalinus: Metron ne momentum quidem temporis dislulit exonerare se, et eo, ubi lauabar, intrumperet. Philotas solus nihil timuit nihil credidit. o magni animi virum! Iste si regis periculo commoueretur, vultum non mutaret, indicem tantae rei sollicitus non audiret? Subest nimirum silentio facinus, et auida spes regni praecipitem animum ad vltimum nefas impulit. Pater Mediae praeest. ipse apud multos copiarum duces meis praepotens viribus, maiora, quam capit, spirat. Orbitas quoque mea, quod sine liberis, spernitur. Sed errat errat Philotas in vobis liberos, parentes, consanguineos habeo: vobis saluis, orbis esse non possum.* Epistolam deinde

7. *destinabatur*] designabatur vt socius sceleris. Vide supra IV. 8. 6. C. 9. *exonerare*] vide paullo supra c. 8. n. 12. S. 10. *vultum non mutaret*] non terreretur. Signum pro re signata. Nam terroris signum est *mutatio vultus* ex rubicundo in pallidum. S. 11. *spirat*] vulgo sperat. Freins-hemio debemus calidiorem vocem *spirat* prae lentiore vulgata. C. 12. *vobis saluis orbis esse non possum*] Similiter Cicero ad Q. fratrem l. 3. extr. *Filiam meam, et tuam Ciceronemque nostrum quid ego, mi frater, tibi commendem: quin illud moereo, quod tibi minorem dolorem illorum orbitas adfert quam mihi.*

Parme-

Parmenionis interceptam, quam ad filios Nicanorem & Philotam scripserat, recitat, haud sane
 14 indicium grauioris consilii praeferentem. Namque summa eius haec erat: *primum vestri curam agite: deinde vestrorum: sic enim quae destinauimus, efficiemus.* Adiecitque rex, *sic esse scriptam, et, siue ad filios peruenisset, a consciis posset intelligi: siue intercepta esset; falleret ignaros.* At enim Dimnus, quum ceteros participes sceleris indicaret, Philotam non nominauit! hoc quidem illius non innocentiae, sed potentiae indicium est, quod sic ab iis timetur etiam, a quibus prodi potest, et quum de se fateantur, illum tamen celent. Ceterum Philotam ipsius indicat
 17 vita. Hic Amyntae, qui mihi consobrinus fuit, et in Macedonia capiti meo impias comparauit

Sed, te incolumi, orbi non erunt. Ceterum orbus haec singulariter sonat, non qui liberos amisit, sed qui nullos genuit. C. 13. *grauioris consilii*] quo in Regem grauius quidquam h. e. mortem, consuluerant. S. 17. *Amyntae, qui mihi consobrinus*] patruelis, non consobrinus. Erat enim Perdicca fratre & antecessore Philippi genitus, Curt. VI. 10. 24. Justin. VII. 6. oppressus ab Alexandro, quum insidias ipsi post Philippi necem struxisset. Nec tamen insolens bonis auctoribus, *consobrinum* dicere, qui patruelis est. Paulus Lege X. de Gradibus n. 15. postquam de diuersis generibus cognationis, atque de ipsis etiam patruelibus egisset, subdit: *plerique hos omnes consobrinos vocant, sicut Trebatius.* Eutropius etiam VI. 6. Marcum Lucillum Lucii consobrinum vocat, qui patruelis erat. C.

insidias,

insidias, socium se & conscium adiunxit. Hic Attalo, quo grauiorem inimicum non habui, sororem suam in matrimonium dedit. Hic, quum scripsissem ei, pro iure tam familiaris usus atque amicitiae, qualis fors edita esset Iouis Hammonis oraculo, sustinuit rescribere mihi: se quidem gratulari, quod in numerum deorum receptus essem: ceterum misereri eorum, quibus viuendum esset sub eo, qui modum hominis excederet. Haec sunt etiam animi pridem alienati a me & inuidentis gloriae meae indicia, quae quidem, milites, quamdiu licuit, in animo meo pressi. Videbar enim mihi partem viscerum meorum abrumpere, si, in quos tam magna contuleram, viliores mihi facerem. Sed iam non verba puni- enda sunt; linguae temeritas peruenit ad gladios. Hos, si mihi creditis, Philotas in me acuit. Id si ipse admisit, quo me conferam milites? cui caput meum credam? equitatus, optimae exer-

Hic Attalo] Attalus ille est, cuius sororem vel sororis filiam Cleopatram rex Philippus Olympiadi, Alexandri matri, superinduxerat, & qui Alexandrum grauisime offendit, quum ex illa successorem Philippo precaretur. Post Philippi necem in Asia per Parmenionem sublatus est. Vide Supplementa lib. I, num. 7. & 10. C. 18. vsus] notat familiaritatem & amicitiam. Nota est phrasid: vti aliquo familiariter i. e. habere aliquem amicum, familiarem. S. qui modum hominis excederet] qui diuinitatem adfectaret, humanam sortem adspernatus. C. 20. viliores mihi facerem] aspernarer, contemnerem. Ouid. Heroid. III. v. 41.

Qua merui culpa, fieri tibi vilis, Achille? C.

ditus

- citus partii principibus nobilissimae iuuentutis
 unum praefeci: salutem, spem, victoriam meam
 22 fidei eius tutelaeque commisi. Patrem in idem
 fastigium, in quo me ipsi posuistis, admouit: Me-
 diam, qua nulla opulentior regio est; tot civium
 sociorumque millia imperio eius ditionique subieci.
 Vnde praesidium petieram, periculum exstitit.
 23 Quam feliciter in acie occidissim, potius hostis
 praeda, quam civis victima? nunc servatus ex
 periculis, quae sola timui; in haec incidi, quae
 24 timere non debui. Soletis idemtidem a me mili-
 tes petere, ut saluti meae parcam. Ipsi mihi
 praestare potestis, quod suadetis faciam. ad
 vestras manus, ad vestra arma confugio: inuitis
 vobis saluus esse nolo; volentibus, non possum,
 25 nisi vindicor. Tum Philotam, religatis post ter-
 gum manibus, obsoleto amiculo velatum, iussit
 induci. facile adparebat, motos esse tam mise-
 rabili habitu, non sine invidia paullo ante con-
 26 specti. Ducem equitatus pridie viderant; scie-
 bant, regis interfuisse conuiuio. repente non
 reum modo, sed etiam damnatum, immo vin-
 27 ctum, intuebantur. Subibat animos Parmeni-
 onis quoque, tanti ducis, tam clari civis, for-

21. nobilissimae iuuentuti] nobilissimis iuuenibus,
 ex quibus ille equitatus constabat. S. 22. idem
 fastigium] regium scil. dum ipsi Mediam subieci. S.
 25. conspecti] habitu eius, qui non sine invidia (eius-
 modi habitu induti, qui facile ipsi apud alios inferi-
 ores invidiam conciliare poterat) paullo ante conspi-
 cebatur. S.

tuna:

tuna : qui modo duobus filiis , Hectore & Nicanore , orbatus ; cum eo , quem reliquum calamitas fecerat , absens diceret causam . Itaque 28 Amyntas , regis praetor , inclinatam ad misericordiam concionem rursus aspera in Philotam oratione commouit . *Proditos eos esse barbaris : neminem ad coniugem suam , neminem in patriam , & ad parentes fuisse rediturum . Velut truncum corpus dempto capite , sine spiritu , sine nomine , aliena terra ludibrium hostis futuros .* Haudquaquam pro spe ipsius , Amyntae oratio 29 grata regi fuit : quod coniugum , quod patriae admonitos , pigriores ad cetera munia exsequenda fecisset . Tunc Coenus , quamquam Philotae 30 sororem matrimonio secum coniunxerat ; tamen acrius quam quisquam in Philotam inuectus est , parricidam esse regis , patriae , exercitus clamitans : saxumque , quod forte ante pedes iacebat , 31 eripit , emissurus in eum ; vt plerique credidere , tormentis subtrahere cupiens . sed rex manum

27. *Hectore & Nicanore*] Hector Nilo merfus interierat , IV. 8 7. Nicanor morbo decesserat , VI. 6. 18. C. *absens diceret causam*] *Causam dicere* notat se coram iudicio excusare & defendere . Per metonymiam vero , qua consequens pro antecedente ponitur , idem est , quod *adversatum esse* . *Absentes autem causam dicunt* , quia metu suppliciorum fugere coacti sunt . C. 28. *Itaque Amyntas*] alius a Perdiccae filio , quem dudum regi insidiarum esse nouimus : alius etiam ab illo , qui mox causam parricidii dicturus est , VII. 1. C. *concionem*] milites in concionem conuocatos , S.

eius inhibuit; *dicendi prius causam debere fieri potestatem reo, nec aliter iudicari passurum se*
 32 *adfirmans.* Tum dicere iussus Philotas, *sive*
conscientia sceleris, sive periculi magnitudine
 33 *amens & adtonitus; non ad tollere oculos, non*
hiscere audebat. Lacrimis deinde manantibus;
linquente animo in eum, a quo tenebatur, in-
cubuit: absterfisque amiculo eius oculis, paulla-
 34 *batur. Iamque rex, intuens eum, Macedones,*
inquit, de te iudicaturi sunt: quaero, an patrio
 35 *sermone sis apud eos usus.* Tum Philotas,
praeter Macedonas, inquit, plerique adsunt,
quos facilius, quae dicam, percepturos arbitror,
si eadem lingua fuero usus, qua tu egisti. non
 36 *ob aliud credo, quam ut oratio tua intelligi posset*
pluribus. Tum rex, *ecquid videtis, odio etiam*
sermonis patrii Philotam teneri? solus quippe
fastidit eo dicere. Sed dicat sane utcumque cordi
est; dum memineritis, aequè illum a nostro more
atque sermone abhorrere. Atque ita concione
excessit.

31. *dicendi causam] se excusandi.* Vide quae modo n. 27. dicta sunt. S. 34. *patrio sermone] Macedonica dialecto, quae non parum abhorrebat a sermone Attico aliorumque Graecorum lingua, ut fit etiam in dialectis linguae Teutonicae. C. 35. eadem lingua] Videtur Graeca communis intelligi, quae a plurimis militum intelligeretur. C. 36. fastidit eo dicere] Ita Acidalius, quem Tellierus sequitur. Vulgo eum pro eo. Freinshemius censet, legi etiam posse fastidit eum, expuncto verbo dicere. C.*

CAP.

CAP. X.

Apologetica Philotae oratio, qua coniurationis accusationem refellit.

TVM Philotas, *VERBA*, inquit, inno- 1
centi reperire facile est; modum verborum
misero tenere difficile. Itaque inter optimam 2
conscientiam, & iniquissimam fortunam destitutus,
ignoro, quomodo & animo meo, & tem-
pori paream. Abest quidem optimus causae meae 3
iudex: qui cur me ipse audire noluerit, non me
hercule excogito; quum illi utrimque cognita
caussa tam damnare me liceat quam absolueri:
non cognita vero liberari ab absente non possum,
qui a praesente damnatus sum. Sed quamquam 4
VINCTI hominis non superuacua solum, sed
etiam inuisa defensio est, quae iudicem non do-
cere videtur, sed arguere; tamen utcumque licet
dicere, memet ipse non deseram, nec commit-
tam, ut damnatus etiam mea sententia videar.
Equidem cuius criminis reus sum, non video. in- 5

I. *modum verborum misero tenere*] Tacitus annual.
IV. 69. *moesta, ubi semel prorupere, difficilius
reticentur.* Appianus de B. Punic. in orat. Hanno-
nis. pag. 79. *αὶ συμφορὰν ποιεῖσι μακρολόγῳσι, miseriae
loquaces faciunt.* Plura in hanc rem Freinsheimius. C.
2. *animo meo*] ut libere eloquar, quae in eo con-
cepi. S. *tempori*] mihi admodum aduerso, quo
non licet loqui, quae volo; nec, si liceret, fides mihi
haberetur. S. 3. *optimus iudex*] Alexander, qui
paullo ante e concione excesserat, S. 4. *arguere*]
inrepare. S.

ter coniuratos nemo me nominat : de me Nicomachus nihil dixit : Cebalinus plus quam audierat, scire non potuit. Atqui coniurationis caput me fuisse credit rex ! potuit ergo Dimnus eum praeterire, quem sequebatur ? praesertim quum quaerenti socios, vel falso fuerim nominandus, quo facilius, qui verebatur, posset impelli. Non enim detecto facinore, nomen meum praeteriit, ut posset videri socio pepercisse ; sed Nicomacho, quem taciturnum arcana de semetipso credebat, confessus, aliis nominatis, me unum subtrahebat.

8 Quaesio commilitones, si Cebalinus me non adisset, nihil me de coniuratis scire voluisset ; num hodie dicerem causam nullo me nominante ?

9 Dimnus sane et vivat adhuc, et velit mihi parcere. quid ceteri ? qui de se constentur, me vident licet subtrahent ! **MALIGNA** est calamitas ; et fere noxius quum suo supplicio crucietur, ad quietem alieno. Tot conscii, ne in equuleum quidem impositi verum fatebuntur ? Atqui nemo parcat morituro ; nec cuiquam moriturus, ut opinor. Ad verum crimen et ad unum revertendum mihi est. Cur rem delatam ad te tacuisti ? cur

6. quem sequebatur] qui dux et auctor erat coniurationis. Nam Duces praecedunt, milites sequuntur. S. 9. adquiet alieno] alterius supplicio subleatur. C. 10. in equuleum impositi] in machinam tortoris impositi, siue tormentis examinati. C. nec cuiquam moriturus] Refutat Alexandri dictum, potentiam argui Philotae, non innocentiam, si a ceteris non indicetur. C.

tam securus audisti? hoc qualecumque est, confesso mihi, ubicumque es Alexander, remisisti: dextram tuam amplexus reconciliati pignus animi, conuiuio queque interfui. Si credidisti mihi; ¹² absolutus sum: si pepercisti; dimissus. Vel iudicium tuum serua. Quid hac proxima nocte, qua digressus sum a mensa tua, feci? quod nouum facinus delatum ad te, mutauit animum tuum? graui sopore adquiescebam, quum me malis in- ¹³ dormientem meis inimici vinciendo excitarunt. Vnde & parricidae & proditori tam alii quies somni? **SCELERATI** conscientia obstrepen- ¹⁴ te, quum dormire non possint; agitant eos furiae non consummato modo, sed & cogitato parricidio.

ii, confesso mihi] mihi, qui hoc iam confessus sum. S. ¹³ & proditori] Acidalius & proditor, quia & parricida & proditor, quam diu se proditum non sentiat, securius possit dormire. Tellerus sequitur Acidalius: Freinshemius & prodita re putat legi posse. Nihil muto. non enim ex proditione sceleris & manifestatione impedimentum somni probat. sed ex sola scelerati conscientia. C. ¹⁴ alii quies somni] vide IV. 13. 17. C. ¹⁴ scelerati conscientia] Haec sola non finit quietem capere. Vnde T. Cloelii Tarracinenensis, in cubiculo interfecti. duo filii adulescentes hoc nomine absoluti sunt suspitione parricidii: quod aperto ostio dormientes reperti fuerant. Cicer. pro Rosc. Am. c. 23. Somnus enim, ut ait Val. Maximus VIII. 1. 12. certissimus index est innoxiae securitatis. C. Ordo: quum scelerati dormire non possint, conscientia obstrepente. S. agitant eos furiae] Lege Ciceronem c. 1. cap. 24. Orestis idem exemplo comprobantem. C. non consummato modo] quidam libri inuertunt, non cogitato modo, sed

At mihi securitatem primum innocentia mea ;
 deinde dextra tua obtulerant : non timui, ne plus
 alienae crudelitati apud te liceret, quam clemen-
 15 stiae tuae. Sed ne te mihi credidisse poeniteat,
 res ad me deferebatur a puero, qui non testem, non
 pignus indicii exhibere poterat, impleturus omnes
 16 metu, si coepisset audiri. Amatoris & scori
 iurgio interponi aures meas credidi infelix ; &
 fidem eius suspectam habui, quod non ipse deser-
 17 ret, sed fratrem potius subornaret. timui, ne
 negaret mandasse se Cebalino ; & ego viderer mul-
 18 tis amicorum regis fuisse periculi causa. Sic
 quoque quum laeserim neminem, inueni, qui
 mallet perire me, quam incolumem esse. quid
 inimicitarum creditis excepturum fuisse, si in-
 fontes laceffissem ? At enim Dimnus se occidit ?
 num igitur facturum eum diuinare potui ? mini-
 19 me. Ita quod solum indicio fidem fecit, id me,
 quum a Cebalino interpellatus sum, mouere non
 20 poterat. At hercule, si conscius Dimno tanti
 sceleris fuisset, biduo illo proditos esse nos, dissem-
 ulare non debui ; Cebalinus ipse tolli de medio

& consummato ; verum aliud postulat epanorthosis,
 quum de furiis consummatum parricidium vlciscentibus
 non dubitetur. C. dextra tua] adloquitur hic
 Alexandrum quamuis absentem. S. 18. Sic quo-
 que] subaudi ego inueni. S. excepturum fuisse]
 me scil. S. 19. quod solum] mors nempe Dimni
 voluntaria. C. indicio fidem fecit] fecit, vt alii
 fidem adhiberent iis, quae de me sunt indicata. S.
 mouere non poterat] quia incerta adhuc nec opinata
 mors Dimni. C.

nullo

nullo negotio potuit. Deinde post delatum indi-²¹
cium, quo periturus eram; tubiculum regis solus
intraui, ferro quidem cinctus. cur distuli faci-
nus? an sine Dimno non sum ausus? ille igitur²²
princeps coniurationis fuit. sub illius umbra
Philotas latebam, qui regnum Macedonum ad-
fecto. Et quis e vobis corruptus est donis? quem
ducem, quem praefectum impensius colui? mihi²³
quidem obiicitur, quod societatem patrii sermo-
nis adsperner, quod Macedonum mores fastidiam.
sic ergo imperio, quod dedignor, immineo. Iam
pridem natiuus ille sermo commercio aliarum gen-
tium exoleuit; tam victoribus, quam victis pere-
grina lingua discenda est. Non me hercule ista²⁴
me magis laedunt, quam quod Amyntas, Per-
diccae filius, insidiatus est regi; cum quo quod
amicitia fuerit mihi, non recusato defendere, si
fratrem regis non oportuit diligi a nobis. sin²⁵
autem in illo fortunae gradu positum etiam vene-
rari necesse erat; utrum, quaeso, quod non diui-

22. Philotas] ego Philotas, qui Macedonum re-
gnum adfectare putor, sub tam humilis hominis ductu,
coniurationis socius esse credor. Cogitate quam ab-
surde. S. corruptus est donis] a me scilicet ut vos
mihi conciliarem, quando Regnum adgrederer. S.
23. patrii sermonis] dialecti Macedoniae. Vide
cap. praecedent. n. 34. S. 24. Amyntas] supra
cap. 9 num. 17. C. defendere, si] Barthius
XXVIII. 6. defendere: sed Tellierus dependere (id
est poenas subire) si fratrem &c. C. fratrem
regis] patrualem fratrem ut diximus ibidem. C.
25. quod non diuinavi] Amyntam regi insidiaturum
esse. C.

nauis, reus sum? an impiorum amicis insontibus
 quoque moriendum est? Quod si aequum est, cur
 tamdiu vivo? si iniustum, cur nunc demum
 26 occidor? At enim scripsi, misereri me eorum,
 quibus viuendum esset, sub eo, qui se Iouis filium
 crederet! Fides amicitiae, veri consilii periculosa
 libertas, vos me decepistis! Vos, quae sentiebam,
 27 ne reticerem, impulsistis. scripsisse me haec fateor
 regi, non de rege scripsisse. non enim faciebam
 inuidiam, sed pro eo timebam. dignior mihi
 Alexander videbatur, qui Iouis stirpem tacitus
 adgnosceret; quam qui praedicatione iactaret.
 28 Sed quoniam oraculi fides certa est; sit deus causae
 meae testis; retinete me in vinculis, dum con-
 sultitur Hammon in arcanum & occultum scelus.
 Interim, qui regem nostrum dignatus est filium,
 neminem eorum, qui stirpi suae insidiati sunt,
 29 latere patietur. Si certiora oraculis creditis esse
 tormenta; ne hanc quidem exhibendae veritatis
 30 fidem deprecor: Solent rei capitis adhibere vobis

reus sum] aduersor. S. 26. Fides, libertas] adloquitur eas, quasi praesentes. S. 27. regi, non de rege] regi soli; non ad alios, obtrectandi causa. C. pro eo timebam] Illi timebam, ne incurreret inuidiam. C. 30. adhibere parentes] cognatos aduocare, vt iudices lacrimis eorum ad misericordiam inflectant. Parentes enim hoc loco cognati sunt, non soli genitores: vt vsi hac voce sunt Capitolinus in Marco cap. 5. Lampridius in Alexandro cap. 67. Spartianus in Iuliano cap. 4. Eutropius l. 7. 4. Fratres enim aequae intelligit, Hectorem & Nicanorem, vt ipse explicat; ac patrem Parmenionem. Quamquam non

paren-

parentes. duos fratres ego nuper amisi; patrem
 nec ostendere possum, nec inuocare audeo: quum
 & ipse tanti criminis reus sit. Parum est enim tot
 modo liberorum parentem in unico filio adqui-
 escentem, eo quoque orhari, ni ipse in rogam meum
 imponitur. Ergo, carissime pater, & propter me
 morieris, & mecum. Ego tibi vitam adimo,
 ego senectutem tuam extinguo! quid enim me
 procreabas infelicem aduersantibus diis? an ut hos
 ex me fructus perciperes, qui te manent? Nescio,
 adolescentia mea miserior sit, an senectus tua:
 ego in ipso robore aetatis eripior; tibi carnifex
 spiritum adimet, quem si fortuna expectare
 voluisset, natura reposcebat. Admonuit me pa-
 tris mei mentio, quam timide & constanter, quae
 Cebalinus detulerat ad me, indicare debuerim.
 Parmenio enim, quum audisset, venenum a Phi-
 lippo medico regi parari, detertere eum voluit
 epistola scripta, quo minus medicamentum biberet,
 quod medicus dare constituerat. Num creditum
 est patri meo? num illam auctoritatem eius liti-
 terae habuerunt? Ego ipse, quoties quae audie-
 ram detuli, cum ludibrio credulitatis repulsus
 sum. Si & quum indicamus, inrisui; & quum

negamus, posteriori aeuo, quam Curtiano, vstitatiorem
 hanc notionem fuisse. C. 33. Nescio] subaudi
 an adolefc. &c. S. quem natura reposcebat]
 qui enim senex erat. natura ita constituit, vt non diutius
 viueret. S. 35. inrisui] vulgo inuisi, pro quo
 Melch. Freinshemius censuit inrisi legendum: frater
 Ioannes, si quid mutandum, inrisui, nomen pro

tacemus, suspecti sumus; quid facere nos oportet? Quumque vnus e circumstantium turba exclamasset, bene meritis non insidiari: Philotas recte: inquit, quisquis es, dicis. Itaque si insidiatum sum, poenam non deprecor; & finem facio dicendi, quoniam vltima verba graua sunt visa auribus vestris. Abducitur deinde ab iis, qui custodiebant eum.

participio. Sensus vtriusque bene conuenit cum *ludibrio* quod praecesserat: iatinitas cum Plinio XXII. 6. plerique dicenti. *ultra etiam irrisui sumus ista commentantes.* Tellierus quoque *irrisus* in contextum recepit. C.

CAP. XI.

Concio a quodam Belone accensa, in Philotam surgit. Is paullo post, vt se cruciatibus liberaret, fictae coniurationis circumstantias aperit, cumque aliis, qui accusantur, saxis obruitur.

ERAT inter duces manu strenuus Belon quidam, pacis artium & ciuilis habitus rudis, vetus miles; ab humili ordine ad eum gradum, in quo tunc erat, promotus: qui tacentibus ceteris, stolidi audacia ferox, admonere eos coepit; *quoties quisque diuersoriis, quae occupassent, proturbatus esset, vt purgamenta seruorum Philotae reciperentur eo, vnde commi-*

1. *ciuilis habitus*] viuendi rationis, quae inter ciues esse debet, in humanitate & mitiore affectu consistens. C.

litones

litones expulisset. Auro argentoque vehicula eius
 onusta totis vicis stetisse : ac ne in vicinia quidem
 diuersorii quemquam commilitonum receptum
 esse ; sed per dispositos, quos ad somnum habebat,
 omnes procul relegatos, ne femina illa murmurantium
 inter se silentio verius, quam sono excitaretur.
 Ludibrio ei fuisse rusticos homines, Phrygasque
 & Paphlagonas adpellatos : qui non erubesceret,
 Macedo natus, homines linguae suae per interpretem
 audire. Cur Hammenem consuli vellet ? eundem Iouis
 arguisse mendacium, Alexandrum filium adgnoscentis :
 scilicet veritum, ne inuidiosum esset, quod dii obserrent.
 Quum insidiaretur capiti regis & amici, non consuluisse
 eum Iouem : nunc ad oraculum mittere, dum pater
 eius sollicitaretur, qui praesit in Media ; & pecunia,
 cuius custodia commissa sit, perditos homines ad
 societatem sceleris impellat. Ipsos missuros ad
 oraculum, non qui Iouem interrogent, quod ex rege
 cognouerint ; sed qui gratias

3. per dispositos] per seruos, quos circa diuersorium
 disposuerat, vt itrepidum summouerent, quum dominus
 dormiebat. C. femina illa] ita per ludibrium
 vocat Philotam. S. 4. Phrygas & Paphlagonas]
 Rusticos Macedones, hoc est, ab urbibus & aula remo-
 tiores: ideoque a vitae elegantia alienos, ita ludibrio
 Philotae fuisse, vt vilissimarum gentium nomine Phry-
 gas eos ac Paphlagonas adpellaret. Notum enim de
 Phrygibus prouerbum. scro sapere, quod stuporem in
 iis arguit. Paphlagonēs male audiebant διὰ τὸ τῆς
 φωνῆς ἀπυχῆς, propter absouum linguae stridorem, vt
 Suidas refert. Forte etiam, vt accolae Phrygum, eodem
 vitio notati sunt. C.

agant, qui vota pro incolumitate regis optimi per-
 8 soluant. Tum vero vniuersa concio accensa
 est; & a corporis custodibus initium factum,
 clamantibus, discerendum esse partucidam ma-
 nibus eorum. Id quidem Philotas, qui grauiora
 9 supplicia metueret, haud sane iniquo animo
 audiebat. Rex in concionem reuersus, siue
 vt in custodia quoque torqueret, siue vt dili-
 gentius cuncta cognosceret, concilium in poste-
 rum diem distulit: & quamquam in vesperam
 inclinabat dies, tamen amicos conuocari iubet.
 10 & ceteris quidem placebat, Macedonum more
 obrui faxis; Hephaestion autem & Craterus &
 Coenus tormentis veritatem exprimendam esse
 dixerunt: & illi quoque, qui aliud suaserant,
 11 in horum sententiam transeunt. Consilio ergo
 dimisso, Hephaestion cum Cratere & Coeno ad
 quaestionem de Philota habendam confurgunt.
 12 Rex Cratere accersito, & sermone habito, cuius
 summa non edita est; in intimam diuersorii
 partem secessit, & remotis arbitris in multam
 13 noctem quaestionis expectauit euentum. Tor-
 tores in conspectu Philotae omnia crudelitatis
 14 instrumenta proponunt. Et ille vltro, *quid
 cessatis, inquit, regis inimicum, interfectorem,*

9. *Rex in concionem*] Freinshemio videtur *At rex*
 vinciendae sententiae aptius, quasi *at* excidisset propter
 eandem syllabam in praecedente verbo. C. n. &
 Coeno] *At* hic est, qui credebatur lapidem emissurus,
 vt tormentis ad finem subtraheret *supra cap. 9. n. 30. 31.*
Aut ergo falsa ista opinio fuit, aut hic mutauit senten-
tiam, C. quaestione] tormentis. S.

confi-

confitentem occidere? quid quaestione opus est?
 cogitavi, volui. Craterus exigere, vt quae con-
 fiteretur, in tormentis quoque diceret. Dum¹⁵
 corripitur, dum obligantur oculi, dum vestis
 exuitur, deos patrios, gentium iura, nequid-
 quam apud surdas aures inuocabat. Per vltimos¹⁶
 deinde cruciatus, vt pote damnatus, & inimicis
 in gratiam regis torquentibus laceratur. Ac
 primo quamquam hinc ignis, illinc verbera, iam
 non ad quaestionem, sed ad poenam ingere-
 bantur; non vocem modo, sed etiam gemitus
 habuit in potestate: sed postquam intumescens¹⁷
 corpus vlcibus, flagellorum ictus nudis ossibus
 incussos ferre non poterat; si tormentis adhibi-
 turi modum essent, dicturum se, quae scire ex-
 peterent, pollicetur. sed finem quaestioni fore,¹⁸
 iurare eos per Alexandri salutem volebat, remoue-
 rique tortores. Et vtroque impetrato, Cratero
 inquit, dic quid me velis dicere. Illo indignante,¹⁹
 ludificari eum, rursusque reuocante tortores;
 tempus petere coepit, dum reciperet spiritum,
 cuncta quae sciret, indicaturus. Interim equites,²⁰
 nobilissimus quisque, & ii maxime, qui Parme-

14. exigere] pro exigebat, per Enallagen. S.
 16. habuit in potestate] ne aut verbum aliquod, vel
 gemitum praec dolore emitteret. S. 18. per Ale-
 xandri salutem] Tertullianus Apolog. c. 32. Iuramus,
 sicut non per genios Caesarum, ita per salutem eorum,
 quae est augustior omnibus geniis. Arcad. & Hon.
 Lege XLI. Cod. de Transact. qui nomina nostra placitis
 inferentes salutem principum confirmationem inita-
 rum iurauerint esse pactioinum. C.

nionem propinqua cognatione contingebant, postquam Philotam torqueri fama vulgauerat, legem Macedonum veriti, qua cautum erat, ut propinqui eorum, qui regi infidiati erat, cum ipsis necarentur; alii se interficiunt; alii in deuios montes vastasque solitudines fugiunt; ingenti per tota castra terrore diffuso, donec rex, tumultu cognito, *legem se supplicio coniunctis*

- 21 *fontium remittere* edixit. Philotas, verone an mendacio liberare se a cruciatu voluerit, anceps coniectura est, quoniam & vera confessis, & falsa
 22 dicentibus idem doloris finis ostenditur. Ceterum, *pater*, inquit, *meus Hegelochus quam familiariter vsus sit, non ignoratis. Illum dico Hegelochum, qui in acie cecidit: ille omnium malorum nobis caussa fuit.* Nam quum primum Iouis filium se salutare iussit rex. Et indigne ferens ille, hunc igitur regem agnoscimus, inquit, qui Philip-pum dedignatur patrem? *actum est de nobis, si ista*

29. *legem Macedonum veriti*] Iniusta lex, quae for tium agnatos vna puniebat capitali supplicio, ideoque ab Alexandro abrogata, ut mox sequitur & VIII. 8. 18. Causa crudelitatis erat, ut tollerentur, qui fontis supplicium vlcersi possent. Quanta autem temeritas est ob metum incertum ad certissimum supplicium propere, hominemque ideo necare, quod olim possit malus fieri. Ideo similes Persarum leges. *per quas ob noxam vnus omnis propinquitas perit*, Ammianus lib. XXIII. cap. penult vocat *abominandas*. C. *legem remittere*] abrogare, ut ex VIII. 8. 18. apparet, ubi olim, id est in hac Philotae caussa, dicitur *soluta*. C. 21. *vero*] *veritate*. S. *idem doloris finis*] tormentorum cessatio. C.

perpeti

perpeti possumus. Non homines solum sed etiam²⁴
 deos despicit, qui postulat deus credi. Amissimus
 Alexandrum, amissimus regem: incidimus in
 superbiam, nec diis, quibus se exaequat, nec homi-
 nibus, quibus se eximit, tolerabilem. Nostrone²⁵
 sanguine deum fecimus, qui nos fastidiat, qui
 grauetur mortalium adire concilium? Credite
 mihi, & nos, si viri sumus, a diis adoptabimur.
 Quis proauum huius Alexandrum, quis deinde²⁶
 Archelaum, quis Perdiccam occisos <ltus est? hic
 quidem interfectoibus patris ignouit. Haec²⁷
 Hegelochus dixit supra coenam: & postera die
 prima luce a patre accersor. Tristis erat, & me
 moestum videbat. audieramus enim, quae solli-
 citudinem incuterent. Itaque vt experiremur,²⁸
 &trumne vino grauatus effudisset illa, an altiore
 concepta consilio; accersiri eum placuit. Venit:
 eodemque sermone <ltro repetito adiecit, se siue
 auderemus duces esse, proximas a nobis partes
 vindicaturum; siue deesset animus, consilium
 silentio esse tecturum. Parmenioni, viuo adhuc²⁹
 Dario, intempestiua res videbatur; non enim

26. proauum Alexandrum] abauum an patrum?
 hos solos hoc nomine vsos nouimus, non proauum.
 Nec vnus in ea gente Perdiccas aut Archelaus. Prio-
 res oecisos a suis esse non constat: posteriores quidem
 occisi, sed patrum tantummodo; nec Archelaus rex, sed
 priuatus fuit. Iustin. VII. 4. Hegelochus autem vo-
 luit regum exempla impune interfectorum proferre. C.
 28. proximas a nobis partes] secundas a ducibus Parme-
 nione & Philota in perpetranda regis caede par-
 tes. C.

- sibi, sed hosti esse occisuros Alexandrum: Dario vero sublato praemium regis occisi Asiam, & totum Orientem interfectoris esse cessurum. Adprobatoque consilio, in haec fides data est & accepta. Quod ad Dimnum pertinet, nihil scio; & haec confessus intelligo non prodesse mihi, quod prorsus sceleris expers sum. Illi rursus tormentis admotis, quum ipsi quoque hastis os oculosque eius
- 31 euerberarent; vt hoc quoque crimen confiteretur, expressere. Exigentibus deinde, vt ordinem cogitati sceleris exponeret; quum diu Bactra retentura regem viderentur, timuisse respondit, ne pater LXX natus annos, tanti exercitus dux, tantae pecuniae custos, interim exstingeretur, ipsique, spoliato tantis viribus, occidendi regis
- 33 causa non esset. Festinasse ergo se, dum praemium haberet in manibus, repraesentare consilium: conscium patrem non fuisse nisi crederent, tormenta quamquam tolerare non posset, tamen non recusare. Illi conlocuti satis quaesitum videri; ad regem reuertuntur. qui postero die & quae confessus erat Philotas recitari; & ipsum, quia ingredi non poterat, iussit adferri. Omnia adgnoscente eodem, Demetrius, qui proximi sceleris particeps esse arguebatur, producit: multa

30. prorsus sceleris expers] illius nempe coniurationis, cuius Dimnus socius fuerat: aliam enim ipse iam confessus est. C. 33. repraesentare consilium] consilium exsequi, in opus & effectum dare. Ita Io. Fr. Gronovius interpretatur, cui summo viro huius periodi, misere alias vexatae, emendationem debemus. C. 35. Demetrius] corporis custos, adhaerens.

adfirmatione, animique pariter constantia, & vultu abnuens, quidquam sibi in regem cogitatum esse, tormenta etiam deposcebat in semetipsum. quum Philotas circumlatis oculis incideret in Calin quendam, haud procul stantem, propius eum iussit accedere. Illo perturbato, & recusante transire ad eum, *patieris, inquit, Demetrium mentiri, rursusque me excruciaci?* Calin³⁷ vox sanguisque defecerant, & Macedones Philotam inquinare innoxios velle suspicabantur: quia nec a Nicomacho, nec ab ipso Philota, quum torqueretur, nominatus esset adolescens. qui vt praefectos regis circumstantes se vidit, *Demetrium & semetipsum id facinus cogitasse* confessus est. Omnes ergo a Nicomacho no³⁸ minatos, more patrio, dato signo, saxis obruerunt. Magno non modo salutis, sed⁹ etiam inuidiae periculo liberatus erat Alexander; quippe Parmenio & Philotas, principes amicorum nisi palam fontes, sine indignatione totius

in cuius locum successus postea Ptolemaeus Lagi filius, vt Arrianus III. p. 228. refert, qui Demetrium non vna cum Philota, sed quum in Agriaspas rex venisset, comprehensum & enecatam fuisse ibidem tradit, vt Curtius quidquid huius coniurationis erat, vno contextu scribere voluisse videatur. C. 37. vox sanguisque defecerant] prae timore & conscientia sceleris. Infra VII. 7. 26. Ille ex sanguis attonitoque similis stabat per metum etiam voce suppressa. Ammianus de Chonodomario XVI. 33. trahabatur pallore suffusus, claudente noxarum conscientia linguam. Idem XVII. 25. de Zizai Sarmata: amisso vocis officio prae timore, C. 39, inuidiae periculo] Rubenii Elea. exercitus

4^o exercitus non potuissent damnari. Itaque anceps quaestio fuit : dum inficiatus est facinus, crudeliter torqueri videbatur; post confessionem, Philotas ne amicorum quidem misericordiam meruit.

cap. 33. haec correctio est, quam laudauit Freinsheimerus, expressit Tellerus. Vulgo, *vitae periculo*, quod tamen Barthius Adv. XXVIII. 6. defendere prae illo conatur. C.

Q. CVRTII RVFI,

DE

REBVS GESTIS

ALEXANDRI REGIS

MACEDONVM,

LIBER VII.

CAP. I.

Alexander Lyncestem maiestatis reum interfici curat, deinde in Amyntam & Simmiam Philotae amicos inquirit, qui suam innocentiam graui oratione tuentur.

PHILOTAM sicut recentibus sceleris eius vestigiis iure adfectum supplicio censuerant milites ; ita POSTQVAM deserat esse, quem odissent, inuidia in misericordiam vertit.

1. *Postquam deserat esse*] Post fata enim inuidia quiescit, & saepe in desiderium aut misericordiam

Moue-

Mouerat & claritas iuuenis; & patris eius fene-
 Etus atque orbitas. Primus Asiam aperuerat
 regi, omnium periculorum eius particeps; sem-
 per alterum in acie cornu defenderat; Philippo
 quoque ante omnes amicus & ipsi Alexandro
 tam fidus, vt occidendi Attalum non alio mi-
 nistro vti mallet. Horum cogitatio subibat
 exercitum, seditiosaeque voces referebantur ad
 regem. quâ ille hand fane motus, satisque
 prudens, OTII vitia negotio discuti, edicit,
 vt omnes in vestibulo regiae praesto adforent:
 quos vbi frequentes adesse cognouit, in concio-
 nem processit: Haud dubie ex composito Apha-
 rias postulare coepit, *Et Lyncestes Alexander,*
qui multo ante quam Philotas regem voluisset occi-
dere, exhiberetur. A duobus indicibus, sicut
 supra diximus, delatus, tertium iam annum
 custodiebatur in vinculis. eundem in Philippi

conuertitur. Linius IV. 20. de M. Manlio deiecto per
 Tarpei faxi praerupta: *Populum breui, postquam*
periculum ab eo nullum erat, per se ipsas recordantem
virtutes, desiderium eius tenuit. & Nepos de Dione
 cap. 10. *Sic subito misericordia odio successerat, vt*
eum suo sanguine si possent, ab Acheronte cuperent
redimere. C. esse] idem quod viueret. S. 3.
Primus Asiam aperuerat] cum Attalo praemissus a
 Philippo rege, duce iam belli Persici declarato ab vni-
 uersa Graecia *Siculus XVI. 92. C. occidendi*
Attalum] Vide Supplementa lib. I. num. 10. C.
 4. *satis prudens, probe sciens. S. 5. Apharias]*
 Videtur primus ille chiliarchus esse, qui V. 2. 5. corrupte
Adarchias, & VIII. 1. 36. Atharias vocatur. C. Lyn-
cestes Alexander] Supplement. II. 8. C.

quo-

- quoque caedem coniurasse cum Pausania, pro comperto fuit; sed quia primus Alexandrum regem salutauerat; supplicio magis quam crimini fuerat exemptus. Tum quoque Antipatri foceri eius preces iustam regis iram morabantur.
- 7 Ceterum recruduit soporatus dolor. quippe veteris periculi memoriam praesentis cura renouabat. Igitur Alexander ex custodia educitur, iussusque dicere, quam toto triennio meditatus erat defensionem, haesitans & trepidus pauca ex iis, quae composuerat, protulit: ad ultimum non memoria solum, sed etiam mens eum destituit.
- 9 Nulli erat dubium, quin TREPIDATIO conscientiae indicium esset, non memoriae vitium. itaque ex iis, qui proxime adstiterant, obluquantem adhuc obliuioni lanceis confodiorunt. Cuius corpore sublato, rex introduci iussit Amyntam & Simmiam: nam Polemon, minimus ex fratribus, quem Philotam torqueri iiconperisset, profugerat. Omnium Philotae amicorum hi carissimi fuerant: ad magna & honorata ministeria, illius maxime suffraga-

6. cum Pausania] Philippi regis percussore. C.
 7. soporatus] Vnus liber MS. habet *suppuratus*, quod Freinshemio non displicet, quia etiam Seneca dixit Epist. LXXX. *suppurata tristitia*. C. 8. *obluquantem obliuioni*] quum reminisci vellet eorum, quae secum in mente conceperat. S. 10. Amyntam] non qui superiori libro inter coniuratos a Dimno nominatus fuerat, h'c enim supplicio cum aliis adfectus fuit VI. II. 38. sed Andromenis filius V. I. 40. princeps agminis peregrinorum IV. 13. 28. C.

tione producti : memineratque rex , summo studio ab eo conciliatos sibi , nec dubitabat , huius quoque ultimi consilii fuisse participes. Igitur olim esse sibi suspectos matris suae litteris, 12 quibus esset admonitus , Et ab his salutem suam tueretur. ceterum se inuitum deteriora credentem , nunc manifestis indiciis victum , iussisse vinciri. Nam pridie quam detegeretur Philotae 13 scelus, quin in secreto cum ipso fuissent, non posse dubitari. fratrem vero , qui profugerit , quum Philotas torqueretur , aperuisse fugae causam. Nuper praeter consuetudinem, officii specie, amotis 14 longius ceteris , admouisse semet ipsos lateri suo, nulla probabili causa : seque mirantem , quod non vice sua , tali fungerentur officio ; & ipsa trepidatione eorum perterritum ; strenue ad armigeros, qui proximi sequebantur, recessisse. Ad hoc 15 accedere, quod quum Antiphanes, scriba equitum, Amyntae denunciasset , pridie quam Philotae scelus deprehensum esset, et ex suis equis more solito daret iis, qui amisissent suos ; superbe respondisse, nisi incepto desisteret, breui sciturum, quis ipse esset. Iam linguae violentiam , temeritatemque verbo- 16 rum, quae in semetipsum iacularentur, nihil aliud esse, quam scelesti animi indicem ac testem. quae

14. admouisse semetipsos] Armigeri officio per vices fungebantur. Quum ergo extra ordinem aliquando Amyntas cum fratribus apparuisse regi, absentibus ceteris ; in suspensionem incidit malae fidei aut coniurationis. C. 15. scriba equitum] Explicatur mox num. 34. 35. C.

si vera

- si vera essent idem meruisse eos, quod Philotam;*
 17 *si falsa exigere ipsum ut refellani.* Productus
 deinde Antiphanes, de equis non traditis, &
 18 *adiectis etiam superbe minis, indicat.* Tum
 Amyntas, facta dicendi potestate: *si nihil, inquit,
 interest regis: peto, ut dum dico, vinculis liberer.*
 Rex solui utrumque iubet: desiderantique Amyn-
 19 *tae, ut habitus quoque redderetur armigeri; lan-*
ceam dari iussit. Quam ut laeva comprehendit,
 euitato eo loco, in quo Alexandri corpus paullo
 ante iacuerat; *Qualiscumque, inquit, exitus nos
 manet, rex: confitemur, prosperum euentum
 tibi debituros; tristiores fortunae imputaturos.*
 20 *Sine praeiudicio dicimus causam, liberis corpo-*
ribus animisque. habitum etiam, quo te comi-
tari solemus, reddidisti. Causam non possumus;
 21 *fortunam timere desinemus. Te quaeso, permit-*
*tas mihi id primum defendere, quod a te ultimum
 obiectum est. Nos, rex, sermonis aduersus maie-*
statem tuam habiti nullius conscii sumus nobis.

18. *armigeri*] Gronovius ante hanc vocem inter-
 pungit, & *armigero* tertio casu legit, ut cum *iussit*
 cohaereat: sed satis florida, etiam natiua, ut videtur,
 est lectio, quam expressimus, Freinshemiana, sola
 in cisione a vulgari discrepans. Lancea enim etiam ad
habitum huius generis militum pertinebat, interprete
 ipso Amynta num. 20. C. 19. *exitus nos manet*]
 qualemcunque exitum non exspectamus, vel exspectan-
 dum habemus. S. *tibi*] tuae benignitati, qua
 nos dimittere potes. S. *fortunae*] quae nobis
 aduersa est. S. 20. *Causam non possumus*] subaudi
timere: quia causa nostra bona est. S.

Dice-

Dicerem iam pridem, vicisse te inuidiam, nisi periculum esset, ne alia maligne dicta crederes blanda oratione purgari. Ceterum etiam si militis tui vel in agmine deficientis & fatigati, vel in acie periclitantis, vel in tabernaculo aegri & vulnera curantis, aliqua vox asperior esset accepta; merueramus fortibus factis, ut malles ea tempore nostro imputare, quam animo. Quum quid accidit tristius, omnes rei sunt; corporibus nostris, quae utique non odimus, infestas admoemus manus; parentes liberis si occurrant, & ingrati & iniuri sunt. Quum donis honoramur; quum praemiis onusti reuertimur, quis ferre nos potest? quis illam animorum alacritatem continere? MILITANTIVM nec indignatio, nec laetitia moderata est. Ad omnes adfectus impetu rapimur. Vituperamus, laudamus, miseremur, irascimur, utrumque praesens mouit adfectio. Modo Indiam adire & Oceanum libet; modo coniugum & liberorum patriaeque memoria occurrit. Sed has cogitationes, has inter se conloquentium voces,

21. vicisse te inuidiam] te in eo statu positum esse, in quo nihil aestimas, an aliquis tibi inuideat, an vero minus. S. 22. accepta] audita. S. tempore nostro] qui dura admodum hactenus passi sumus, & adhuc patimur: vnde facile fieri potest, ut alicui nostrum verbum paullo durius elabatur. S. 23. omnes rei sunt] prospera duces sibi imputant: aduersa militibus. C. liberis si occurrant] liberorum licentiae se opponant eosque castigent. Pitisc. C. quis ferre nos potest?] interrogatio haec figurata est, id est, nemo nos ferre potest, nos illo tempore hominibus sumus intolerabiles. S.

signum

signum tuba datum finit: in suos ordines quisque
 currimus, & quidquid irarum in tabernaculo
 conceptum est, in hostium effunditur capita. Vti-
 26 nam Philotas quoque intra verba peccasset. Pro-
 inde ad id reuertar, propter quod rei sumus.
 Amicitiam, quae nobis cum Philota fuit, adeo
 27 non eo inficias, ut expetisse confitear. An vero
 Parmenionis, quem tibi proximum esse voluisti,
 filium, omnes paene amicos tuos dignatione. Vin-
 28 centem, cultum a nobis esse miraris? Tu hercule,
 si verum audire vis, rex, huius nobis periculi causa
 es. Quis enim alius efficit, ut ad Philotam decur-
 rerent, qui placere vellent tibi? Ab illo traditi
 ad hunc gradum amicitiae tuae ascendimus. Is
 apud te fuit, cuius gratiam expetere; & iram
 29 timere possemus. Annon propemodum in tua
 verba, tui omnes te praeeunte iurauimus, eosdem
 nos inimicos amicosque habituros esse, quos tu
 haberes? hoc sacramento pietatis obstricti auer-

26. rei sumus] *inducati sumus.* S. non eo
 inficias] *non nego.* Vide quae de hac loquendi
 formula ad Nepotem 15. 10. 4. notauimus. S. 28.
 traditi] in bonam partem hic accipitur, & idem est
 quod commendati. S. Is apud te fuit] Talis
 vel tantus apud te fuit, in tanta apud te auctoritate
 constitutus erat. S. 29. in tua verba iurauimus] *Solemnis formula, qua fidem iureiurando ad-*
strictam principi esse significatur. Suetonius Othone
 cap. 8. Germaniciani exercitus in Vitellii verba iurauerant. C. pietatis] *notat h. l. officium subdi-*
torum erga Regem. S.

SAREMUS

saremur scilicet, quem tu omnibus praeferebas. Igitur si hoc crimen est; tu paucos innocentes³⁰ habes: immo hercule neminem. Omnes enim Philotae amici esse voluerunt: sed totidem, quot volebant esse, non poterant. ita si a consciis amicos non diuidis; nec ab amicis quidem separabis illos, qui idem esse voluerunt. Quod igitur³¹ conscientiae adfertur indicium? Et opinor, quia pridie familiariter & sine arbitris loquutus est nobiscum! At ego purgare non possim, si pridie quidquam ex veteri vita ac more mutassem. nunc vero si ut omnibus diebus, illo quoque, qui suspectus est, fecimus, consuetudo diluet crimen. Sed³² equos Antiphani non dedimus! & pridie quam Philotas detectus est, haec mihi cum Antiphane res erat! qui si nos suspectos facere vult, quod

30. hoc] iis scil. amicis esse, quibus tu es amicus. S. nec separabis, qui idem esse voluerunt] Periodi hic sensus est: Si non distinguis inter conscios coniurationis, & amicos Philotae, & hos aequae cum illis vis punire; neque ab amicis debes eos seiuungere, qui voluerunt amici esse, quamuis propter numerum non potuerunt: atque ita nemo in exercitu innocens erit. C. 31. conscientiae] singularis huius vocis h. l. vsus est, & notat, quando cum aliquo alicuius rei conscius sumus. S. consuetudo diluet] accusationem ex pridiano colloquio petitam illud refutabit, quod ita quotidie colloqui, citra coniurationis suspicionem, solebamus. Tellier. C. 32. Sed equos] Ipse sibi talem obiectionem format, qualem possent alii facere, eamque refutat. S.

illo die equos non dederimus, semetipsum, quod
 33 eos desideravit, purgare non poterit. Anceps
 enim crimen est inter retinentem & exigentem;
 nisi quod melior est causa suum non tradentis,
 34 quam poscentis alienum. Ceterum, rex, equos
 decem habui, e quis Antiphanes octo iam distri-
 buerat iis, qui amiserant suos. Omnino duos
 ipse habebam: quos quum vellet abducere homo
 superbissimus, certe iniquissimus, nisi pedes mili-
 35 tare vellem, retinere cogebat. Nec inficias eo,
 liberi hominis animo loquutum esse me cum igna-
 vissimo, & hoc vnum militiae suae vsurpante, vt
 alienos equos pugnaturis distribuatur. Huc enim
 malorum ventum est, vt verba mea eodem tempore,
 36 & Alexandro excussem, & Antiphani. At her-
 cule mater de nobis inimicis tuis scripsit. Utinam
 prudentius esset sollicita pro filio, & non inanes
 quoque species anxio animo figuraret. Quare
 enim non adscribit metus sui causam? Denique,

34. homo superbissimus] Ita se vocat, sed ironice:
 nam ab aliis ita vocatus erat. S. 35. militiae suae
 vsurpante] qui hoc vnum in tota militia sua ius exer-
 cet. S. 36. inimicis tuis] forte, VT inimicis
 tuis. Freinshem. C. inanes species figuraret]
 fingeret metuenda ea, quae non sunt. Seneca
 Epist. XIII. Animus sibi falsas imagines fingit. C.
 Denique] Tellerio suspecta vox, sensu postulante,
 cur? quid? aut simile. Nobis denique saluum est pro
 deinde, vt alibi! nec necessarium, vt continueretur inter-
 rogatio. C.

non ostendit auctorem, quo facto dictioe nostro
 mota tam trepidas tibi litteras scripsit. O mise- 37
 ram conditionem meam, cui forsitan non pericu-
 losius est tacere, quam dicere! Sed utcumque ces-
 sura res est, malo tibi defensionem meam displicere,
 quam causam. Adgnosces autem quae
 dicturus sum; quippe meministi, quum me ad
 perducendos ex Macedonia milites mitteres, di-
 xisse te, multos iuvenes in domo tuae matris abs-
 condi. praecepisti igitur mihi, ne quem praeter 38
 te intuerer; sed detrectantes militiam perduce-
 rem ad te. Quod equidem feci, & liberius,
 quam expediebat mihi, exsequutus sum impe-
 rium tuum. Gorgian, Hecataaum & Gorgatan;
 quorum bona opera vteris, inde perduxi. Quid 39
 igitur iniquius est, quam me, qui si tibi non
 paruissem, iure daturus fui poenas; nunc perire
 quia parui? Neque enim vlla alia matri tuae
 persequendi nos causa est, quam quod vtilitatem
 tuam muliebri praeposuimus gratiae. Sex mil- 40
 lia Macedonum peditum, & DC. equites ad-
 duxi, quorum pars sequutura me non erat, si mili-
 tiam detrectantibus indulgere voluissem. Sequi-
 tur ergo, ut quia illa propter hanc causam irasci-
 tur nobis; tu mitiges matrem, qui irac eius nos
 obtulisti.

37. multos iuvenes abscondi] Hinc supra IV. 6. 30.
 dicitur ad inquisitionem missus. C.

CAP. II.

Amynta & fratribus in gratiam receptis, Polydamas regis iussu in Mediam celeriter profectus, Parmenionem interficere curat. Vnde indignatio & seditio, quae tandem exstinguitur.

- 1 **D**VM haec Amyntas agit, forte superue-
nerunt, quī fratrem eius Polemonem, de
quo ante dictum est, fugientem consequuti vin-
ctum reducebant. Infeſta concio vix inhiberi
potuit, quin protinus ſuo more ſaxa in eum ia-
ceret. Atque ille ſane interritus, nihil, inquit,
2 *pro me deprecor; modo ne fratrum innocentiae
fuga imputetur mea. Haec ſi defendi non poteſt,
meum crimen ſit. horum ob id ipſum melior eſt
cauſſa, quod ego, qui profugi, ſuſpectus ſum.*
3 At haec eloquuto vniuerſa concio adſenſa eſt.
Lacrimae deinde omnibus manare coeperunt,

1. agit] *perorat.* inde & vltima Rhetoricae pars, quae alias *Pronunciatio* vocatur, a nonnullis *Actio* dicitur. S. 2. *imputetur*] *Vox imputare* Augusti acui scriptoribus notat, *aliquid alicui pro magno beneficio adscribere, et vna cinem vor cine grosse wohlthat anrechnen*, quae significatio quam plurimis exemplis probari potest. Vide interea quae notarunt *Torrentius & Casaubonus ad Sueton Tiber. cap. 52. Farnabius ad Iuuenal. Sat. 5. 14.* Sensum ergo ex hac significatione ita huic loco reddimus: *modo ne quis id innocentiae fratrum adscribat & quasi acceptum referat, quod ego fugi.* Periodi istius enunciationes sunt duae, & quidem haec: (1) *Fratres mei quidem sunt innocentes* (2) *non tamen ego, quia fugi, sum nocens.* C. *Haec*] *fuga.* S. *horum*] *fratrum.* S.

adeo

adeo in contrarium repente mutatis; vt solum
 pro eo esset, quod maxime laeserat. Iuuenis 4
 erat primo aetatis flore pubescens, quem inter
 equites tormentis Philotae conturbatos alienus
 terror abstulerat. Desertum eum a comitibus,
 & haesitantem inter reuertendi fugiendique con-
 silium, qui sequuti erant occupauerunt. Is tunc 5
 flere coepit, & os suum conuerberare: moestus,
 non suam vicem, sed propter ipsum periclitan-
 tium fratrum. Moueratque iam regem, non 6
 concionem modo: sed vnus erat implacabilis
 frater; qui terribili vultu intuens eum: *Tum,*
ait, demens, lacrimare debueras, quum equo cal-
caria subderes, fratrum desertor, & desertorum
comes. Miser quo, & vnde fugiebas? effecisti,
vt reus capitis, accusatoris vterer verbis. Ille 7
peccasse se; sed grauius in fratres, quam in semet-
ipsum, fatebatur. Tum vero neque lacrimis,
 neque adclamationibus, quibus studia sua multi-
 tudo profitetur, temperauerunt. Vna vox erat
 pari emissa consensu, vt infontibus & fortibus
 viris parceret. Amici quoque, data misericor-
 diae occasione, confurgunt, flentesque regem

4. alienus terror] qui plane ad ipsum non spe-
 ctabat. S. 5. moestus non suam vicem] ob suam
 vicem, consueta ellipsi. Linius XXVIII. 19. clamor
 vndique ab sollicitis vicem imperatoris militibus
 sublatus. Adde nostrum VII. 11. 20. C. 6. de-
 sertorum] eorum, qui castra regia deserebant quales
 hodieque vocamus desertours. S. 7. fortibus
 viris parceret] vt rex Amyntae & fratribus parceret.
 C.

- 8 deprecantur. Ille silentio facto, & ipse, inquit, Amyntam mea sententia fratresque eius absoluo. Vos autem, iuuenes, malo beneficii mei obliuisci, quam periculi vestri meminisse. Eadem fide redite in gratiam mecum; qua ipse vobiscum reuertor.
- 9 Nisi quae delata essent, excussissem; valde dissimulatio mea suspecta esse potuisset. Sed satius est purgatos esse, quam suspectos. Cogitate, neminem absolui posse nisi qui dixerit causam.
- 10 Tu Amynta ignosce fratri tuo. erit hoc simpliciter etiam mihi reconciliati animi tui pignus.
- 11 Concione deinde dimissa, Polydamanta vocari iubet. Longe acceptissimus Parmenioni erat, 12 proximus lateri in acie stare solitus. Et quamquam conscientia fretus, in regiam venerat; tamen ut iussus est fratres suos exhibere, admodum iuuenes, & regi ignotos ob aetatem: fiducia in sollicitudinem versa trepidare coepit, saepius quae nocere possent, quam quibus eluderet, 13 reputans. Iam armigeri, quibus imperatum erat, produxerant eos, quum ex sanguinem metu Polydamanta propius accedere iubet. submotisque omnibus, scelere, inquit, Parmenionis omnes pariter adpetiti sumus, maxime ego ac tu, quos 14 amicitiae specie fefellit; ad quem persequendum puniendumque (vide quantum fidei tuae credam)

deprecantur] idem quod simplex precantur. S.
 8. iuuenes] ita adloquitur viros, quemadmodum & a Cicerone & Plinio iuniore vox ista usurpatur, quod ad Iuencum notauit. S. 9. excussissem] bene ponderassem. S.

te mi-

te ministro vti statui. obsides, dum hoc peragis,
 erant fratres tui. Proficiscere in Mediam, & ad 15
 praefectos meos litteras scriptas manu mea perso-
 velocitate opus est, qua celeritatem famae ante-
 cedas. noctu pervenire illuc te volo, postero die,
 quae scripta erunt, exsequi. Ad Parmenionem 16
 quoque epistolas feres; unam a me; alteram,
 Philotae nomine scriptam, signum annuli eius in
 mea potestate est. sic pater credens a filio impres-
 sum, quum te viderit, nihil metuet. Polydamas, 17
 tanto liberatus metu, impensius etiam, quam
 exigebatur, promittit operam. Conlaudatus-
 que & promissis oneratus, deposita veste, quam
 habebat, Arabica induitur. Duo Arabes, quo- 18
 rum interim coniuges ac liberi, vinculum fidei,
 obsides apud regem erant, dati comites. Per
 desertam etiam ob siccitatem loca camelis, vnde-
 cima die, quo destinaverat, perveniunt. Et 19
 prius quam ipsius nunciaretur adventus, rursus
 Polydamas vestem Macedonicam sumit, & in
 tabernaculum Cleandri (praetor hic regius erat)
 quarta vigilia pervenit. Redditis deinde litte- 20

17. Arabica induitur] Securitatis causa, per male
 pacatas gentes profecturus, & vestem Arabicam, & co-
 mites Arabas, negotiatores forsan locorum peritos,
 adsumit. C. 18. camelis, undecima die] Strabo
 lib. XV. p. 498. de hac expeditione ait, iter, quod alias
 XXX. aut XL. dierum esset, tam e Drangis, ubi Philotas
 interemtus fuit, ad Ecbatana, ubi Parmenio erat, ἐπὶ
 δραμάδων καμήλων ἑνδεκαταίης διαύσου, camelis dro-
 medariis undecim dierum spatio absoluisse Polyda-
 mantem. C. 20. Redditis] datis, S.

- ris, constituerunt prima luce ad Parmenionem coire. Namque ceteris quoque litteras regis protulerat. Iam ad eum venturi erant, quum Parmenioni Polydamanta venisse nunciauerunt.
- 21 qui dum laetatur aduentu amici, simulque noscendi, quae rex ageret, auidus (quippe longo interuallo nullam ab eo epistolam acceperat)
- 22 Polydamanta requiri iuber. Diuersoria regionis illius magnos recessus habent, amoenosque, nemoribus manu confitis, ea praecipue regum
- 23 satraparumque voluptas erat. Spatiabatur in nemore Parmenion medius inter duces, quibus erat imperatum litteris regis, vt occiderent. Agendaem autem rei constituerant tempus, quum Parmenion a Polydamante litteras traditas legere
- 24 coepisset. Polydamas procul veniens, vt a Parmenione conspectus, vultu laetitiae speciem praefereute, ad complectendum eum cucurrit; mutuaque gratulatione functi, Polydamas epistolam ab rege scriptam ei tradidit. Parmenion vinculum epistolae soluens, quidnam rex ageret, requirebat. Ille ex ipsis litteris cogniturum esse
- 26 respondit. Quibus Parmenion lectis; Rex, inquit, *expeditionem parat in Archosios, Strenuum hominem & nunquam cessantem! Sed tempus saluti suae tantâ iam parâ gloriâ parcere.*
- 27 Alteram deinde epistolam, Philotae nomine scriptam laetus, quod ex vultu notari poterat,

26. *tempus parcere*] per Graecissimum pro *parcere* dicitur. S.

legebat. Tum eius latus gladio haurit Cleander, deinde iugulum ferit; ceteri exanimem quoque confodiunt. Et armigeri, qui ad adi-²⁸ tum memoris adstiterant, cognita caede, cuius caussa ignorabatur, in castra perueniunt; & tumultuoso nuncio milites concitant. Illi ar-²⁹ mati ad nemos, in quo perpetrata caedes erat, coeunt: &, ni Polydamas, ceterique eiusdem noxae participes dedantur; murum circumdatum nemori euerfuros denunciant, omniumque sanguine duci parentaturos. Cleander primo-³⁰ res eorum intromitti iubet: litterasque regis scriptas ad milites recitat, quibus insidiae Parmenionis in regem, precesque, vt ipsum vindicarent, continebantur. Igitur cognita regis voluntate,³¹ non quidem indignatio, sed tamen seditio compressa est. Dilapsis pluribus pauci remanserunt, qui, saltem vt corpus ipsius sepelire permitterent, precabantur. Diu id negatum est, Cleandri³² metu, ne offenderet regem. pertinacius deinde precantibus, materiem confarnationis subtrahendam ratus, capite deciso truncum humare permisit. ad regem caput missum est. Hic exi-³³ tus Parmenionis fuit, militiae domique clari viri. Multa sine rege prospere; rex sine illo nihil magnae rei gesserat. felicissimo regi & omnia ad fortunae suae exigenti modum satisfecit. LXX natus annos, iuuenis ducis, & saepe

27. *haurit*] metaphora, quasi gladio suo ex eius latere sanguinem vellet haurire. S. 29. *parentaturos*] Vide Cellarium supra ad 5, 6. 1. S.

Q 4

etiam

etiam gregarii militis munia expleuit. acer
 consilio, manu strenuus, carus principibus, vulgo
 34 militum acceptior. Haec impulerint illum ad
 regni cupiditatem, an tantum suspectum fece-
 rint, ambigi potest. quia Philotas vltimis cru-
 ciatibus victus verane dixerit, quae facta probari
 non poterant; an falsis tormentorum petierit
 finem, re quoque recenti cum magis posset lique-
 35 re, dubitatum est. Alexander, quos mortem
 Parmenionis conquestos esse compererat, separ-
 randos a cetero exercitu ratus; in vnam cohortem
 secreuit, ducemque his Leonidam dedit:
 & ipsum Parmenioni quondam intima familia-
 36 ritate coniunctum. Fere iidem erant, quos alio-
 qui rex habuerat inuisos. nam quum experiri
 vellet militum animos, admonuit, qui litteras in
 Macedoniam ad suos scripssisset, iis, quos ipse
 mittebat, perlaturis cum fide traderet. Simpli-
 citer ad necessarios suos quisque scripserat, quae
 sentiebat: aliis grauis erat; plerisque non ingrata

34. quae facta probari non poterant] quia Hege-
 lochus mortuus, Parmenio absens erat, quos solos
 conscios coniurationis Philotas confessus erat. C.
 falsis tormentorum petierit finem] ideo falsum dixit,
 vt tantum tormentorum finis esset. S. 36. neces-
 sarios] sanguine, aut propinqua cognatione coniun-
 ctos. S. non ingrata] Barthius Aduersar. XXVII.
 16. extr. non iam grata reponit propter seditiosas exer-
 citus voces toties ab ipso Curtio notatas. Verum sedi-
 tiones illae posterioris temporis sunt, quam haec litem-
 rarum interceptio: & quae sequuntur verba agentium
 gratias, argumento sunt, frustra sollicitari vulgatam
 scripturam non ingrata. C.

mili-

militia. Ita & agentium gratias ; & queren-³⁷
tium litterae exceptae sunt. Et qui forte tae-
dium laboris per litteras erant questi , hanc seor-
sum cohortem a ceteris tendere ignominiae caus-
sa iubet : fortitudine vsurus in bello ; libertatem
linguae ab auribus credulis remoturus. Et con-
siliium temerarium forsitan (quippe fortissimi
iuvenes contumeliis inritati erant) sicut omnia
alia felicitas regis exceptit. nihil illis ad bella
promptius fuit. incitabat virtutem & ignomi-³⁸
niae demendae cupido ; & quia fortiora facta in
paucis latere non poterant.

37. *agentium gratias*] Alexandro scilicet quod tam-
diu bellum in Asia gereret , *sie wustens ihm noch*
danck. S. *seorsum cohortem*] *seorsum a cohorte.*
re. S.

CAP. III.

Varios populos sub iugum mittit Alexander , ac XVI.
diebus cum exercitu Caucasum siue Parapami-
sum superat.

HIS ita compositis , Alexander Arianorum ¹
Satrape constituto , iter pronunciarum iubet

1. *Arianorum*] Quia mox Curtius *Arios* vocat,
argumento est , pro iisdem *Arios* & *Arianos* habuisse,
quemadmodum Ammiano XXIII. 29. *Ariani* populi
in regione *Aria* ponuntur. Alii distinguunt *Arios* &
Arianos : ac *Ariam* & *Arianen* ita , vt tamen vicinitate
coniungant. Fuere autem post *Bactrianam* prope
Indiam, de quibus, etiam de diuersis auctorum sententiis,
plura *Salmastus* tradit *Exerc. Plin. p. 1198. C.*

in Agriaspas, quos iam tunc mutato nomine
 Energetas adpellabant; ex quo frigore victus-
 que penuria Cyri exercitum adfectum, tectis &
 2 commeatibus iuuerant. Quintus dies erat, vt
 in eam regionem peruenerant. cognoscit, Sati-
 barzanem, qui ad Bessum defecerat, cum equi-
 tum manu inrupisse rursus in Arios. Itaque
 Caranum, & Erigyium cum Artabazo & Andro-
 nico, & sex millibus Graecorum peditum, DC
 3 equites sequebantur. Ipse LX diebus gentem
 Energetarum ordinauit, magna pecunia ob egre-
 4 giam in Cyrum fidem donata. Relicto deinde,
 qui iis praecesset, Amenide (scriba is Darii fuerat)
 Arachosios, quorum regio ad Ponticum mare
 pertinet, subegit. Ibi exercitum, qui sub Parme-
 nione fuerat, occupauit. sex millia Macedo-
 num erant, & CC nobiles, & quinque millia
 Graecorum cum equitibus ducentis; haud dubie
 5 robur omnium virium regis. Archosius datus
 Menon praetor, IV millibus peditum, & DC

Agriaspas] Alii *Ariaspas* malunt. ab vrbe *Ariaspae*
 dictos, quam in Drangiana Ptolemaeus locat. C.
 2. vt] postquam. S. *Caranum sequebantur*]
 Haec verba secum inuicem sunt construenda. S.
 3. *ordinauit*] Remp. eorum constituit. S. 4. *ad*
Ponticum mare] Fallitur Curtius, quod nimium a
 Ponto Arachosii remoti sunt. An forte a Graeco
 scriptore hausit, πόντον appellante Indicum mare,
 quemadmodum Arrianus in Ind. c. Reb. p. 549. tradit,
 Alexandrum κατὰ τὸν τὰ νότιον ἐκπλάταις τὸν πόντον,
 per Indi ostia in pontum id est mare, enauigasse?
 Non tamen Arachoti ad illud mare pertinent Gedrosia in
 medio. C. *pertinet*] *pertingit*. S.

equi-

equitibus in praesidium relictis. Ipse rex nationem, ne finitimis quidem satis notam, quippe nullo commercio volentem mutuos usus, cum exercitu intravit. Parapamisadae adpellantur, 6
 agreste hominum genus, & inter barbaros maxime inconditum. locorum asperitas hominum quoque ingenia durauerat. gelidissimum septentrionis axem ex magna parte spectant; Bactrianis ad occidentem coniuncti sunt: meridiana regio ad mare Indicum vergit. Tuguria latere 7
 primo struunt, & quia sterilis est terra materiae, in nudo etiam montis dorso, vsque ad summum aedificiorum fastigium eodem laterculo vtuntur. Ceterum structura latior ab imo, paulatim incremento operis in arctius cogitur: ad vltimum in carinae maxime modum coit. ibi foramine relicto superne lumen accipiunt ad medium. Vites & arbores, si quae in tanto terrae rigore 8
 durare potuerunt, obruunt. Penitus hieme de- 9

6. *Parapamisadae*] Parapamisus regio & mons, quem Macedones Caucasum adpellarunt, in finibus Indiae post Arianos & Arachosios. Incolae eius tractus *Parapamisadae*. C. 7. *gelidissimum axem*] non ohaerent, septentrionis axem spectare, & ad Indicum mare vergere. Ab utroque termino longe amota haec regio. In priori Diodor. decepit XVII. 32. *Παραπamisάδων χώρα νοίται ὑπ' ἀσπας τὰς ἀρκτους,* *Parapamisadarum*, inquit, *regio sub ipsis septentrionibus posita*, quasi pars frigidae Zonaee esset, & propius a polo distaret. Neque Australis pars ad Indicum mare potest vergere, tot vastis regionibus interpositis C. 8. *materiae*] ligni ad aedificandum apti, S.

- fossae latent. quum niue discussa aperiri humus
 11 coepit, caelo folique redduntur. Ceterum adeo
 altae niues premunt terram, gelu & perpetuo
 paene rigore constrictae, vt ne auium quidem,
 feraeue vllius vestigium exstet. Obscura caeli
 verius umbra, quam lux, nocti similis premis
 terram, vix vt, quae prope sunt, conspici possint.
 12 In hac tamen omnis humani cultus solitudine
 destitutus exercitus, quidquid malorum tolerari
 potest, pertulit; inopiam, frigus, lassitudinem,
 13 desperationem. Multos exanimauit rigor inso-
 litus niuis; multorum adussit pedes: plurimo-
 rum oculis praecipue perniciosus fuit. fatigati
 quippe in ipso gelu deficientia corpora sterne-
 bant; quae quum moueri desissent, vis frigoris
 ita adstringebat, vt rursus ad surgendum conuicti
 14 non possent. A commilitonibus torpentes exci-
 tabantur. neque aliud remedium erat, quam

10. *aperiri*] Poëtica haec phrasis est, apud quos
 hiems *claudere* dicitur terram, dum nihil proferre po-
 test: Burmannus ad Petronium c. 122. ver. vero *aperire*
 & *referare*, quando ad fructus ferendos iterum aptari
 potest. Barthius Adv. 33. 3. S. 13 *adussit pedes*] *Solenne*
 Scriptoribus Latinis est, *vrendi* verbum de
 frigore usurpare. Ouid. III. Trist. II. v. 8. *usus ab*
affiduo frigore Pontus. Liuus XI. 45. *hiems arbo-*
res, quae obnoxiae frigoribus sunt, deusserrat cunctas.
 Instinus II. 2. 9. *continuis frigoribus vrantur*. Et
 Silius IV. 68. *ambustus niuosis cautibus*. C. *ocu-*
lis perniciosus] nix diutius spectata nimia candoris
 luce visum praestrinxit. C. *sternebans*] in terram
 reclinabant. S.

vt ingredi cogentur. Tum demum vitali calore moto, membris aliquis redibat vigor. Si 15
 qui tuguria barbarorum adire potuerunt, ce-
 leriter refecti sunt. sed tanta caligo erat, vt aedi-
 ficia nulla alia res quam fumus ostenderet. Illi, 16
 nunquam ante in terris suis aduenâ viso, quum
 armatos repente conspicerent; exanimati metu,
 quidquid in tuguriis erat, adferebant: *vt corpori-*
bus ipsorum parceret, orantes. Rex agmen circum- 17
 ibat pedes, iacentes quosdam erigens, & alios,
 quum aegre sequerentur, adminiculo corporis
 sui excipiens. nunc ad prima signa, nunc in
 medium; nunc in vltimo agmine itineris multi-
 plicato labore aderat. Tandem ad cultiora 18
 peruentum loca est, commeatuque largo recre-
 atus exercitus: simul & qui consequi non potu-
 erant, in illa castra venerunt. Inde agmen pro- 19
 cessit ad Caucasum montem, cuius dorsum Asiam

17. pedes] pedestris, zu fuffe. S. nunc in
 medium] quartus pro sexto casu; nam sequitur nunc
 in vltimo agmine. nec tamen hoc contra latinitatis
 indolem. Sic supra III. 5. 10. in Ciliciam fore, vbi
 vide quae notauimus. Adde ex ad Atticum Ciceronis
 XV. 4. vt certior fieret, quo die in Tusculanum essem
 futurus. C. 19. ad Caucasum] non hic Caucasus
 Colchius est, sed mons in Indiae finibus, cui Parapa-
 miso nomen, saltim eidem connexus aut pars illius.
 Caucasum ergo, Parapamisum, & aliquando etiam
 Taurum, confundit Curtius. Clare Arrianus lib. V.
 post principium: Παραπάμισον ἔντα τὸ ὄρος αὐτὸς
 καλεῖται Κάυκασον, τῆς Ἀλεξάνδρου ἔνεκα δόξης, Para-
 pamisum montem illos (Macedonas) vocasse Caucasum
 in Alexandri gloriam, C. cuius dorsum Asiam

perpetuo iugo diuidit : hinc simul mare quod
 Ciliciam subit, illinc Caspium fretum, & amnem
 Araxem, aliaque regionis Scythiae deserta
 20 spectat. Taurus secundae magnitudinis mons
 committitur Caucaſo, a Cappadocia se ad tollens
 Ciliciam praeterit, Armeniaeque montibus iun-
 21 gitur. Sic inter se tot iuga velut serie cohae-
 rentia perpetuum habent dorsum, ex quo Asiae
 omnia fere flumina, alia in Rubrum, alia in
 Caspium mare, alia in Hyrcanum & Ponticum
 22 decidunt. XVII dierum spatio Caucasum su-
 perauit exercitus. Rupes in eo X in circumitu
 stadia complectitur, quatuor in altitudinem
 excedit; in qua vinctum Promethea fuisse anti-
 quitas tradit. Condendae in radicibus montis
 23 vbi sedes electa est. VII millibus seniorum

diuidit] Tauro haec conueniunt, non Caucaſo, siue
 Ponticum intelligas, siue Indicum. Error ex eo natus,
 quod Caucaſios montes non modo inter Ponticum &
 Caspium, sed etiam inter Parapamisum & Iraum au-
 diuerunt poni, quos putarunt cohaerere. Sic Plinius
 quoque VI. 13. *Perſarum*, inquit, *regna inter duo*
maria Perſicum & Hyrcanum Caucaſiis iugis attol-
luntur. C. mare quod Ciliciam subit] Taurus
 est, non Caucaſus, minus Parapamisus, qui mare
 Ciliciam spectat. C. 20. *Committitur Caucaſo*] Neque
 olchio Caucaſo Taurus committitur proxime.
 Aliorum nominum iuga interſunt. *Salmaſ. Ex Plin.*
pag. 789. Vulgaris tamen opinio est, Taurum Asiā
 diuidere. eiusque ramos esse vtrumque Caucaſum. tam
 qui orientem spectat quam qui Indiam. C. *committitur*,
 id est. *coniungitur. S. 22. vinctum Promethea*]
 Ad Ponticum haec Caucaſum pertinent, non

Mace-

Macedonum & praeterea militibus, quorum opera uti desisset, permiffum, in nouam urbem confidere. Hanc quoque Alexandriam incolae adpellauerunt.

ad Indicum, ut diferte Arrianus tradit p. 317. Fabula autem est, quod ignem Ioui subtractum in terras detulisset. in Caucaſo ad saxum clauis ferreis fuiſſe deligatum, corumque additum, qui cor eius exeſſet: poſt triginta demum annos liberatum eſſe ab Hercule, Arrian. c. l. Hygin. CXLIV. C. 23. Alexandriam] Alexandriam τὴν κτιθεῖσαν ἐν Παραπamiſάδαις, conditam in Parapamiſadis Arrianus IV. pag. 290. adpellat; Plinius IV. 17. ſub ipſo Caucaſo poſitam: Stephanus Byzantius corrupte παρὰ Παραπamiſάδαις id eſt, iuxta Parapamiſadas, ſed perperam coniungit (aut confandit potius) ἐν τῇ Σογδιανῇ in Sogdiana. quum diuerſae urbes ſint, in diuerſis gentibus poſitae, nec continuis, ſed interiacente Baſtriana. C.

CAP. IV.

Bessus de bello aduersus Alexandrum inter epulas conſultat, ſapientique Cobaris conſilio minime acquieſcit. Interim rex Baſtra peruenit, ubi de Graecorum defectione, Satibarzane ſingulari certamine occiſo, aduenit ei nuncius.

AT Bessus, Alexandri celeritate perterritus diis patriis ſacrificio rite facti; ſicut illis

I. ſicut illis gentibus mos eſt] Herodotus de Perſis I. 133. μεθυόμενοι βῶδαι βαλεῦσθαι τὰ σπεδαῖότατα, poti ſolent de ſeriis rebus conſultare. M. X. Tyrius Sermone XXII. ἀνέκειντο τοῖς Πέρσαις κί ββαλῶ εἰς τὰς ἐνωχίαις, conſultationes apud Perſas in conuiuia reiciuntur. C.

gentibus

gentibus mos est, cum amicis ducibusque copia-
 2 rum inter epulas de bello consultabat. Graues
 3 mero suas vires extollere: hostium nunc teme-
 4 ritatem; nunc paucitatem spernere. praecipue
 5 Bessus, ferox verbis, & parto per scelus regno
 6 superbus, ac vix potens mentis, dicere, *ſocordia*
 7 *Darii creuiſſe hoſtium famam. occurriſſe enim in*
 8 *Ciliciae anguſtiſſimis faucibus, quum retrocedendo*
 9 *poſſet perducere incautos in loca naturae ſitu inuia,*
 10 *tot fluminibus obiectis, tot montium latebris, inter*
 11 *quas deprehenſus hoſtis, ne fugae quidem, nedum*
 12 *reſiſtendi occaſionem fuerit habiturus. Sibi pla-*
 13 *cere in Sogdianos recedere, Oxum amnem velut*
 14 *murum obiecturum hoſti; dum ex finitimis genti-*
 15 *bus valida auxilia concurrerent. Venturos autem*
 16 *Choraſmios, & Dahas, Sacasque; & Indos, &*
 17 *ſupra Tanaim amnem colentes Scythas; quorum*
 18 *neminem adeo humilem eſſe, & humeri eius*
 19 *non poſſent Macedonis militis verticem aequare.*

2. graues mero] ebrii. S. extollere, sper-
 nere] extollebant, spernebant. S. 5. in Sogdi-
 anos] Sogdiana poſt Hyrcanum mare inter Oxum &
 Iaxartem fluuios poſita. C. 6. Choraſmios, Da-
 has, Sacas] Infra VIII. 1. 8. Choraſmii Maſſagetis &
 Dahis regionum conſinio iunguntur. Ptolemaeo VI.
 12. Choraſmii in Sogdiana iuxta Oxum amnem, Oxia-
 norum finitimi: Sacae vero ibidem ab ortu Sogdianae
 adponuntur. Dahae Maſſagetis & Sacis finitimi, gens
 aequae, acilli, Scythica. Plinius VI. 17. C. ultra
 Tanaim] Iaxartem fluuium qui inter Scythiam &
 Sogdianam de lapſus mari Hyrcano infunditur, Plinius
 VI. 16. extr. flumen Iaxartem Alexander militesque
 eius Tanaim putauere eſſe, &

Conclamant temulenti, vnam hanc sententiam 7
 salubrem esse : & Bessus circumferri merum largi-
 gius iubet , debellaturus super mensam Alexandrum. Erat in eo conuiuio Cobares, natione 8
 Medus, sed magicæ artis , (si modo ars est, non
 vanissimi cuiusque ludibrium) magis professi-
 one, quam scientia celebrer ; alioquin moderatus
 & probus. Is quum praefatus esset , scire seruo 9
*utilius parere dicto, quam adferre consilium, quum
 illos, qui parent, idem quod ceteros maneat : qui
 vero suadeant, proprium periculum ; poculum ei,
 quod habebat in manu, tradidit. quo accepto*

8. *vanissimi cuiusque*] vnde Plinius ineunte XXX.
magicas vanitates adpellat. C. 9. *seruo utilius
 parere*] quia ex sinistro consilii euentu proprium illi
 periculum est. M. Terentius ad Tiberium apud Tacitum VI. 8. *Tibi summum rerum iudicium dii de-
 dere : nobis obsequii gloria relicta est.* C. *pro-
 prium periculum*] quod consilii auctores manet supra
 communem calamitatem, quo ceteri inuoluuntur. C.
poculum ei] Bessus Cobari. Mos autem fuit in con-
 uiuiis, vt calicem teneret, quem ceteri auscultaturi
 essent. Hinc iocus in Demosthenem apud Plutarchum
 pag. 877. cui quum calix caelatus obiiceretur, & popu-
 lus purgantem audire noller ; non nemo in concione
 dixit : *ἐν κύλικεσθε τὴν κύλικα ἔχοντες ; non audietis
 istum, qui calicem habet ?* vbi vetus scholion in variis
 lectionibus additum : *ἐν τοῖς συμπόσις τὴν κύλικα
 ἔχοντες ἤδον τὰ λεγόμενα σκελιὰ, in comotationibus,
 qui calicem habebant, caneant scolia, quæ adpellan-
 tur, id est, carmina, cantiunculas, vt ex eo signo cogno-
 scerent conuiuæ, cuius esset cantilena siue sermo, &
 se ad illum conuerterent, Freinsheim. C.*

Coba-

- Cobares: *Natura*, inquit, *mortalium hoc quoque nomine prona & sinistra dici potest; quod in suo quisque negotio hebetior est, quam in alieno.*
- 11 *turbida sunt consilia eorum, qui sibi suadent. Obstat metus, aliis cupiditas, nonnunquam naturalis eorum, quae cogitaueris, amor. nam in te superbia non cadit. expertus es vnumquemque, quod ipsa repperit, aut solum aut optimum ducere.*
- 12 *Magnum onus sustines capite, regium insignis. hoc aut moderate perferendum est, aut, quod abominor, in te ruet. consilio, non impetu opus*
- 13 *est. Adiiicit deinde, quod apud Bactrianos vulgo vsurpabant: canem timidum vehementius latrare, quam mordere. altissima quaeque flumina minimo sono labi. Quae inferui, vt qualiscumque inter barbaros potuit esse prudentia,*
- 14 *traderetur. Vt his audientium suspensam dederat expectationem sui, tum consilium aperit,*

11. *in te superbia non cadit*] At vel sola hac impulsus Darius in vincula dederat interfeceratque. *Superbia* autem hoc loco vitium est, quo nobis soli placemus, aliorum consilia & conuersationem despiciamus. C. 13. *canem timidum*] Infra enim IX. 1. 31. *nobiles canes dicuntur, qui latratu abstinent, quam videre feram.* Prouerbum autem in eos cadit, qui vt de Graecis Lilius ait VIII. 22. *lingua magis frenni, quam factis sunt.* C. 14. *Vt his*] ita Tellierus Fienhemii iudicium sequutus, vulgo *In his.* C. Sensus est. Postquam Cobares verbis suis auditores reliquos suspensos (dubios) pariter & auidos fecisset, quidnam ipse esset prolaturus, tum &c. S.

utilius Besso quam gtatius. In vestibulo, inquit, regiae tuae velocissimus consistit rex. Ante ille agmen, quam tu mensam istam mouebis. Nunc 1 ab Tanai exercitum accerses, & armis flumina oppones. scilicet qua tu fugiturus es, hostis sequi non potest? iter utriusque commune est; victori tutius. Licet strenuum metum putes esse; velocior tamen spes est. Quin validioris occupas gratiam, 16 dedisque te, utcumque cesserit meliorem fortunam deditus, quam hostis habiturus. Alienum habes 17 regnum, quo facilius eo careas. incipies forsitan iustus esse rex, quum ipse fecerit, qui tibi & dare potest regnum & eripere. Consilium habes fidele, 18 quod diutius exsequi superuacuum est. Nobilis equus Umbra quoque virgae regitur: ignauus ne calcari quidem concitari potest. Bessus & inge- 19 nio & multo mero ferox, adeo exarsit, ut vix ab amicis, quo minus occideret eum, (nam strinxerat quoque acinacem) contineretur. Certe 20 e conuiuio profiluit haudquaquam potens mentis. Cobares inter tumultum elapsus, ad Alexandrum transfugit. VIII millia Baetrianorum

in vestibulo consistit] iam tibi imminet, es ist uns schon auf dem Halse. S. mensam mouebis] Nam apud antiquos qui, ut notum est, adcumbebant. cum singulis ferculis mensae auferebantur, & cum nouis nouae quoque mensae adponebantur. S. 16. Quin] cur non? S. 17. ipse fecerit] quum ipse, Alexander scilicet te Regem fecerit, tunc tandem eris rex iustus, S.

habebat

habebat armata Bessus, quae quamdiu propter
 coeli intemperiem, Indiam potius Macedonas
 petituos crediderant, obedienter imperata fece-
 runt: postquam aduentare Alexandrum com-
 pertum est; in suos quisque vicis dilapsi, Bessum
 21 reliquerunt. Ille cum clientium manu, qui non
 mutauerant fidem, Oxo amne superato, exustis-
 que nauigiis, quibus transierat, ne iisdem hostis
 vteretur; nouas copias in Sogdianis contrahe-
 22 bat. Alexander Caucasum quidem, vt supra
 dictum est, transierat; sed inopia frumenti prope
 23 ad famem ventum erat. Succo ex sesama ex-
 presso, haud secus quam oleo artus perungebant.
 Sed huius succi ducentis quadragenis denariis
 amphorae singulae; mellis, denariis trecentis
 nonagenis; trecentis vini aestimabantur; tritici

20 *propter Coeli intemperiem*] quia mitius ex
 Perside & vicinis regionibus in Indiam iter est quam
 in Baetrianam per naves Parapamisi sine Caucasi. C.
 21. *cum clientium manu*] Clientes additiores erant
 amici veterum magnatum, qui beneficiis maioribus
 obligati fidem prae ceteris debebant suis illis heroi-
 bus. *Barth. Aduers. LIII. c. XI. C. Oxo amne*] qui
 Baetrianos terminat aduersus Sogdianos. C.
 23. *Succo ex sesama expresso*] Plinius XVIII 10. *Ae-
 stina frumenta diximus sesamam, milium, panicum.
 Sesama ab Indis venit: ex ea & oleum faciunt. C.
 ducentis quadragenis denariis*] denarius hodie vulgo
 rribus grossis aestimatur: ergo 240. denarii sunt monetae
 Misnicae 30. thaleri. *Amphorae* autem modus
 qualis fuerit propter antiquitatis defectum dici non
 potest. S.

nihil

nihil aut admodum exiguum reperiebatur. Siros²⁴
 vocabant barbari : quos ita solerter abscondunt,
 vt nisi qui defoderunt, inuenire non possint.
 In iis conditae fruges erant. In quarum penuria
 milites fluuiatili pisce, & herbis sustinebantur.
 Iamque haec ipsa alimenta defecerant, quum²⁵
 iumenta, quibus onera portabant, caedere iussi
 sunt : horum carne, dum in Baetrianos peruen-
 tum, traxere vitam. Baetrianae terrae multi-²⁶
 plex & varia natura est. alibi multa arbor &
 vitis largos mitesque fructus alit : solum pingue
 crebri fontes rigant : quae mitiora sunt, fru-
 menta conferuntur, cetera armentorum pabulo
 cedunt. Magnam deinde partem eiusdem ter-²⁷
 rae steriles arenae tenent : squalida siccitate regio
 non hominem, non frugem alit : quum vero

24. Siros vocabant] Varro de Re Rust. I. 57.
 Quidam granaria habent sub terris, speluncas, quas
 vocant *σιρῆς*, vt in Cappadocia ac Thracia. Colum-
 mella I. 6. transmarinis prouinciis puteorum in mo-
 dum, quos adpellant Siros, exhausta humus, editos a se
 fructus recipit. Adde Plinium XVIII. 30. Hesy chius:
 Σιρῆς, ἄβυσσος, ἐν οἷς κρυπτοῦντο τὰ σπέρματα. S.
 26. multa arbor & vitis] Singularis pro plurali, pro
 multae arbores & vites, S. mitesque fructus]
 hoc est dulces, maturitate percoctos. Sic mitia poma
 Virgil, Ecl. I. uas a sole mitescere Cic. in Oeconom.
 apud Gell. XV. 5 & mare infuso paludis humore mi-
 tescere nostro dicitur VI. 4. 18. Metonymice mitiora
 (foli) & mitior terra VII. 4. 26. & 30. fertilitatem
 notat : per translationem mite ingenium VIII. 3. 15.
 mitissimus Dominus X. 5. 9. C.

- venti a Pontico mari spirant , quidquid sabuli in
campis iacet , conuerrunt. Quod ubi cumu-
latum est , magnorum collium procul species est,
omniaque pristini itineris vestigia intereunt.
- 28 Itaque qui transeunt campos, nauigantium mo-
do noctu sidera obseruant, ad quorum cursum
iter dirigunt , & propemodum clarior est noctis
29 umbra, quam lux. ergo interdiu inuia est regio,
quia nec vestigium, quod sequantur, inueniunt ;
& nitor siderum caligine absconditur. Cete-
rum si quos ille ventus , qui a mari exoritur,
30 deprehendit, arena obruit. Sed qua mitior ter-
ra est, ingens hominum equorumque multitu-
31 gignitur. Ipsa Bactra, regionis eius caput, sita
32 sunt sub monte Parapamiso. Bactrus amnis

27. a Pontico mari] a Caspio siue Hyrcano, v-
saepe dictum. Quamquam qui a Caspio in Bactri-
anam venti spirant, etiam ab Euxino mari, quod eo-
dem tractu est, dici possunt spirare. Nisi forte in hoc
loco idem accidit, quod notauimus proxime ad cap. 3.
huius libri num. 4. C. 28. sidera obseruant] Idem de Hammonitide Arrianus III pag. 160. & Lu-
canus, quamuis ad Syrtes longius regionem retrahens.
IX. v. 493.

--- nec sunt discrimina terrae

Vlla, nisi aetheriae medio velut aequore flammæ,
Sideribus nouere vias. C.

31. Vulgares libri inter num. 30. & 31. interponunt:
Itaque Bactriani equites XXX. millia expleuerant ;
sed glossam temerariam esse nemo non videt, ideoque
cum Telliero abscidimus. C.

praeterit

praeterit moenia. is vrbi & regioni dedit no-
men. Hic regi statim habenti nunciatur ex
Graecia Peloponnesium Laconumque defectio,
nondum enim victi erant, quum proficiscerentur
tumultus eius principia nunciaturi: & alius prae-
sens terror adfertur, Scythas, qui vltra Tanaim
amnem colunt, aduentare Bessio ferentes opem.
Eodem tempore, quae in gente Ariorum Caranus
& Erigyus gesserant, perferuntur. Commis- 33
sum erat proelium inter Macedones Ariosque.
Transfuga Satibarzanes barbaris praerat; qui
quum pugnam segnem vtrimque aequis viribus
stare vidisset; in primos ordines adequitavit,
demptaque galea, inhibitis qui tela iaciebant;
si quis viritum dimicare vellet, prouocauit ad
pugnam, nudum se caput in certamine habi-
turum. Non tulit ferociam barbari dux exer- 34
citus Erigyus, grauis quidem aetate; sed &
animi & corporis robore nulli iuuenum posse-
rendus. Is galea dempta caniciem ostentans;
*venit, inquit, dies, quo aut victoria, aut morte
honestissima, quales amicos & milites Alexander
habeat, ostendam.* Nec plura eloquutus, equum 35
in hostem egit. Crederes imperatum, vt acies

32. Peloponnesium Laconumque defectio] vide
dicta incunte libro VI C. vltra Tanaim] vltra
Iaxartem, Sogdianae terminum, quem falso Macedones
Tanaim putauerunt esse, vt supra num. 6, notauimus. C.
33 viritum] singulari certamine vt Vopiscus in
Probo cap. 9. & Eutropius II. 1. 3. vocat. C. 35.
imperatum] scilicet, fuisse, ab exercitu vtriusque ducto-
sibus. S.

utraeque tela cohiberent. protinus certe recesserunt dato libero spatio; intenti in euentum, non duorum modo, sed etiam suae sortis, quippe
 36 alienum discrimen sequuturi. Prior barbarus emisit hastam; quam Erigyius modica capitis declinatione vitauit. At ipse infestam sarissam equo calcaribus concito in medio barbari gutturu
 37 re ita fixit, vt per ceruicem emereret. Praecipitatus ex equo barbarus adhuc tamen repugnabat. Sed ille extractam ex vulnere hastam rursus in os dirigit. Satibarzanes hastam manu complexus, quo maturius interiret, ictum hostis
 38 adiuuit. & barbari duce amisso, quem magis necessitate quam sponte sequuti erant, tunc haud immemores meritorum Alexandri, arma Erigyio
 39 tradunt. Rex his quidem laetus, de Spartanis haudquaquam securus, magno tamen animo defectionem eorum tulit; dicens, *non ante ausos consilia nudare, quam ipsum ad fines Indiae peru-*
 40 *nisse cognouissent.* Ipse Bessum persequens copias mouit: cui Erigyius spolia barbari, ceu opimum belli decus praefereus, occurrit.

-
36. *sarissam*] Macedonicam hastam. Vide notatam IV. 15. 13. C. 37. *in os*] *in faciem.* Pars pro toto. S. 38. *arma tradunt*] Deditionis signum, immo pignus. Liuius XXIX. 3. *tradentibus arma & sedentibus sese.* Plura Freinshem. C. 39. *securus*] *sine curis.* S. *nudare*] *aperire.* S. 40. *opimum belli decus*] spolia opima. Vide III. II. 7. C.

CAP. V.

*Exercitus Alexandri, siti liberatus, Oxum amnem
vtribus traiecit. Bessus, dolo captus, ad Ale-
xandrum adducitur. a quo & Darii fratri
Oxathri cruci figendus traditur.*

IGITUR Bactrianorum regione Artabazo
tradita; sarcinas & impedimenta ibi cum
praesidio reliquit. Ipse cum expedito agmine
loca deserta Sogdianorum intrat, nocturno
itinere exercitum ducens. Aquarum, ut ante
dictum est, penuria, prius desperatione, quam
desiderio bibendi sitim accendit. Per CCCC
stadia, ne modicus quidem humor existit.
Arenas vapor aestiui solis accendit, quae ubi
flagrare coeperunt, haut secus quam continenti
incendio cuncta torrentur. Caligo deinde im-
modico terrae feruore excitata, lucem tegit:
camporumque non alia quam vasti & profundi
aequoris species est. Nocturnum iter tolerabile

I. Sogdianorum] Libri ante Glareanum editi *Susi-
tanorum*, obscuro gentis nomine. Sed haec ante traie-
ctum *Oxi* facta, qui terminus Sogdianae est Straboni &
Ptolemaeo. Aut ergo aliud nomen substituendum, aut
eis *Oxum* etiam pars Sogdianae reducenda, uti Diony-
sius Periegeta v. 746. de eadem regione.

--- ἢς διὰ μέσσω ἐλίσσεται ἱερὸς Ὠξός. C.

2. prius desperatione] sciebant milites in illa regi-
one raram esse aquam, & quamuis nondum sitirent, ex
desperatione tamen petierunt aquam, quum scirent, sibi
alias siti pereundum esse. **3. continenti]** per-
petuo. S. **4. lucem tegit]** oculos eorum ita
obcoecauit, ut lucem videre non possent. S.

R

vide-

- videbatur, quia rore & matutino frigore corpora leuabantur. Ceterum cum ipsa luce aestus oritur: omnemque naturalem absorbet humorem siccitas; ora visceraque penitus vruntur.
- 6 Itaque primum animi; deinde corpora deficere coeperunt. pigebat & consistere & progredi.
- 7 Pauci a peritis regionis admoniti praepararant aquam. haec paullisper repressit sitim: deinde crescente aestu rursus desiderium humoris accensum est. Ergo quidquid vini oleique erat, hominibus ingerebatur, tantaque dulcedo bibendi fuit, ut in posterum sitis non timeretur.
- 8 Graues deinde auide hausto humore non sustinere arma; non ingredi poterant; & feliciores videbantur, quos aqua defecerat, quum ipsi sine modo infusam vomitu cogerebantur egerere.
- 9 Anxium regem tantis malis, circumfusi amici *vt meminisset sui*, orabant; *animi sui magnitudinem vnicum remedium deficientis exercitus esse*:
- 10 quum ex iis qui praecesserant ad capiendum locum castris, duo occurrunt vtribus aquam gestantes, ut filiis suis, quos in eodem agmine esse, & aegre pati sitim non ignorabant, occurrerent:
- 11 qui quum in regem incidissent; alter ex iis vtre resolutus, vas, quod simul ferebat, implet, porrigens regi. Ille accipit: percontatus quibus
- 12 aquam portarent; filiis ferre cognoscit. Tunc

7. *tanta dulcedo bibendi*] quando semel vas ad os adponebant, adeo multum vna vice biberunt, ut non cogitarent de futura siti, sed omnia ebiberent. S.

8. *graues*] impleti, inebriati. S.

poculo

poculo pleno, sicut oblatum est, reddito; *nec solus*, inquit, *bibere sustineo; nec tam exiguum dividere omnibus possum. Vos currite, & liberis vestris, quod propter illos adtulistis, date.* Tandem ad flumen Oxum ipse peruenit prima; fere vespera. sed exercitus magna pars non potuerat consequi: in edito monte ignes iubet fieri, ut ii, qui aegre sequebantur, haud procul castris se abesse cognoscerent. Eos autem qui primi agminis erant, mature cibo ac potione firmatos, implere alios vases, alios vasa, quibuscumque aqua possit portari, iussit, ac suis operam ferre. Sed qui intemperantius hauserant, intercluso spiritu extincti sunt: multoque maior horum numerus fuit, quam vlllo amiserat proelio. At ille thoracem adhuc indutus, nec aut cibo refectus aut potu; quâ veniebat exercitus, constitit. nec ante ad curandum corpus recessit, quam praeterierant, qui agmen sequebantur: totamque eam noctem cum magno animi motu perpetuis vigiliis egit. Nec postero die laetior erat, quia nec nauigia habebat; nec pons erigi

23. *prima vespera*] circa initium vesperae. S.
 x6. *quâ veniebat exercitus*] ibi constitit, quò exercitus veniebat. S. *constitit*] Eadem M. Catonis abstinentia. Lucanus IX. 591.

*Vltimus haustus aquae, cum tandem fonte reperio
 Indiga cogatur latices potare iuuentus,
 Stat dum lixa bibat.*

curandum corpus] cibum potumque sumendum & quiescendum. S.

poterat circum amnem nudo solo, & materia maxime sterili. Consilium igitur, quod vnum
 18 necessitas subiecerat, init. vtres quamplurimos stramentis refertos diuidit. his incubantes, transuere amnem: quique primi transierant, in statione erant, dum traicerent ceteri. Hoc modo sexto demum die in vltiore ripa totum
 19 exercitum exposuit. Iamque ad perfequendum Bessum statuerat progredi; quum ea quae in Sogdianis erant, cognoscit. Spitamenes erat inter omnes amicos praecipuo honore cultus a
 20 Besso. sed nullis meritis perfidia mitigari potest. quae tamen iam minus in eo inuisa esse poterat, quia nihil vlli nefastum in Bessum interfectorem regis sui videbatur. Titulus facinoris speciosus praeferebatur, *vindicta Darii*: sed
 21 fortunam, non scelus oderant Bessi. Nam vt

17. *nudo solo*] in quo nulla ligna crescebant, quibus ad conficiendum pontem vt potuisset. S.
 18. *vtres*] quos partim in suppellectile militari habuerant ad aquam portandam aut vinum: partim novos expellibus tentiorum confecerunt. nam materiam eorum Arrianus III, pag. 233. vocat διφθέρας, ἵφ' ἑὶς ἐκὴν οὐκ ἐστρωμέναι. C. *diuidit*] in duas partes dimidias secat. S. 19. *quae in Sogdianis erant*] Et hoc loco *Sustanis* alii, vt principio huius capituli. Post hanc vocem videtur Freinshemio excidisse *acta*. C. 20. *nefastum*] *nefandum*: putem fere ita in Curtio reponendum. S. *Titulus facinoris*] *praetextus*, vt V. 10. 12. adde Iustin. V. 1. 8. XV. 4. 13. C. *fortunam, non scelus*] Spitamenes regiae potestati Bessi inuidebat: non parricidium eius oderat. *Tellier*. C.

Alexan-

Alexandrum Oxum flumen superasse cognouit; Dataphernem & Catenem, quibus a Besso maxima fides habebatur, in societatem rei adsciscit. Illi promptius adeunt, quam rogabantur; adsumptisque octo fortissimis iuuenibus, talem dolum intendunt. Spitamenes pergit ad Bessum,²² & remotis arbitris, *comperisse ait se, insidiari ei Dataphernem & Catenem: ut vinum Alexandro traderent agitantes; a semet occupatos esse, & vinctos teneri.* Bessus tanto merito, ut crede-²³ bat, obligatus; partim gratias agit, partim audus explendi supplicii adduci eos iubet. Illi²⁴ manibus sua sponte religatis a participibus consilii trahebantur: quos Bessus truci vultu intuens consurgit, manibus non temperaturus. At illi simulatione omissa circumstunt eum, & frustra repugnantem vinciunt; direpto ex capite regni insigni, lacerataque veste, quam spoliis occisi regis induerat. Ille deos sui sceleris vltro²⁵ res adesse confessus, adiecit, *non Dario iniquos fuisse, quem sic vlciscerentur; sed Alexandro propitios, cuius victoriam semper etiam hostis adiunisset.* Multitudo an vindicatura Bessum fuerit,²⁶ incertum est; nisi illi, qui vinxerant, iussu

22. *agitantes*] subaudi *secum h. e. consilium capi-*
entes. S. 24. *manibus non temperaturus*] quin
 eos occideret. *S.* 25. *victorium hostis adiunisset*]
 satrapae prouincias, munitas v. bes, & thesauros tra-
 dendo: Bessus Darium interficiendo: Spitamenes ac
 socii vinciendo Bessum. *C.*

Alexandri fecisse ipsos ementiti, dubios adhuc
 27 animi tenuissent. In equum impositum Ale-
 xandro tradituri ducunt. Inter haec rex, qui-
 bus matura erat missio, electis DCCCC fere,
 equiti bina talenta dedit; pediti terna denarium
 millia: monitosque ut liberos generarent, remi-
 sit domum. Ceteris gratiae actae, quod ad
 reliqua belli nauaturos operam pollicebantur.
 28 Peruentum erat in paruulum oppidum, Bran-
 chidae eius incolae erant. Mileto quondam
 iussu Xerxis, quum e Graecia rediret, transi-
 erant, & in ea sede constiterant, quia templum,
 quod Didymaeon adpellatur, in gratiam Xerxis

26. *dubios animi*] *dubitantes in animo suo*, quid-
 nam facerent. S. 27. *matura erat missio*] tem-
 pus aderat, ut ab exercitu & militia dimitterentur.
 Nam *missio* a Romanis dicebatur dimissio militis ab
 exercitu, & qui Ducis iussu dimittitur, *honestam missione*
missus dicitur. S. 27. *bina talenta*] Talentum
 sexaginta minas siue sex drachmarum millia continet.
 Vide Festum. Varium quidem, sed plerumque Atti-
 cam siue commune intelligitur, quod nostrae monetae
 DCCL vallisibus siue imperialibus thaleris respon-
 det. Drachma enim valet octauam thaleri partem. C.
terna denarium millia] Denarius argenteus Drach-
 mam aequat. C. *nouaturos*] subaudi se. S.
 28. *Branchidae*] neque populus neque ciuitas erant,
 sed familia, cuius capiti Brancho & posteris eius custo-
 dia templi Didymaei apud Miletum concredita fuerat.
 Hi thesauris sacris Xerxi proditis eundem fugientem
 in Asiam sequuti, in paruam ibi ciuitatem excreuerunt.
Strab. lib. XI. & XIV. C. *Didymaeum adpel-*
latur] Didyma locus prope Miletum Ioniae ybem,
 unde *Didymaei Apollinis templum & oraculum*

viola-

violauerant. Mores patrii nondum exoleue-² 9
 rant; sed iam bilingues erant, paullatim a dome-
 stico externoque sermone degeneres. Magno
 igitur gaudio regem excipiunt, urbem seque
 dedentes. Ille Milesios, qui apud ipsum mili-
 tarent, conuocari iubet. Vetus odium Milesii³ 0
 gerebant in Branchidarum gentem. Proditis
 ergo, siue iniuriae, siue originis meminisse mal-
 lent; liberum de Branchidis permittit arbitrium.
 Variantibus deinde sententiis; seipsum confide-³ 1
 raturum quod optimum factu esset, ostendit.
 Postero die occurrentibus, Branchidas secum
 procedere iubet. Quumque ad urbem ventum
 esset; ipse cum expedita manu portam intrat.
 Phalanx moenia oppidi circumire iussa; & dato³ 2
 signo diripere urbem proditorum receptaculum,
 ipsosque ad vnum cadere. Illi inermes passim³ 3
 trucidantur, nec aut commercio linguae, aut
 supplicum velamentis precibusque inhiberi cru-

cognominatur, cuius cura & sacerdotium penes Bran-
 chidarum familiam erat. Pomp. Mela I 17. in Ionia:
 oraculum Apollinis, dictum olim Branchidae, nunc
 Didymaei. C. 29. bilingues] Graece & bar-
 bare loquentes. C. 30. liberum permittit arbi-
 trium] ita enim Lilius XXXII. 37. Quinctio liberum
 arbitrium pacis ac belli permissum & XXXVII. 1.
 senatui liberum arbitrium de se permitterent. vt
 non sit quod in epitheto tautologiam meuas. C.
 33. supplicum velamentis] Velamenta quoque & in-
 fulae in habitu supplicum erant. Lilius XXV. 25.
 legati cum infulis & velamentis venerunt, precantes,
 vt caedibus & incendiis parceretur. Tacitus Hist. I. 66.

delitas potest. Tandem vt deiicerent, funda-
 34menta murorum ab imo moliuntur, ne quod vr-
 bis vestigium exstaret. Nec mora, lucos quoque
 sacros non caedunt modo; sed etiam exstir-
 pant: vt vasta solitudo & sterilis humus, excussis
 35etiam radicibus, linqueretur. Quae si in ipsos
 prodicionis auctores excogitata essent; iusta
 vltio esse, non crudelitas videretur; nunc cul-
 pam maiorum posteris luere, qui ne viderant
 quidem Miletum, adeo Xerxi non potuerant
 prodere. Inde processit ad Tanaim amnem.
 36Quo perductus est Bessus non vinctus modo;
 sed etiam omni velamento corporis spoliatus.
 Spitamenes eum tenebat collo inserta catena;
 tam barbaris, quam Macedonibus gratum spe-
 37ctaculum. Tum Spitamenes, *Et te, inquit, Et*
Darium reges meos vltus, interfectorem domini
sui adduxi, eo modo captum, cuius ipse fecit exem-
plum. Aperiat ad hoc spectaculum oculos Dari-
us: existat ab inferis, qui illo supplicio indignus

velamenta Et infulas praeferentes flexere militum
animos. & III. 31. mox velamenta Et infulas Cremon-
enses pro muris ostentant. C. 35. crudelitas
videretur] Inhumanum quippe nostro videtur in
posteris, & quidem ex tanto interuallo, vindicare,
quod maiores ipsorum peccauerant. C. ad
Tanaim] laxarem, vt semel & iterum diximus ad
VII. 4. Quod enim Macotim, quae Tanaim haurit, &
Caspum mare coniungi veteres putarunt. vt ex Strabo-
ne ad cap. VII. mox adnotabimus; fluuios etiam maio-
res, in vtrumque se infundentes, pro vno habuerunt. C.
36. spoliatus] exrtus. S. 37. existat] malo

fuit;

fuit; & hoc solatio dignus est. Alexander mul-³ 8
 tum collaudato Spitamene conuersus ad Bessum,
 Cuius, inquit, ferae rabies occupauit animum
 tuum, quum regem de te optime meritum prius
 vincire; deinde occidere sustinuisti? Sed huius
 parricidii mercedem falso regis nomine persoluisti
 tibi. Ille facinus purgare non ausus; regis titu-³ 9
 lum se vsurpare dixit, vt gentem suam tradere ipsi
 posset: qui si cessasset, alium fuisse regnum occupa-
 turum. At Alexander Oxathrem fratrem Darii,⁴ 0
 quem inter corporis custodes habebat, propius
 iussit accedere; tradique Bessum ei, vt cruci ad-
 fixum mutilatis auribus naribusque sagittis con-
 ficerent barbari; adferuarentque corpus, vt ne
 aues quidem contingerent. Oxathres cetera sibi⁴ 1
 curae fore pollicetur. Aues non ab alio, quam
 a Catene posse prohiberi adiicit; eximiam eius
 artem cupiens ostendere. namque adeo certo
 ictu destinata feriebat, vt aues quoque exciperet.
 Nam etsi forsitan sagittandi tam celebri vsu mi-⁴ 2
 nus admirabilis videri haec ars possit; tamen in-
 gens visentibus miraculum, magnoque honori
 Cateni fuit. Dona deinde omnibus, qui Bessum⁴ 3
 adduxerant, data sunt. Ceterum supplicium

Iegere: *exsurgat*, nam praecedit: *aperiat oculos:*
existere vero ab inferis nihil est. S. 38. *per-*
soluisti tibi] in mercedem sceleris tibi regium no-
 men sumisti. Ceterum *tibi* pro vulgari *ibi*, distin-
 ctione paullo transmota, ex Acidali ingenio est. C.
 41. *aves exciperet]* volantes quoque sagitta transi-
 geret. C.

eius distulit, vt eo loco, in quo Darium ipse occiderat, necaretur.

43. *eo loco in Darium*] At infra cap. 10. n. 10, & apud Arrianum IV. p. 255. Ecbatana missus dicitur, vt in Persarum Medorumque concilio damnatus poenarum proditi interfectique Darii persolueret. C.

CAP. VI.

Barbarorum & Macedonum certamen. Alexandri beneuolentia varias expugnat vrbes. Sed & Alexandriam ad Tanaim condit animum, brenis, sive quoque temporis absoluit spatio.

- 1 **I**NTEREA Macedones ad petendum pabulum in composito agmine egressi, a barbaris, qui de proximis montibus decurrerunt, opprimuntur; pluresque capti sunt quam occisi.
- 2 barbari autem captiuos prae se agentes, rursus in montem recesserunt. XX millia latronum erant:
- 3 fundis sagittisque pugnam inuadunt. Quos dum obsidet rex, inter promptissimos dimicans sagitta ictus est, quae in medio crure fixa reliquerat spiculum. illum quidem moesti & adtoniti Macedones in castra referebant: sed nec barbaros sefellit subductus ex acie rex; quippe
- 5 ex edito monte cuncta prospexerant. Itaque

1. *opprimuntur*] sic wurden überfallen. S.
 2. *pugnam inuadunt*] dura est haec phrasia, nisi pugnam pro pugnantibus accipias. S. 4. *nec barbaros sefellit*] probe sciebant barbari Regem ex acie subductum esse. Litotus, S.

postero

postero die misere legatos ad regem, quos ille protinus iussit admitti; solutisque fasciis magnitudinem vulneris dissimulans, crus barbaris ostendit. Illi iussi considerare adfirmant non 6
Macedonas; quam ipsos fuisse tristiores cognito
vulnere ipsius: cuius si auctorem reperissent,
dedituros fuisse. cum diis enim pugnare sacri-
legos tantum. Ceterum se gentem in fidem dede- 7
re, superatos virtute illius. Rex fide data, &
captivis receptis, gentem in deditioem accepit. 8
 Castris inde motis lectica militari ferebatur, 8
 quam pro se quisque eques pedesque subire certabant. Equites, cum quibus rex proelia inire solitus erat, sui muneris id esse censebant. Pedites contra quum saucios commilitones ipsi gestare adsueverunt; eripi sibi proprium officium tum potissimum, quum rex gestandus esset, querebantur. Rex in tanto utriusque partis certamine, & sibi difficilem, & praeteritis grauem electionem futuram ratus; in vicem subire eos iussit. Hinc quarto die ad urbem Maracanda 10
 peruentum est. LXX stadia murus urbis amplectitur. arx nullo cingitur muro. Praefidio 11
 urbi relicto, proximos vicos depopulatur, atque

6. *cum diis pugnare sacrilegos*] Manifesta adulatio, qua caussana reddunt, cur a bello aduersus Alexandrum abstineant. C. 8. *quam subire*] ut ea lectica scilicet regem ferrent. S. 9. *praeteritis*] iis, qui in gestatione regis praeteribantur. S. *grauiem*] non incundam sed aduersam potius. S. 10. *Maracanda*] Regia haec urbs Sogdianae fuit; alia eiusdem nominis Bactriana. C.

vrit. Legati deinde Abiorum Scytharum superueniunt; liberi ex quo decesserat Cyrus; tum imperata facturi. Iustissimos barbarorum constabat: armis abstinebant nisi laceffiti. Liberratis modico & aequali vsu, principibus humiliores pares fecerunt. Hos benigne adloquutus, ad eos Scythas, qui Europam incolunt, Penidam quemdam misit ex amicis, qui denunciaret eis, *ne Tanaim, amnem regionis, iniussu regis transirent.* eidem mandatum, *vt contempleretur locorum situm; & illos quoque Scythas, qui super Bosporo incolunt, viferet.* Condendae urbi sedem super ripam Tanais elegerat; claustrum etiam perdomitorum, & quos deinde adire decreuerat. Sed consilium distulit Sogdiano-

11. *Abiorum Scytharum*] Incerta horum sedes. Cum Europaeis coniungit Strabo lib. VII; Ptolemaeus VI. 16. extra Imaum locat: Ammianus XXIII. 25. *sub aquilone* ponit, contra gentes quas Oxus adluit. C.

iustissimos] Homerus Iliad N. v. 6.

--- Αβλων τε, δικαιοτάτων ἀνδρῶπων.

Ammianus c. 1. de iisdem, *genus piissimum, calcare sancta mortalia consuetum.* C.

12 *Penidam*] varie scribitur. Tellierus substituit *Berden*, ex VIII. 1. 7. C.

ne Tanaim transirent] verus quidem Tanais Scythas Europaeos discernit ab Asiaticis; non autem vibs quae hec *super ripam Tanais condenda* dicitur, in illius, sed laxatis ora fuit, qui longius abest ab Europa. Coniungunt tamen & confundunt rerum Macedonicarum scriptores

ὡς τε τῆ φήμῃ γε κἀκεῖνων δόξει τῶν μερῶν κρατεῖν τὸν Ἀλέξανδρον, *vt quoque fama iactaret istas etiam partes fuisse ab Alexandro subactas.* Strab. XI p. 351. C. *super Bosporo*] *iuxta Bosporum, S.*

rum nunciata defectio, quae Baetrianos quoque traxit. VII millia equitum erant, quorum 14 auctoritatem ceteri sequebantur. Alexander Spitamenem & Catenem, a quibus ei traditus erat Bessus, haud dubius quin eorum opera redigi possent in potestatem, coercendo eos, qui nouauerant res, iussit accersiri. At illi defectio-¹⁵ nis, ad quam coercendam euocabantur, auctores, vulgauerant famam; *Baetrianos equites a rege omnes, vt occiderentur accersiri: idque imperatum ipsis, non sustinuisse tamen exsequi; ne inexpressibile in populares facinus admitterent. Non magis Alexandri saeuitiam; quam Bessi parricidium ferre potuisse.* Itaque sua sponte¹⁶ iam motos, metu poenae haud difficulter concitauerunt ad arma. Alexander transfugarum defectione comperta, Craterum obsidere Cyropolim iubet: ipse aliam urbem regionis eiusdem corona capit; signoque, vt puberes interficerentur, dato, reliqui in praedam cessere victoris: urbs diruta est, vt ceteri cladis exemplo continerentur. Memaceni valida gens obsidi-¹⁷ onem non vt honestiorem modo, sed etiam vt tutiorem ferre decreuerant. Ad quorum pertinaciam mitigandam rex quinquaginta equites

16. iam motos] eos qui iam sua sponte moti erant. S. Cyropolim] a Cyro in limite Persa um regni conditam: Ptolemaeo *Κυροπόλις* est quasi ultima Cyra, in ripa Saxartis. C. corona capit] Dicitum supra IV. 6 10. C. continerentur] in officio retinerentur. S. 17. Memaceni] nomen ignotum aliis geographis & historicis. C.

- praemisit; qui clementiam ipsius in deditos, simulque inexorabilem animum in deuictos
- 18 ostenderent. Illi nec de fide, nec de potentia regis ipsos dubitare respondent; equitesque tendere extra munimenta vrbis iubent. Hospitaliter deinde exceptos, grauesque epulis & somno,
- 19 in tempesta nocte adorti interfecerunt. Alexander haud secus, quam par erat motus, urbem corona circumdedit; munitiorem, quam ut primo impetu capi posset. Itaque Meleagrum & Perdiccam in obsidionem iungit, Cyropolim
- 20 ut ante dictum est, obsidentes. Statuerat autem parcere vrbi conditae a Cyro: quippe non alium gentium illarum magis admiratus est, quam hunc regem, & Semiramim, in quibus & magnitudinem animi, & claritatem rerum longe
- 21 emicuisse credebat. Ceterum pertinacia oppidanorum eius iram accendit. Itaque captam urbem diripere iussit delectos Macedones, haud iniuria infestos & ad Meleagrum & Perdiccam
- 22 redit. Sed non alia vrbs fortius obsidionem tulit: quippe & militum promptissimi cecidere; & ipse rex ad vltimum periculum venit. namque ceruix eius saxo ita icta est, ut oculis caligine offusa conlaberetur, ne mentis quidem compos.
- 23 exercitus certe velut erepto eo ingemuit. Sed inuictus aduersus ea, quae ceteros terrent, non-

18. *tendere] castra habere, vel in castris esse, quod iam supra adfuit. S.* 21. *haud iniuria infestos] qui vrbi non sine causa infesti erant. S.*

dum percurato vulnere, acrius obsidioni institit, naturalem celeritatem irā concitante. Cuniculo ergo suffossa moenia, ingens nudauere spatium; per quod inrupit, victorque urbem dirui iussit. Hinc Menedemum cum III millibus ped-24
ditum, & DCCC equitibus ad urbem Maracanda misit. Spitamenes transfuga praefidio Macedonum inde deiecto, muris urbis eius incluserat se: haud oppidanis consilium defecti-
onis adprobantibus. sequi tamen videbantur, quia prohibere non poterant. Interim Alexan-25
der ad Tanaim amnem redit, & quantum soli occupauerant castris, muro circumdedit. LX
stadiorum urbis murus fuit, hanc quoque urbem *Alexandriam* adpellari iussit. Opus tanta cele-26
ritate perfectum est, ut decimo septimo die, quamunimenta excitata erant, tecta quoque urbis
absoluerentur. Ingens militum certamen inter ipsos fuerat, ut suum quisque mu-
sus (nam diuisum erat) primus ostenderet. Incolae nouae-27
urbi dati captiui, quos reddito pretio dominis liberauit, quorum posterum nunc quoque nondum apud eos tam longa aetate propter memoriam Alexandri exoleuerunt.

23. percurato] penitus curato. S. Cuniculo]
Ab omni defensione nudatum esset. S. 25. Ale-
xandriam] Stephano decima octaua est cum falso
Tanais cognomine, id est super ripam Iaxartis. Eadem
est Sogdianae Alexandria. Adi Holsten, C. 26.
excitata] erecta, exaedificata. S.

CAP. VII.

De bello Scythis inferendo Alexander aeger ex vulnere cum suis inivit consilium. Aristander vates regis voluntati extorum accommodat significata. Menodemus a Spitamene per insidias cum duobus millibus & CCC equitibus a Dabhis interficitur: quod callide admodum dissimulat Alexander.

- 1 **R**EX Scytharum, cuius tum ultra Tanaim imperium erat, ratus eam urbem, quam in ripa amnis Macedones condiderant, suis impositam esse ceruicibus; fratrem Cartasim nomine cum magna equitum manu misit ad diruendam eam, proculque amne submouendas Macedonum copias. Bactrianos Tanais ab Scythis,

2. *Bactrianos Tanais ab Scythis*] Geminus error. Si falsum Tanaim, hoc est Iaxartem siue Orxantem intelligis, neque Europaeos ille Scythas; sed Asiaticos; neque ab his Bactrianos distinguit, sed Sogdianos, qui inrer Iaxartem & Bactrianam lato interuallo positi sunt, interfluente etiam Oxo amne: si verum Tanaim; Europaeos quidem adluit, non autem Bactrianos aut vicinas gentes separat. Sed solenne nostrum est Euxinum Pontum cum Hyrcano mari, & verique adiacentes regiones miscere. Nec vero primus fuit Curtius, qui ita erravit, sed multi ante ipsum, qui Alexandri res gestas scripserunt, censuerunt idem. De his Strabo lib. XI. pag. 351. εἰς τὸν συνῆγον τὴν τε Μαιώτιν λίμνην, τὴν δεχομένην τὸν Τάναϊν, καὶ τὴν Κασπίαν θάλατταν, λίμνην καὶ τάσιν καλῶντες, καὶ συντετρησθαι φάσκοντες πρὸς ἀλλήλους ἀμφοτέρως, ἐκατέρων τε εἶναι μέρος τῆς ἑτέρας. *In unum conduxerunt Maeotidem paludem, quae Tanaim haurit, & Caspium mare:*
quos

quos Europaeos vocant, diuidit. Idem Asiam 3
 & Europam finis interfuit. Ceterum Scytharum
 gens haud procul Thracia sita ab oriente ad
 septentrionem se vertit; Sarmatarumque, vt
 quidam credere, non finitima, sed pars est.
 Recta deinde regione in aliam vltra Istrum iacen- 4
 tem coit: vltima Asiae, qua Baetra sunt, strin-
 git, quae septentrioni proxima sunt: profundae
 inde siluae, vastaeque solitudines excipiunt:
 rursus quae ad Tanaim & Baetra spectant,
 humano cultu haud disparia sunt. Primum 5

*hoc quoque paludem nuncupantes, dicentesque meatu
 quodam effosso inter se coniungi, & vnam esse alterius
 partem: C. 4. regione in aliam coit] vulgo
 regionem aliam colit. Tellierus Merulam sequutus
 Recta deinde regione Alaunum vltra Istrum iacentem,
 & vltima Asiae &c. Vtraque lectio ex coniectura est,
 libris deficientibus: altera vulgatae proprior. Sensus
 Curtii (quam verus, alibi diximus) videtur hic esse:
 Scythiae regionem transistraniam cum vltimis Asiae,
 Baetrina & So^diana, recto tractu cohaerere. An-
 gustum enim nimis intervallum inter Maeotim seu Ponti-
 oram, & regiones, quae post Hyrcanum mare sunt,
 credidit, deceptus ab antiquis Alexandri rerum scripto-
 ribus. C. humano cultu haud disparia] Par
 aliquando notat id, quod alicuius intentionem & volun-
 tatem sequitur. Sic terra haud dispar h. e. par hu-
 mano cultui est talis, quae intentioni & votis agrico-
 larum respondet, & bonos fructus fert. S. 5. Pri-
 mum] vulgo Primus quod cum historia pugnat, quae
 Cyrum aliosque ante Alexandrum aduersus hos Scythas
 pugnasse edocet. Freinshemius non ad bellum refert,
 quamuis nec sic ineptum sensum gignat; sed separatim
 & aduerbialiter interpretatur. C.*

- cum hac gente non prouisum bellum Alexander gesturus, quum in conspectu eius obequitaret hostis, adhuc aeger ex vulnere, praecipue voce deficiens, quam & modicus cibus & ceruicis extenuabat dolor, amicos in consilium aduocari
- 6 iubet. Terrebat eum non hostis, sed iniquitas temporis. Bactriani defecerant: Scythae etiam lacescebant: ipse non sistere in terra; non equo vehi, non docere, non hortari suos poterat.
- 7 Ancipiti periculo implicitus, deos quoque incusans, querebatur, *se iacere segnem, cuius velocitatem nemo antea valuisset effugere. Vix suos*
- 8 *credere non simulari valetudinem.* Itaque qui post Darium victum ariolos & vates consulere desierat; rursus ad superstitionem humanarum gentium reuolutus, Aristandrum, cui credulitatem suam addixerat, explorare euentum rerum sacrificiis iubet. Mos erat autem aruspiciibus extra sine rege spectare; & quae portenderentur,
- 9 referre. Inter haec Rex, dum fibris pecudem explorantur euentus latentium rerum, propius

non prouisum] quod Alexander non statuerat Scythis, vt Dario & Besso, bellum inferre: sed quum urbem conderet ad Iaxartem, a Scythis renitentibus coactus fuit ad bellum suscipiendum. C. 6. *docere*] praecipere, quid faciendum esset. C. 7. *deos quoque incusans*] Vide VI. 2. 19. C. 8. *extra sine rege*] Vnde etiam Romanis formula est *extra nunciare*. Sueton. Caes. 77. *sine corde extra sacro quodam nunciante*: quamquam non desunt exempla, vbi ipsi principes extispicio interfuerint, v. g. Liv. XXIX. 27. Tacit. Hist. IV. 27. 4. C.

ipsum

ipsum confidere amicos iubet, ne contentione
 vocis cicatricem infirmam adhuc rumperet.
 Hephæstion, Craterus, & Erigyus erant cum
 custodibus in tabernaculum admissi. *Discrimen*, 10
 inquit, *me occupavit meliore hostium, quam meo*
tempore. Sed necessitas ante rationem est: maxi-
me in bello, quo raro permittitur tempora eligere.
Defecere Bactriani, in quorum cervicibus stamus. 11
 Et quantum in nobis animi sit, alieno Marte
 experiuntur. Haud dubie si omiserimus Scythas
 viro arma inferentes; contempti ad illos, qui
 defecerunt, reuertemur. Si vero Tanaim transie- 12
 rimus, Et ubique inuictos esse nos Scytharum per-
 nicie ac sanguine ostenderimus; quis dubitabit
 patere etiam Europam victoribus? Fallitur, qui 13
 terminos gloriæ nostræ metitur spatio, quod
 transituri sumus. Vnus amnis interfluit, quem
 si traicimus, in Europam arma proferimus. Et 14
 quanti aestimandum est, dum Asiam subigimus.

9. contentio vocis] est nimius clamor, wenn man
 den halß so sehr dran streckt. S. 10. *Discrimen*
] Pericula. bellum, quod a Scythis infertur tem-
 pore opportuniore hostibus, quam mihi. C. *ne-*
cessitas ante rationem] Immo pars rationis est, neces-
 sitati parere. Plin. VI. epist. 29. C. 11. *alieno*
Marte] bello Scythico, quod sine dubio nobis con-
 flant, experiri volunt, quantum valeamus. C.
 13. *Vnus amnis interfluit*] Vetus error Curtii, Ia-
 xartem cum Tanai confundentis. Satis longo enim ab
 Europa interuallo Alexander aberat. Vide notata
 C. 4. & 6. C.

in alio quodammodo orbe tropaea statuere: & quae tam longo interuallo natura videtur dimisse, vna victoria subito committere? At hercule si paullulum cessauerimus; in tergis nostris Scythae haerebunt. An soli sumus qui flumina transmare possumus? Multa in nosmet ipsos recident, quibus adhuc vicimus. Fortuna, belli artem victos quoque docet. Viribus annem traiciendi exemplum fecimus nuper: hoc vt Scythae imitari nesciant, Baetriani docebunt. Praeterea vnus gentis huius adhuc exercitus venit, ceteri expectantur. Ita bellum vitando alemus; & quod inferre possemus, accipere cogemur. Manifesta est consilii mei ratio: sed an permissuri sint Macedones animo vti meo, dubito; quia ex quo hoc vulnus accepi, non equo veltus sum, non pedibus ingressus. Sed si me sequi vultis, valeo amici. Satis virium est

14. in alio orbe] in Europa, parte orbis alia. Synecdoche. C. committere] Europae & Asiae imperium coniungere. C. Multa in nosmet ipsos.] Multa consilia, & alia quibus haecenus vicimus, in nosmet ipsos recident, ita vt hostes iis contra nos ipsos vtantur. S. 16. belli artem victos] qua saepe postea contra victores vtuntur. Exemplo sunt Iudaei a Pompeio expugnati, apud Tacitum Hist. V. 12. 2. C. vt] pro licet, quamuis. Sensus: quamuis Scythae id iam imitari nesciant, Baetriani tamen eos hoc docebunt. S. 17. bellum vitando alemus] Tacitus III 41. Tiberius aluit dubitatione bellum. C. inferre] bellum est, quando nos hostem, adgredimur: accipere, quando expectamus, donec nos hostis adgrediatur. C.

ad

ad toleranda ista. aut si iam adest vitae meae
 finis, in quo tandem opere melius exstinguar?
 Haec quassa adhuc voce subdeficiens, vix proxi- 20
 mis exaudientibus dixerat; quum omnes a tam
 praecipiti consilio regem deterrere coeperunt.
 Erigyus maxime: qui haud sane auctoritate 21
 proficiens apud obstinatum animum supersti-
 tionem, cuius potens non erat rex, incutere
 tentavit, dicendo, *deos quoque obstare consilio;*
magnumque periculum, si flumen transisset, ostendi.
 Intransi Erigyio tabernaculum regis Aristander 22
 occurrerat, tristitia exta fuisse significans: haec
 ex vate comperta Erigyus nunciabat. Quo 23
 inhibito, Alexander, non ira solum, sed etiam
 pudore confusus, quod superstitio, quam cela-
 uerat, detegebatur; Aristandrum vocari iubet.
 Qui vt venit, intuens eum; *non rex, inquit, sed 24*
privatus sum. sacrificium vt faceres, mandavi.
quid eo portenderetur, cur apud alium, quam
apud me professus es? Erigyus arcana mea &
secreta te prodente cognouit. Quem certum me

19. *in quo opere melius exstinguar?*] Egregiae
 apud nostrum in hanc rem sententiae III. 8. 21. VII. 4. 34.
 & apud Plutarchum in Apophthegm. Epaminondas
 dixit τὸν ἐν πολέμῳ θάνατον εἶναι κάλλιον. C.
 20. *subdeficiens*] paulatim in deficiens. S. 21.
cuius potens non erat] nimium superstitioni dedi-
 tus erat, vt non posset cuiquam aduersari, qui illum
 superstitione aliqua terrebat vel inuoluebat. S.
 23. *Quo inhibito*] Erigyio scil. ne plura loqueretur. S.

hercule

hercule habeo extorum interprete vti metu suo.
 25 *Tibi autem, quam potest, denuncio, ipse mihi*
indices, quid ex extis cognoueris; ne possis infi-
 26 *ciari dixisse, quae dixeris. Ille ex sanguis ad to-*
nitoque similis stabat, per metum etiam voce
suppressa: tandemque eodem metu stimulante,
ne regis expectationem moraretur; magni,
inquit, laboris, non inriti discrimen instare
praedixi. nec mea ars, quam benevolentia me
 27 *perturbat. Infirmitatem valetudinis tuae video,*
et quantum in vno te sit, scio. Vereor, ne non
 28 *praesenti fortunae tuae sufficere possit. Rex ius-*
sum confidere felicitati suae, remisit. Sibi
 29 *enim alia ad gloriam concedere deos. Consul-*

24. *interprete vti metu suo*] non ex rei veritate interpretari, sed prout metus periculi omnia in peiorem partem conuertens, ipsi suaferat. C. 25. *quam potest*] quantum potest a me denunciari: & imperari: siue. quam grauiter potest. C. 26. *non inriti*] qui labor tamen non est inritus vel frustraneus. S. *nec mea ars*] omisa est per ellipsin particula *tam*, hoc sensu: *non me tam mea ars* (exta inspiciendi) *perturbat* (hanc enim probe noui) *quam benevolentia*, qua ego tibi bene volo. Verebatur enim, ne Alexandro aliquid mali obuerfaretur, & haec *benueolentia* eum perturbatum faciebat. S. 27. *ne non*] pro *ut*, quod h. l. negatiue explicandum. S. 28. *iussum confidere*] iussit varem bono animo esse; quamuis enim exta Regi non admodum felicem fortunam portendant, suam tamen felicitatem, qua semper haecenus vsus sit, sibi facere confidentiam. S. *Sibi enim alia ad*] Obscura sententia, & dubium an satis salua, Remisit ad iterandum sacri-
 tanti

tanti deinde cum iisdem, quonam modo flumen
 transirent? superuenit Aristander, non alias
 laetiora exta vidisse se adfirmans: *Siquae prio-*
ribus longe diuersa tum sollicitudinis causas
apparuisse; nunc prorsus egregie litatum esse.
 Ceterum quae subinde nunciata sunt regi, conti-3
 nuae felicitati rerum eius imposuerant labem.
 Menedemum, vt supra dictum est, miserat ad 3 I
 obsidendum Spitamenem Bactrianae defectionis
 auctorem. Qui comperto hostis aduentu, ne
 muris vrbs includeretur; simul fretus accipi
 posse, quā venturum sciebat, confedit occultus.
 Siluestre iter aptum insidijs tegendis erat: ibi 3 2
 Dahas condidit. Equi binos armatos vehunt,
 quorum inuicem singuli repente desiliunt: eque-
 stris pugnae ordinem turbant. equorum velo-3 3
 citati par est hominum pernicitas. Hos Spita-
 menes saltum circumire iussos pariter & a late-

ficiam, & bono animo esse iussit, quia sciret, deos
 sibi non posse ad gloriam non propitios esse. C.
 29. *litatum esse*] Pontificium verbum, quo felices
 in sacrificiis significationes notantur: imminente peri-
 culo aiunt *litare non potuisse*, quod de Caesare refert
 Suetonius c. 81. de Tullo Hostilio Aurel. Victor in Vit.
 Illust. c. 4. C. 32. *insidijs*] iis qui ad tenden-
 das insidias conlocati erant. S. Dahas] Dahae
 gens Scythicae originis. Vide IV. 12. 6. & VII. 4. 6. Ex
 hac gente delectos milites habuit Spitamenes. C.
condidit] occultauit, in insidias reposuit. S. *inui-*
cem desiliunt] alternatim equitantur & ex equo descen-
 dunt, C.

ribus,

- 34ribus, & a fronte, & a tergo hosti ostendit. Menedemus vndique inclusus, ne numero quidem par, diu tamen resistit; clamitans *nihil aliud superesse locorum fraude deceptis, quam honestae*
- 35*mortis solatium ex hostium caede.* Ipsum praeualens equus vehebat, quo saepius in cuneos barbarorum effusus habenis euectus, magna strage
- 36eos fuderat. Sed quum vnum omnes peterent, multis vulneribus exsanguis Hypsidem quemdam ex amicis hortatus est, vt in equum suum adscenderet, & se fuga eriperet. Haec agentem anima defecit, corpusque ex equo defluxit in terram.
- 37Hypsidem poterat quidem effugere; sed amisso amico mori statuit. vna erat cura, ne inultus occideret. Itaque subditis calcaribus equo in medios hostes se immisit, & memorabili edita
- 38pugna obrutus telis est. Quod vbi videre, qui caedi supererant; tumulum paullo, quam cetera, editiorem capiunt. quos Spitamenes fame
- 39in deditionem subacturus obsedit. Cecidere eo praelio peditum II millia, CCC equites. Quam cladem Alexander sollerti consilio texit, morte denunciata iis, qui ex proelio venerant, si acta vulgassent.

36. vnum omnes peterent] illum solum omnes feriebant, man ging nur auf ihn loss. S.

CAP. VIII.

Dum exercitus ad bellum accingitur, Scytharum legati adueniunt, ac de pace prorsus egregiam ad Alexandrum orationem habent.

CETERVM quum animo disparem vultum diutius ferre non posset; in tabernaculum super ripam fluminis de industria locatum secessit. Ibi sine arbitris singula animi consulta pensando, noctem vigiliis extraxit, saepe pellibus tabernaculi adleuatis, vt conspiceret hostium ignes, e quibus coniectare poterat, quanta hominum multitudo esset. Iamque lux adparebat, quum thoracem indutus procedit ad milites, tum primum post vulaus proxime acceptum. Tanta erat apud eos veneratio regis; vt facile periculi, quod horrebant, cogitationem praesentia eius excuteret. Laeti ergo & manantibus prae gaudio lacrimis, consalutant eum; & quod ante recusauerant bellum, feroces deposcunt. Ille se ratibus equitem phalangemque transportatum esse pronunciat; super vtres iubet nare leuius armatos. Plura nec dici res desiderauit; nec rex dicere per valetudinem potuit. Ceterum tanta alacritate militum rates iunctae sunt, vt in triduum ad XII millia effectae sint. Iamque ad transeundum omnia aprauerant; quum legati

1. *animo disparem vultum*] heticorem vultum praeferebat Alexander, quam quae dem erat animus. S.
4. *Tanta veneratio regis*] Supra diximus ad III. 6. 17. C.

Scytharum XX more gentis per castra equis vecti,
 nunciari iubent regi, *velle ipsos ad eum mandata*
 9 *perferre.* Admissi in tabernaculum, iussique
 confidere, in vultu regis defixerant oculos;
 credo quia magnitudine corporis animum aesti-
 mantibus modicus haudquaquam famae par vi-
 10 *odebatur.* Scythis autem non ut ceteris barbaris
 rudis & inconditus sensus est: quidam eorum
 sapientiam capere dicuntur, quantamcumque
 11 *gens capit semper armata.* Sicque loquutos esse
 apud regem memoriae proditum est. Abhor-
 rent forsitan moribus nostris & tempora & inge-
 nia cultiora sortitis; sed ut possit oratio eorum
 sperni, tamen fides nostra non debet, quae
 utcumque tradita sunt, incorrupta perferemus.
 12 *Igitur vnum ex his maximum natu ita loquutum*
 accepimus. *Si dii habitum corporis tui auidi-*
tate animi parem esse voluissent; orbis te non
caperet: altera manu orientem; altera occiden-
tem contingeres. Et hoc adsequutus scire velles,
ubi tanti numinis fulgor conderetur. Sic quoque

3. *mandata*] quae ipsis a Ducibus suis erant man-
 data. S. 10. *sapientiam capere*] adprehendere
 animo, discere, ut Anacharsidis philosophi, genere
 Scythae, exemplo notum. C. 11. *ut possit sperni*]
 quamquam oratio eorum, tanquam minus culta, deli-
 catis auribus displicere possit. C. 12. *habitum*
corporis] formam, staturam corporis. Supra III.
 12. 16. *corporis habitu praestabat.* C. *orbis te non*
caperet] Repete dicta ad lib. III. 4. 12. C. *ubi*
tanti numinis fulgor conderetur] quo se solis lumen
 reciperet in occasu. Tellier. C.

CONCU-

concupiscis, quae non capis. Ab Europa petis 13
 Asiam, ex Asia transis in Europam: deinde si
 humanum genus omne superaueris; cum siluis,
 & niuibus, & fluminibus, ferisque bestiis gestu-
 rus es bellum. Quid tu ignoras, ARBORES 14
 magnas diu crescere; & una hora exstirpari? Stultus
 est, qui fructus earum spectat: altitudinem non
 metitur. Vide, ne, dum ad cacumen peruenire 15
 contendis, cum ipsis ramis, quos comprehenderis,
 decidas. Leo quoque aliquando minimarum
 auium pabulum fuit: & ferrum rubigo consu-
 mit. NIHIL tam firmum est, cui periculum
 non sit etiam ab inualido. Quid nobis tecum 16
 est? nunquam terram tuam attigimus. Qui sis,
 & unde venias, licetne ignorare in vastis siluis & iuen-
 zibus? Nec seruire illi possumus; nec imperare
 desideramus. Dona nobis data sunt, ne Scytha- 17
 rum gentem ignores, iugum bouum, aratrum, &

13. ex Asia in Europam] Consectus error Iaxar-
 tem & Tanaim eundem fluum esse, quo traiecto ex
 vteriori Asia citatus transitus in Europam pateret. C.
 14. fructus earum spectat] adfectat maualt! ana-
 quillus Faber epist. 51. C. 15. etiam ab inua-
 lido] Seneca de Ira III. 28. Nihil tam imbecille na-
 tum est, ut sine elidentis periculo pereat. Imbecilles
 valentissimis alias dolor, alias casus exaequat. C.
 17. Dona nobis data sunt] Dona nobis a diis de caelo
 demissa. Fabula similis Romanae de Anchibus, ab
 Herodoto traditur IV. 5. ἐκ τῆς θρανῆς φερόμενα χροῖσες
 ποιήματα ἀροτρῶν τε καὶ ζυγῶν καὶ ἀγῶων, καὶ φιάλων,
 περτεῖν εἰς τὴν Σκυθικὴν. C. iugum bouum, ara-
 trum] Pitiscus cum Acidalio bouum aratorum. ele-
 ganter quidem, non autem ita certo, ut deserenda

- sagitta, & patera. His utimur & cum amicis,
 18 & aduersus inimicos. Fruges amicis damus
 boum labore quaesitas : patera cum his vinum
 diis libamus : inimicos sagitta eminus ; hasta
 cominus petimus. Sic Syriae regem, & postea
 Persarum, Medorumque superauimus ; patuitque
 19 nobis iter usque in Aegyptum. At tu, qui te glori-
 aris ad latrones persequendos venire, omnium
 gentium, quas adisti, latro es. Lydiam cepisti :
 Syriam occupasti : Persidem tenes : Baëtrianos
 habes in potestate ; Indos petisti : iam etiam ad
 pecora nostra auaras & instabiles manus porrigis.
 20 Quid tibi diuitiis opus est, quae te esurire cogunt ?
 Primus omnium satietate parasti famem ; ut quo

fit vulgata scriptura, quam etiam Herodotus c. 1. tueri
 potest. C. 18. Syriae regem] Assyriae, quam-
 quam, quis fuerit ille Assyrius rex, quem Scythae vice-
 rint, non liquet silente historia. Forte id tempus intel-
 ligitur, quo Scythae in Parthiam migrarunt, VI. 2. 14.
 quod ad Sesostris, Salomoni aequalis, tempora Arri-
 anus in Parthiis apud Photium refert. C. Persa-
 rum] Cyrum & Darium Hystaspis, quorum nota histo-
 ria est. C. Medorum] Cyaxarem, quem per
 XXVIII annos adfixerunt Scythae. Herodot. I. 106. C.
 usque in Aegyptum] Ad fabulosam historiam videtur
 respicere, quam Trogo refert Iulianus II. 3. C.
 19. ad latrones persequendos] exemplo Herculis,
 cuius imitator videri cupiebat, quod egregie confutat
 Seneca Benef. I. 13. C. latro es] Senec ibi-
 dem, Hic (Alexander) a pueritia latro gentiumque
 vastator. C. instabiles manus] vaga rapacitate
 in omnem se partem extendentes. C. 20. quae te
 esurire cogunt] nam quo plus auarus habet, eo plura
 concupiscit. S.

plura

plura haberes, acrius, quae non habes, cuperes. Non succurrit tibi, quamdiu circum Baetra haec-21
 reas? dum illos subigis, Sogdiani bellare coepe-
 runt. bellum tibi ex victoria nascitur. Nam
 et maior fortiorque sis quam quisquam; tamen
 alienigenam dominum pati nemo vult. Transi-2
 modo Tanaim: scies quam late pateant; nun-
 quam tamen consequeris Scythas. paupertas
 nostra velocior erit, quam exercitus tuus; qui
 praedam tot nationum vehit. Rursus quum procul-3
 abesse nos credes, videbis in tuis castris. eadem
 velocitate et sequimur, et fugimus. Scytharum-4
 solitudines Graecis etiam proverbiis audio eludi.
 at nos deserta et humano cultu vacua, magis quam
 vrbes et opulentos agros sequimur. Proinde for-
 tunam tuam pressis manibus tene. Lubrica est,

21. bellum ex victoria] nisi enim Baetra vicisses,
 Sogdiani non inciperent bellare. S. ut] quam-
 nis licet. S. 22. Tanaim] quem Macedones
 ita vocabant, id est Iaxartem, ut saepissime dictum. C.
 paupertas nostra velocior] nos facile te effugere
 possumus, qui pauperes sumus, & non multa habemus,
 quae nos in fuga impedire possunt: tuus vero exercitus
 tanta praeda onustus nos non tam facile consequi po-
 terit. S. 24. Scytharum solitudines] Σκοθῶν
 ἐρημία de ingenti solitudine dicitur, quia Scythae vagi
 sunt nec certis sedibus videntur: Hinc apud Plutarchum
 in de Stoicorum Repugnantis est εἰς παντικαπακίον καὶ
 βουδοῶν ἐρημίαν ἀδειν, in Panticapaeum (Bospori
 Cimmerii urbem) et Scythicam solitudinem rele-
 gare, hoc est in extremas calamitates. C. pres-
 sis manibus] comprime manus tuas, quibus for-
 tunam tenes, ne illa, quum admodum lubrica sit, ela-
 batur. S.

- nec inuita teneri potest. Salubre consilium sequens, quam praesens tempus, ostendet melius. impone felicitati tuae fraenos, facilius illam reges.
- 25 Nostri sine pedibus dicunt esse fortunam, quae manus & pennas tantum habet; quum manus porrigit, pennas quoque comprehendere non sinet.
- 26 Denique si Deus es, tribuere mortalibus beneficia debes; non sua eripere: sin autem homo es; id quod es, semper esse te, cogita. Stultum est eorum
- 27 meminisse, propter quae tui obliuisceris. Quibus bellum non intuleris, bonis amicis poteris uti. nam & **FIRMISSIMA** est inter pares amicitia; & videntur pares, qui non fecerunt inter se periculum virium. Quos viceris, amicos tibi esse caue credas. inter dominum & seruum nulla amicitia est, etiam in pace, belli tamen iura seruantur. Iurando gratiam Scythas sancire ne credideris, colendo fidem iurant. Graecorum ista cautio est, qui acta consignant, & deos inuocant. nos religionem in ipsa fide nouimus. qui non reuerentur homines, fallunt deos. Nec tibi amico opus est, de cuius beneuolentia dubites.

sequens quam praesens tempus] sequenti tempore magis adparet, quam praesenti, fueritne consilium salubre, nec ne. C. 28. etiam in pace] quae leges & conditiones victis a victoribus belli tempore dantur, etiam in pace seruantur, vt instar seruorum victi fiat: victores domini, adeoque nulla inter eos coalescere amicitia possit. C. 29. Graecorum ista cautio] Vnde prouerbum Graeca fide est nulla fide. Vfus fuit Plautus *Asinar. a. 1. sc. 11. v. 47.* add. *Barch. Aduers. & VI. 17. C.*

Ceterum

Ceterum nos & Asiae & Europae custodes habebis : 30
Bactra, nisi diuidat Tanais, contingimus : Ultra
Tanaim vsque ad Thraciam colimus ; Thraciae
Macedoniam coniunctam esse fama est. Vtrique
imperio tuo finitimos, hostes an amicos velis esse
considera. Haec barbarus.

30. *Bactra --- vsque ad Thraciam*] Saepissime diximus, nimium a nostro coarctari septentrionalem oram supra Euxinum Pontum & mare Caspium, vt omnia fere permisceat. Bactra Oxum contingunt, non falsum Tanaim siue Iaxartem : nisi Sogdianam quoque sub Bactrianæ finibus contineri credas, ab Iaxarte vsque Thraciam omnia Scythæ possident, sed non vnus gentis, verum vt terrarum ingentibus spatiis, ita nationibus quoque & imperiis distincti. Adde quae notauimus ad VII. 6. 12. & c. 7. n. 2. C.

CAP. IX.

Alexander legatis dimissis Tanaim siue Iaxartem
traicit : bellum Scythis infert : & cum victis
benigne agit.

CONTRA rex fortuna sua & consiliis suo-
rum se vsurum esse responderet. nam &
fortunam, cui confidat, & consilium suadentium,
ne quid temere & audacter faciat, sequiturum.
 Dimissisque legatis in praeparatas rates exerci-
 tum imposuit. In proris clypeatos locauerat ;
 iussos in genua subsidere, quo tutiores essent
 aduersus ictus sagittarum. Post hos qui tor-
 3

3. *qui tormenta intenderent*] qui tela ex machinis,
 vt catapultae & ballistae erant, emitterent. Adde

- menta intenderent, stabant; & ab utroque latere, & a fronte circumdati armatis. Reliqui qui post tormenta confiterant; remigem lorica indutum scutorum testudine armati protegebant.
- 4 Idem ordo in illis quoque ratibus, quae equitem vehebant, seruatius est. maior pars a puppe nantes equos loris trahebat. At illos, quos vitres stramento repleti vehebant, obiectae rates tuebantur. Ipse rex cum delectis primus ratem soluit, & in ripam dirigi iussit. Cui Scythae admotos ordines equitum in primo ripae margine opponunt; ut ne applicari quidem terrae rates possent. Ceterum praeter hanc speciem ripis praesidentis exercitus, ingens nauigantes terror inuaserat. namque cursum gubernatores, quum obliquo flumine impellerentur, regere non poterant; vacillantesque milites, & ne excuterentur solliciti, nautarum ministeria turbauerant. Ne tela quidem conati nixu vibrare poterant, quum prior standi sine periculo, quam hostem incessendi cura esset. Tormenta saluti fuerunt. quibus in confertos ac temere se offerentes, haud frustra excussa sunt tela. Barbari

supra IV. 2. 12. cum notatis. C. testudine] Vide V. 3. 9. C. 4. obiectae rates] pone, vel post naues vehebantur vitres, ut a nauibus contra hostes essent tuti. S. 6. ripis praesidentis] ripas insidentis, easque ab hoste tutantis. S. 7. nixu] nam qui in naui stant, & tela iacere ex ea volunt, prius solliciti esse debent ut pedes eorum firmiter naui nitantur, alias ipsi cadunt, & tela sunt inrita. S.

quoque

quoque ingentem vim sagittarum infudere rati-
 bus, vixque vllum fuit scutum, quod non plu-
 ribus simul spiculis perforaretur. Iamque terrae ⁹
 rates adplicabantur, quum acies clypeata con-
 surgit, & hastas certo ictu, vtpote libero nixu,
 mittit e ratibus. Et vt territores recipientesque
 equos videre; alacres mutua adhortatione in
 terram desiliere. Turbatis acriter pedem infer-¹⁰
 re coeperunt. Equitum deinde turmae, quae
 fraenatos habebant equos, perfregere barbar-
 rorum aciem. Interim ceteri agmine dimican-
 tium tecti aptauere se pugnae. ipse rex, quod ¹¹
 vigoris, aegro adhuc corpore, deerat, animi
 firmitate supplebat. Vox adhortantis non
 poterat audiri, nondum bene obducta cicatri-
 ce ceruicis; sed dimicantem cuncti videbant.
 Itaque ipsi quidem ducum fungebantur officio; ¹²
 aliusque alium adhortari, in hostem salutis
 immemores ruere coeperunt. Tum vero non ¹³
 ora, non arma, non clamorem hostium barbari
 tolerare potuerunt: omnesque effusis habenis
 (namque equestres acies erat) caepissent fugam.
 quos rex, quamquam vexationem inualidi cor-
 poris pati non poterat, per LXXX tamen stadia
 insequi perseuerauit. Iamque linquente animo ¹⁴
 suis praecepit, vt donec lucis aliquid superesset,
 fugientium tergis inhaerent: ipse exhaustis

9. recipientes equos] videbant Scythas equos suos
 recipere, h. e. eos adscendere, & fugam meditari. S.
 13. ora] faciem. S.

§ 5

etiam

etiam animi viribus, in castra se recepit, reliquum
 15 substitit. Transierant iam Liberi patris terminos; quorum monumenta lapides erant crebris
 interuallis dispositi, arbores procerae, quarum
 26 stipites hedera contexerat. Sed Macedonas ira
 longius prouexit: quippe media fere nocte in
 castra redierunt, multis interfectis, pluribus
 captis, equosque MDCCC abegere. Cecide-
 runt autem Macedonum equites LX, pedites C
 17 fere, mille faucii fuerunt. Haec expeditio defi-
 cientem magna ex parte Asiam fama tam oppor-
 tunae victoriae domuit. Inuictos Scythas esse
 crediderant, quibus fractis nullam gentem
 Macedonum armis parem fore confitebantur.
 Itaque Sacae misere legatos, qui pollicerentur
 28 gentem mandata facturam. Mouerat eos regis
 non virtus magis, quam clementia in deuictos
 Scythas: quippe captiuos omnes sine precio
 remiserat; ut fidem faceret sibi cum ferocissimis
 gentium de fortitudine, non de ira fuisse certamen.
 19 Benigne igitur exceptis Sacarum legatis,

14. *reliquum substitit*] Quidquid subaudias, male
 cohaeret. Freinshemius mauult *ibique substitit*. Me-
 tam expeditionis Scythicae videtur auctor designasse. C.
 15. *Liberi patris terminos*] Hos vero Plinius VI. 16.
 cis Iaxarem in Sogdiana collocauit. Años in India
 infra IX. 4. dispicimus. C. 17. *deficientem*] ab
 Alexandro. S. Sacae] Redi ad V. 9. 5. Suae
 autem Dahis & Massagetis finitimi, VII. 4. 6. C.
mandata] quaecumque ab Alexandro ipsis manda-
 rentur, S.

comitem Excipinum dedit, admodum iuuenem
 aetatis flore conciliatum sibi; qui quum specie
 corporis aequaret Hephaestionem, lepore haud
 sane illi par erat. Ipse Cratero cum maiore
 parte exercitus modicis itineribus sequi iusso, ad
 Maracanda urbem peruenit; ex qua Spitamenes
 cognito eius aduentu Bactra perfugerat. Itaque
 quatrinduo rex longum itineris spatium emensus,
 peruenerat in eum locum, in quo Menedemo
 duce, II millia peditum, & CCC equites amiserat.
 horum ossa tumulo contegi iussit, & inferias
 more patrio dedit. Iam Craterus cum phalange
 subsequi iussus, ad regem peruenerat. itaque
 ut omnes, qui defecerant, pariter belli clade
 premerentur, copias diuidit; vrique agros, &
 interfici puberes iussit.

19. *lepore haud sane illi par erat*] gratia & suavi-
 tate sermonis inferior erat Hephaestione. Alii legunt,
lepore haud sane virili par non erat. C. 20. *ad*
Maracanda urbem] Dixi supra VII. 6. 10. C. 21,
in quo Menedemo duce] Vide VII. 6. 24. & VII. 7.
 extrem. C. 22. *ossa tumulo contegi*] ut Germa-
 nicus idem humanitatis officium clade Variana caesis
 apud Tacitum annal. I. 62. praestitit. C. *inferias*]
 sacrificia & caerimonias *inferis*, id est manibus &
 vmbribus mortuorum factas, C. *agros*] *praedia*
rustica, vilas. S.

CAP. X.

Sogdianorum nobilium inuictus animus. Bess; supplicium. Nono milite auctus Alexandri exercitus.

- 1 **S**OGDIANA regio maiori ex parte deserta
 2 est: octingenta fere stadia in latitudinem
 3 vastae solitudines tenent. Ingens spatium rectae
 4 regionis est, per quam annis, Polytimetum vo-
 5 cant incolae; fertur torrens. Eum ripae in
 6 tenuem alueum cogunt; deinde cauerna acci-
 7 pit, & sub terram rapit. Cursus absconditi
 8 indicium est aquae meantis sonus, quum ipsum
 9 solum, sub quo tantus amnis fluit, ne modico
 10 quidem resudet humore. Ex captiuis Sogdia-
 11 norum ad regem xxx nobilissimi, corporum
 12 robore eximio, perducti erant; qui vt per inter-
 13 pretem cognouerunt iussu regis ipsos ad suppli-
 14 cium trahi, carmen laetantium more canere,
 15 tripudiisque & lasciniori corporis motu gaudium
 16 quoddam animi ostentare coeperunt. Admi-
 17 ratus rex tanta magnitudine animi oppetere
 18 mortem; reuocari eos iussit; causam tam effu-
 19 sae laetitiae, quum supplicium ante oculos ha-
 20 berent, requirens. Illi si ab alio occiderentur,
 21 tristes morituros fuisse respondent; nunc a tanto

2. rectae] planae, aquae. C. Polytimetum
 vocant incolae] barbaro vocant nomine, quod Graece
 Macedones πολυτιμτος, hoc est valde preciosus, inter-
 pretati sunt. C. tenuem alueum] angustum alueum
 propter ripas prope coeuntes. C.

rege,

rege, victore omnium gentium, maioribus suis redditos, honestam mortem, quam fortes viri voto quoque expeterent, carminibus sui moris laetitiaque celebrare. Tum rex, quaero itaque, 7 inquit, an viuere velitis non inimici mihi, cuius beneficio victuri estis? Illi nunquam se inimicos 8 ei; sed bello laceffitos, hostes fuisse respondent. Si quis ipsos beneficio, quam iniuria experiri maluisset; certaturos fuisse, ne vincerentur officio. Interrogantique quo pignore fidem obligaturi 9 essent? vitam quam acciperent, pignori futuram esse dixerunt. reddiuros quandoque repetisset. Nec promissum fefellerunt. Nam qui remissi domos ierant, in fide continuere populares; quatuor inter custodes corporis detenti, nulli Macedonum in regem caritate cesserunt. In 10 Sogdianis Peucolao cum tribus millibus peditum, (neque enim maiori praesidio indigebat) relicto; Bactra peruenit. Inde Bessum Ecbatana duci iussit, interfecto Dario poenas capite persoluturum. Iisdem fere diebus Ptolemaeus 11 & Menidas peditum tria millia, & equites mille adduxerunt mereede militaturos. Alexander 12 quoque ex Lycia cum pari numero peditum, & D equitibus venit. Totidem e Syria Asclepi-

6. maioribus suis redditos] Periphrasis mortis. S.
9. inter custodes corporis] non illos primi ordinis, quae maxima dignitas erat, summis tantum ducibus conferri solita, sed ordinis secundi, de quo supra V. 1. 42. diximus. C. 10. Bessum Ecbatana duci] Supra VII. 5. extremo, C.

- odorum sequebantur : Antipater Graecorum VIII millia in quibus D equites erant, miserat.
- 13 Itaque exercitu aucto, ad ea quae defectione turbata erant, componenda processit; infectisque confederationis auctoribus, quarto die ad flumen Oxum peruentum est. hic quia limum veluit, turbidus semper & insalubris est potus.
- 14 Itaque puteos miles coeperat fodere. nec tamen humo alte egesta existerat humor; quum in ipso tabernaculo regis conspectus est fons, quem quia tarde notauerant, subito exstitisse fixerunt.
- 15 rexque ipse credi voluit donum dei id fuisse. Superatis deinde annibus Ocho & Oxo, ad urbem Marginiam peruenit. Circa eam VI oppidis condendis electa sedes est. Duo ad Meridiem versa; quatuor spectantia Orientem, modicis inter se spatii distabant, ne procul repe-

13. *confederationis*] *tumultus, seditionis*, vt V. 10. 8. VIII. 1. 24. X. 2. 21. & Sueton. Caes. 20. C.

15. *Ocho & Oxo*] Ochus Ptolemaeo & Plinio Bactrianam claudit, & in Oxum exoneratur. Serabo lib. XI. diuersorum de hoc fluuio sententias proponit, quorum alii per Bactrianam, alii iuxta illam: quidam Oxo miscerit, quidam vsque ad ostia separatam esse tradant. C. *Marginiam*] corruptum aut fictum nomen. Ortelius & Freinshemius *Margianam*, quasi metropolim cognominis regionis, Ieri volunt, quod displicet Tellerio, quia ex Bactris in hanc Margianam tendenti non modo Ochus, sed etiam Oxus fuerit superandus, quod fecus foret, si Margianae regionis haec metropolis fuisset. C. *Circa eam VI oppidis*] In Bactriana & Sogdiana XII. vrbes Alexandrum condidisse, Iustinus VII, 5. auctor est, C.

tendum esset mutuam auxilium. Haec omnia ¹ ⁶
 fita sunt in editis collibus : tum velut fraeni-
 domitarum gentium ; nunc originis suae oblita
 seruiunt, quibus imperauerunt.

16. tum] Alexandri tempore. S. nunc] tempore Curtii. S.

CAP. XI.

Petram, situ fere inexpugnabilem, ad ditionem cogit Alexander.

ET cetera quidem pacauerat rex : vna erat
 1
 2
 3
 4
 5
 6
 7
 8
 9
 10
 11
 12
 13
 14
 15
 16
 17
 18
 19
 20
 21
 22
 23
 24
 25
 26
 27
 28
 29
 30
 31
 32
 33
 34
 35
 36
 37
 38
 39
 40
 41
 42
 43
 44
 45
 46
 47
 48
 49
 50
 51
 52
 53
 54
 55
 56
 57
 58
 59
 60
 61
 62
 63
 64
 65
 66
 67
 68
 69
 70
 71
 72
 73
 74
 75
 76
 77
 78
 79
 80
 81
 82
 83
 84
 85
 86
 87
 88
 89
 90
 91
 92
 93
 94
 95
 96
 97
 98
 99
 100
 101
 102
 103
 104
 105
 106
 107
 108
 109
 110
 111
 112
 113
 114
 115
 116
 117
 118
 119
 120
 121
 122
 123
 124
 125
 126
 127
 128
 129
 130
 131
 132
 133
 134
 135
 136
 137
 138
 139
 140
 141
 142
 143
 144
 145
 146
 147
 148
 149
 150
 151
 152
 153
 154
 155
 156
 157
 158
 159
 160
 161
 162
 163
 164
 165
 166
 167
 168
 169
 170
 171
 172
 173
 174
 175
 176
 177
 178
 179
 180
 181
 182
 183
 184
 185
 186
 187
 188
 189
 190
 191
 192
 193
 194
 195
 196
 197
 198
 199
 200
 201
 202
 203
 204
 205
 206
 207
 208
 209
 210
 211
 212
 213
 214
 215
 216
 217
 218
 219
 220
 221
 222
 223
 224
 225
 226
 227
 228
 229
 230
 231
 232
 233
 234
 235
 236
 237
 238
 239
 240
 241
 242
 243
 244
 245
 246
 247
 248
 249
 250
 251
 252
 253
 254
 255
 256
 257
 258
 259
 260
 261
 262
 263
 264
 265
 266
 267
 268
 269
 270
 271
 272
 273
 274
 275
 276
 277
 278
 279
 280
 281
 282
 283
 284
 285
 286
 287
 288
 289
 290
 291
 292
 293
 294
 295
 296
 297
 298
 299
 300
 301
 302
 303
 304
 305
 306
 307
 308
 309
 310
 311
 312
 313
 314
 315
 316
 317
 318
 319
 320
 321
 322
 323
 324
 325
 326
 327
 328
 329
 330
 331
 332
 333
 334
 335
 336
 337
 338
 339
 340
 341
 342
 343
 344
 345
 346
 347
 348
 349
 350
 351
 352
 353
 354
 355
 356
 357
 358
 359
 360
 361
 362
 363
 364
 365
 366
 367
 368
 369
 370
 371
 372
 373
 374
 375
 376
 377
 378
 379
 380
 381
 382
 383
 384
 385
 386
 387
 388
 389
 390
 391
 392
 393
 394
 395
 396
 397
 398
 399
 400
 401
 402
 403
 404
 405
 406
 407
 408
 409
 410
 411
 412
 413
 414
 415
 416
 417
 418
 419
 420
 421
 422
 423
 424
 425
 426
 427
 428
 429
 430
 431
 432
 433
 434
 435
 436
 437
 438
 439
 440
 441
 442
 443
 444
 445
 446
 447
 448
 449
 450
 451
 452
 453
 454
 455
 456
 457
 458
 459
 460
 461
 462
 463
 464
 465
 466
 467
 468
 469
 470
 471
 472
 473
 474
 475
 476
 477
 478
 479
 480
 481
 482
 483
 484
 485
 486
 487
 488
 489
 490
 491
 492
 493
 494
 495
 496
 497
 498
 499
 500
 501
 502
 503
 504
 505
 506
 507
 508
 509
 510
 511
 512
 513
 514
 515
 516
 517
 518
 519
 520
 521
 522
 523
 524
 525
 526
 527
 528
 529
 530
 531
 532
 533
 534
 535
 536
 537
 538
 539
 540
 541
 542
 543
 544
 545
 546
 547
 548
 549
 550
 551
 552
 553
 554
 555
 556
 557
 558
 559
 560
 561
 562
 563
 564
 565
 566
 567
 568
 569
 570
 571
 572
 573
 574
 575
 576
 577
 578
 579
 580
 581
 582
 583
 584
 585
 586
 587
 588
 589
 590
 591
 592
 593
 594
 595
 596
 597
 598
 599
 600
 601
 602
 603
 604
 605
 606
 607
 608
 609
 610
 611
 612
 613
 614
 615
 616
 617
 618
 619
 620
 621
 622
 623
 624
 625
 626
 627
 628
 629
 630
 631
 632
 633
 634
 635
 636
 637
 638
 639
 640
 641
 642
 643
 644
 645
 646
 647
 648
 649
 650
 651
 652
 653
 654
 655
 656
 657
 658
 659
 660
 661
 662
 663
 664
 665
 666
 667
 668
 669
 670
 671
 672
 673
 674
 675
 676
 677
 678
 679
 680
 681
 682
 683
 684
 685
 686
 687
 688
 689
 690
 691
 692
 693
 694
 695
 696
 697
 698
 699
 700
 701
 702
 703
 704
 705
 706
 707
 708
 709
 710
 711
 712
 713
 714
 715
 716
 717
 718
 719
 720
 721
 722
 723
 724
 725
 726
 727
 728
 729
 730
 731
 732
 733
 734
 735
 736
 737
 738
 739
 740
 741
 742
 743
 744
 745
 746
 747
 748
 749
 750
 751
 752
 753
 754
 755
 756
 757
 758
 759
 760
 761
 762
 763
 764
 765
 766
 767
 768
 769
 770
 771
 772
 773
 774
 775
 776
 777
 778
 779
 780
 781
 782
 783
 784
 785
 786
 787
 788
 789
 790
 791
 792
 793
 794
 795
 796
 797
 798
 799
 800
 801
 802
 803
 804
 805
 806
 807
 808
 809
 810
 811
 812
 813
 814
 815
 816
 817
 818
 819
 820
 821
 822
 823
 824
 825
 826
 827
 828
 829
 830
 831
 832
 833
 834
 835
 836
 837
 838
 839
 840
 841
 842
 843
 844
 845
 846
 847
 848
 849
 850
 851
 852
 853
 854
 855
 856
 857
 858
 859
 860
 861
 862
 863
 864
 865
 866
 867
 868
 869
 870
 871
 872
 873
 874
 875
 876
 877
 878
 879
 880
 881
 882
 883
 884
 885
 886
 887
 888
 889
 890
 891
 892
 893
 894
 895
 896
 897
 898
 899
 900
 901
 902
 903
 904
 905
 906
 907
 908
 909
 910
 911
 912
 913
 914
 915
 916
 917
 918
 919
 920
 921
 922
 923
 924
 925
 926
 927
 928
 929
 930
 931
 932
 933
 934
 935
 936
 937
 938
 939
 940
 941
 942
 943
 944
 945
 946
 947
 948
 949
 950
 951
 952
 953
 954
 955
 956
 957
 958
 959
 960
 961
 962
 963
 964
 965
 966
 967
 968
 969
 970
 971
 972
 973
 974
 975
 976
 977
 978
 979
 980
 981
 982
 983
 984
 985
 986
 987
 988
 989
 990
 991
 992
 993
 994
 995
 996
 997
 998
 999
 1000

3. os] introitus, initium. S. 4. natu-
 ram fatigandi] loca etiam natura monita adgredi-
 endi, S.

expe-

2 experiretur, Cophan (Artabazi hic filius erat)
 misit ad barbaros , qui suaderet , vt dederent
 rupem. Arimazes loco fretus superbe multa
 respondit. ad vltimum *an Alexander volare*
 6 *possit*, interrogat. Quae nunciata regi, sic accen-
 dere animum, vt adhibitis, cum quibus consul-
 tare erat solitus, indicaret *insolentiam barbari,*
etudentis ipsos, quia pennas non haberent. *Se*
 7 *autem proxima nocte effecturum, vt crederet Mace-*
dones etiam volare. Trecentos, inquit, pernicis-
 simos iuuenes ex suis quisque copiis perducite ad
 me , qui per calles & paene inuias rupes domi
 8 pecora agere consueverint. Illi praestantes &
 leuitate corporum , & ardore animorum strenue
 adducunt : quos intuens rex, *vobiscum*, inquit,
 o iuuenes , & mei aequales , *vrbium inuictarum*
ante munimenta superavi : montium iuga perenni
niue obruta emensus sum ; angustias Ciliciae
intraui : Indiae sine lassitudine vim frigoris sum
perpeffus. & mei documenta vobis dedi, & vestri
 9 habeo. Petra, quam videtis, vnum aditum habet,
 quem barbari obsident ; cetera negligunt : nullae
 vigiliae sunt , nisi quae castra nostra spectant.
 10 inuenietis viam , si solerter rimati fueritis aditus
 ferentes ad cacumen. NIHIL iam alte natura
 constituit, quo virtus non possit eniti. Experi-
 endo quae ceteri desperauerunt, Asiam habemus
 11 in potestate. Euadite in cacumen , quod quum

8. praestantes] tales qui leuitate corporum &c.
 praestabant. S.

sepe-

ceperitis, candidis velis signum mihi dabit, ego
 copis admotis hostem in nos a vobis conuertam.
 Praemium erit ei qui primus occupauerit verticem, 12
 talenta X: vno minus accipiet, qui proximus
 ei venerit: eademque ad decem homines serua-
 bitur portio. Certum autem habeo, vos non tam
 liberalitatem intueri meam; quam voluntatem.
 His animis regem audierunt, vt iam cepisse ver- 13
 ticem viderentur. Dimissique ferreos cuneos,
 quos inter saxa defigerent, validosque funes
 parabant. Rex circumuectus petram, qua 14
 minime asper ac praeruptus aditus videbatur;
 secunda vigilia, quod bene verteret, ingredi
 iubet. Illi alimentis in biduum sumptis, gladii
 modo atque hastis armati subire coeperunt. Ac 15
 primo pedibus ingressi sunt: deinde vt in prae-
 rupta peruentum est, alii manibus eminentia saxa
 complexi leuauere semet; alij adiectis funium
 laqueis euasere, quum cuneos inter saxa defige-
 rent, queis gradus subinde insisterent. diem
 inter metum laboremque consumpserunt. Per 16
 aspera enixis duriora restabant, & crescere alti-

12. portio] *proportio*, quam vocem pro genuina
 repudiata vulgari, recepit Te lierus. C. 14. quod
 bene verteret] Nos geum, ita: *sie solten in Gottes*
nahmen hingehen. S. 15. euasere] in altum
 ascendere, vt supra n. 11. S. *queis gradus*
insisterent] Quidam, vt etiam Pitiscus, ediderunt,
defigerent gradus subinde, queis insisterent. Sed
 nihil incommodi neque duri habet vulgaris, quam reti-
 nemus, scriptura, quia etiam Virgilius Aen, XI v. 577.
dixit vestigia insisterat. C.

tudo petrae videbatur. illa vero miserabilis
 erat facies, quum ii, quos instabilis gradus
 fefellerat, ex praecipiti deuoluerentur. mox
 eadem in se patienda alieni casus ostendebat
 17 exemplum. Per has tamen difficultates enirun-
 tur in verticem montis, omnes fatigatione conti-
 nuati laboris adfecti; quidam mutilati parte
 membrorum pariterque eos & nox & somnus
 18 oppressit. Stratis passim corporibus in inuis
 & in asperis faxorum, periculi instantis oblitii
 in lucem quieuerunt: tandemque velut ex alto
 sopore excitati, occultas subiectasque ipsis valles
 rimantes, ignari in qua parte petrae tanta vis
 hostium condita esset: fumum specus infra se
 19 ipsos euolutum notauerunt. Ex quo intelle-
 ctum est, illam hostium latebram esse. Itaque
 hastis imposuere, quod conuenerat signum,
 totoque e numero duos & XXX in adscensu
 20 interiisse cognoscunt. Rex non cupidine magis
 potiundi loci, quam vicem eorum, quos ad
 tam manifestum periculum miserat, sollicitus;
 toto die cacumina montis intuens restitit. noctu
 demum quum obscuritas conspectum oculorum
 21 ademisset, ad curandum corpus recessit. Postero
 die nondum satis clara luce primus vela, signum
 capti verticis, conspexit. Sed ne falleretur
 acies, dubitare cogebat varietas coeli, nunc
 internitente lucis fulgore, nunc condito. Ve-
 rum ut liquidior lux adparuit coelo, dubitatio

21. liquidior] clarior, S.

exempta

exempta
 barbarorum
 qui mox
 interem-
 erunt a
 copias admi-
 randa, gra-
 uent in
 coegisset.
 antea loc-
 prehensu-
 extra sp-
 in cacu-
 immer-
 Alexan-
 rum con-
 barur. I-
 nia, barb-
 occupati
 erant, aelti-
 (nam tres
 & cum e-
 tradant
 ciscanti-
 specta
 bari; t-
 27. IU-
 fortunae
 excidit, in
 AD REC-
 uident.

exempta est. vocatumque Cophan, per quem: 2
 barbarorum animos tentauerat, mitrit ad eos,
 qui moneret, nunc saltem salubrius consilium
 inirent. sin autem fiducia loci perseuerarent,
 ostendi a tergo iussit, qui ceperant verticem.
 Cophas admissus suadere coepit Arimazi petram: 3
 tradere, gratiam regis inituro, si tantas res moli-
 entem in vnius rupis obsidione haerere non
 coegisset. Ille ferocius superbiusque quam
 antea loquutus abire Cophan iubet. At is: 4
 prehensum manu Barbarum rogat, vt secum
 extra specum prodeat: quo impetrato iuuenes
 in cacumine ostendit, eiusque superbiae haud
 immerito inludens, pennas ait habere milites
 Alexandri. Iamque e Macedonum castris signo: 5
 rum concentus & totius exercitus clamor audie-
 batur. Ea res, sicut pleraque belli vana & ina-
 nia, barbaros ad deditiorem traxit. quippe
 occupati metu, paucitatem eorum qui a tergo
 erant aestimare non poterant. Itaque Cophan: 6
 (nam trepidantes reliquerat) Arenue reuocant;
 & cum eo XXX principes mittunt, qui petram
 tradant, &, vt incolumibus abire liceat, pa-
 ciscantur. Ille quamquam verebatur, ne con- 27
 specta iuuenum paucitate deturbarent eos bar-
 bari; tamen & fortunae suae confusus, & Ari-

27. Ille] non Cophas, sed Alexander, quia suae
 fortunae confusus dicitur. Subaudiri ergo, nisi
 excidit, in praecedentibus debet. XXX principes
 AD REGEM mittunt: aut qui petram REGI
 tradant. C.

mazi superbiae infensus, nullam se conditionem
 28 deditiois accipere respondit. Arimazes desperatis magis quam perditis rebus, cum propinquis nobilissimisque gentis suae descendit in castra: quos omnes verberibus adfectos sub ipsis radicibus petrae crucibus iussit adfigi. Multitudo aeditorum incolis nouarum vrbiu[m] cum pecunia capta dono data est: Artabazus in petrae regionisque, quae adposita esset ei, tutela relictus.

Q. CVRTII RVFI,

DE

REBVS GESTIS

ALEXANDRI REGIS

MACEDONVM,

LIBER VIII.

CAP. I.

Massagetis, Dabii, & Sogdianis subactis, Scythae sui regis filiam Alexandro coniugem offerunt, qui, leone interfecto, & IV millibus ferarum in venatione deiectis, Clitum, solenni conuiuio liberius loquentem, interficit.

I. **A**LEXANDER maiore fama, quam gloria, in ditionem redacta petra; quum propter vagum hostem spargendae manus essent, in tres partes diuisit exercitum. Hephæstionem vii,

I. manus] copiae militum, S.

Coenon

Coenon alteri duces dederat: ipse ceteris prae-
 erat. Sed non eadem mens omnibus barbaris 2
 fuit. armis quidam subacti; plures ante cer-
 tamen imperata fecerunt. quibus eorum, qui
 in defectione perseverauerant, vrbes agrosque
 iussit adtribui. At exfules Bactriani cum DCCC 3
 equitibus Massagetarum proximos vicos vasta-
 uerunt. Ad quos coërcendos Attinas regionis
 eius praefectus, CCC equites insidiarum, quae
 parabantur, ignarus eduxit. Namque hostis in 4
 filtiis, quae erant forte campo iunctae, armatum
 militem condidit; paucis propellentibus pecora,
 vt improvidum ad insidias praedâ perduceret.
 Itaque incomposito agmine, solutisque ordi- 5
 nibus, Attinas praedabundus sequebatur; quem
 praetergressum siluam, qui in ea confederant, ex
 improviso adorti, cum omnibus interemerunt.
 Celeriter ad Craterum huius cladis fama perlata 6
 est; qui cum omni equitatu superuenit, & Massa-
 getae quidem iam refugerant; Dahae mille
 oppressi sunt: quorum clade totius regionis
 finita defectio. Alexander quoque Sogdianis 7
 rursus subactis, Maracanda repetit. Ibi Ber-
 des, quem ad Scythas super Bosporam colentes
 miserat, cum legatis gentis occurrit. Phrata- 8
 phernes quoque, qui Chorasmiis praeerat, Massa-

5. *praetergressum siluam*] dum siluam praetergre-
 deretur. S. 8. (*borasmiis*] Chorasmiis po-
 pulos Ptolemaeus in Sogdiana regione Oxianis con-
 iungit. Periegeta V. 745. pariter cum Sogdianis com-
 ponit. C.

getis

getis & Dahis regionum confinio adiunctus miserat, qui facturum imperata pollicerentur.

9 Scythae petebant, *ut regis sui filiam matrimonio sibi iungeret. si dedignaretur adfinitatem; principes Macedonum cum primoribus suae gentis connubio coire pateretur. Ipsum quoque regem*

10 *venturum ad eum pollicebantur. Utraque legatione benigne audita, Hephaestionem & Artabazum opperiens, stativa habuit; quibus adiunctis, in regionem, quae adpellatur Bazaria,*

11 *peruenit. Barbarae opulentiae in illis locis, haud vlla sunt maiora iudicia, quam magnis memoribus saltibusque nobilium ferarum greges*

12 *clausi. Spatiosas ad hoc eligunt filvas, crebris perennium aquarum fontibus amoenas. muris nemora cinguntur, turresque habent venantium*

13 *receptacula. Quatuor continuis aetatibus intactum saltum fuisse constabat, quem Alexander*

10. *Bazaria*] Nemini, praeter Curtium, haec regio memorata. In elencho capitum libri XVII. Diodori Siceliotae (nam pars illa libri intercidit) ita haec historia notatur. *περὶ τῆ ἐν Βασιλοῖς κωνυγίᾳ, de venatione in Basiflis.* Quodcunque loco nomen est, videtur Sogdianae pars vel finitima quaedam regio fuisse. C. 13. *Quatuor aetatibus*] Qui longissime aetatem finiunt, *seculum* interpretantur. Ovidius Metamorphos. lib. XII. vers. 187.

----- *vixi*
Annos bis centum: nunc tertia vivitur aetas.
 qui brevissime, XXX, aut paullo plures annos tribuunt. Herodianus III. 8. *αἰωνὸς τριῶν γενεῶν διαδραμοῦσιν ἐπιτελεῖσθαι, saeculares ludos decurso trium spatio aetatum celebrari.* C. *intactum saltum*] dum
 cūm

cum toto exercitu ingressus agitari vndique
 feras iussit. Inter quas quum leo magnitudinis 14
 rarae ipsum regem inuasurus incurreret; forte
 Lyfimachus, qui postea regnavit, proximus
 Alexandro, venabulum obiicere ferae coeperat.
 Quo rex repulso, & abire iusso, adiecit, *tam a
 semet vno, quam a Lyfimacho leonem interfici
 posse.* Lyfimachus enim quondam quum vena- 15
 retur in Syria, occiderat eximiae magnitudinis
 feram solus: sed laeuo humero vsque ad ossa
 laceratus ad vltimum periculi peruenerat. Id 16
 ipsum exprobrans ei rex, fortius quam loquutus
 est, fecit. nam feram non excepit modo; sed
 etiam vno vulnere occidit. Fabulam, quae ob- 17
 iectum leoni a rege Lyfimachum temere vul-
 gavit, ab eo casu, quem supra diximus, ortam
 esse crediderim. Ceterum Macedones quam- 18
 quam prospero euentu defunctus erat Alexander,
 tamen sciuerе gentis suae more, ne pedes vena-
 retur, aut sine delectis principum amicorumque.

nulla in eo bestia interfecta erat. S. 14. *quae
 postea regnavit*] in Thracia, vbi Lyfimachiam in fau-
 cibus Chersonesi condidit: & aliquando etiam in Ma-
 cedonia regnavit. C. 17. *Fabulam*] Vt veram
 historiam scripserunt Seneca de ira III. 17. de Clem. I.
 25. Val. Maximus IX. 3. Plinius VIII. 16. Plutarchus
 in Demetrio p. 901. Pausanias in Attic. p. 861. & fusius
 ceteris ex Trogo Iustinus XV. 3. C. *obiectum
 leoni*] inclusum in candem cum leone caueam. Pau-
 sanias c. I. *ὁν Ἀλέξανδρος ποτε ὑπ' ἀργῆς λέοντι ἐμοῦ
 κατέσπευε δὲ ὑίχημα.* Idem Plinius & Plutarchus. C.
 18. *sciuerе*] decreuerunt, a *scisco*. Cicero Offic. III.

Ille

- 19 Ille IV millibus ferarum deiectis, in eodem saltu cum toto exercitu epulatus est. inde Maracanda reditum est: acceptaque aetatis excusatione ab Artabazo; prouinciam eius destinat Clito.
- 20 Hic erat, qui apud Granicum amnem nudo capite regem dimicantem clypeo suo texit; & Rhofacis manum, capiti regis imminentem, gladio amputauit: vetus Philippi miles, multisque bellicis
- 21 operibus clarus. Hellenice, quae Alexandrum educauerat, soror eius, haud secus quam mater a rege diligebatur. Ob has caussas validissimam imperii partem fidei eius, tutelaeque commisit.
- 22 iamque iter parare in posterum iussus, solenni & tempestiuo adhibetur conuiuio. In quo rex quum multo incaluisset mero, immodicus aestimator sui, celebrare, quae gesserat, coepit; grauis etiam eorum auribus, qui sentiebant vera
- 23 memorari. Silentium tamen habuere seniores, donec Philippi res orsus obterere, *nobilem*

c. XI. *Durius Athenienses sciuerunt, ut Aeginetis pollices praeciderentur.* Idem de Prov. Consul cap. XV. *simul ostendit, eam se sciscere legem: & pro Flacco cap. VII. quae scisceret plebs, aut quae populus iuberet.* C. 19. *aetatis excusatione*] quod scil. propter senium officio suo fungi non posset. S. 20. *apud Granicum*] vide Supplem. lib. II. num. V. C. *Rhofacis manum amputauit*] Rhofacen ipse rex confecit: Spitridati, fratri eius, idem facinus audenti, Clitus manum praecidit. *Arrian. I. pag. 44. Diodor. Sic. XVII. 20. C.* 21. *validissimam*] Nulla enim pars Asiae toties contra praesentem victorem rebellauit, eumque tamdiu detinuit. C.

apud

apud Chaeroneam victoriam sui operis fuisse
 iactavit; ademptamque sibi malignitate & inui-
 dia patris tantae rei gloriam. Illum quidem²⁴
 seditione inter Macedones milites, & Graecos
 mercenarios orta; debilitatum vulnere, quod in ea
 consternatione acceperat, iacuisse, non alias quam
 simulatione mortis tutiorem; se corpus eius pro-
 texisse clypeo suo, ruentesque in illum sua manu
 occisos. Quae patrem nunquam aequo animo²⁵
 esse confessum; inuitum filio debentem salutem
 suam. Itaque post expeditionem, quam sine eo
 fecisset ipse in Illyrios, victorem scripsisse se patri
 fusos fugatosque hostes, nec adfuisse unquam
 Philippum. Laude dignos esse non qui Samo-²⁶
 thracum initia viserent, quum Asiam vri vasta-
 rique oporteret; sed eos qui magnitudine rerum
 fidem antecessissent. Haec & his similia laeti au-²⁷

23. apud Chaeroneam] Reuolue Supplementa lib.
 I. num. VI. C. ademptam sibi gloriam] ibidem
 num. VII. C. 24. consternatione] vide VII.
 10. 13. C. 25. aequo animo] libenter. S. in
 Illyrios] Nemo praeter Curtium hanc expeditionem
 memorauit. vid. Supplem. lib. I. n. V. C. 26. Sa-
 mothracum initia] mysteria antiquissima, quae tum
 olim in hac insula fuerant, tum per lationem, Iouis ex
 Electra filium, ita renouata & perfecta, ut toto orbe,
 non minus ac Eleusinia, celebrarentur, Diodor. Sic.
 V. c. 48. Hisce mysteriis etiam Philippus cum Olym-
 piade initiatus erat. Plutarch. Alex. princip. quod
 in ipso filius reprehendit, quasi indignum magnitudine
 regia, quam maiora facta & anaplae victoriae deceant.
 Visere autem mysteria est, quod Graeci dicunt.
 ἰστορησεν μυστήρια. Scalig. Emend. T. p. 743. C.

diere iuuenes : ingrata senioribus erant, maxime propter Philippum, sub quo diutius vixerant.

28 Tum Clitus, ne ipse quidem satis sobrius, ad eos qui infra ipsum cubabant, conuersus, Euripidis tulit carmen, ita vt sonus magis, quam sermo

29 exaudiri posset a rege. Quo significabatur, *male instituisse Graecos, quod tropaeis regum duntaxat nomina inscriberentur. Alieno enim sanguine partam gloriam intercipi.* Itaque rex quum suspicaretur malignius habitum esse sermonem, percontari proximos coepit, quid ex Clito audif-

30 sent. Et illis ad silentium obstinatis, Clitus paullatim maiore voce Philippi acta bellaque in Graecia gesta commemorat, omnia praesen-

31 tibus praeferebat. Hinc inter iuniores senesque orta contentio est. Et rex velut patienter audiret, queis Clitus obterebat laudes eius, ingentem

32 iram conceperat. Ceterum quum animo videretur imperaturus, si finem procaciter orto sermoni Clitus imponeret, nihil eo remittente magis

33 exasperabatur. iamque Clitus etiam Parmenionem defendere audebat, & Philippi de Atheniensibus victoriam, Thebarum praeferebat excidio; non vino modo, sed etiam animi

34 praua contentione prouectus. Ad vltimum,

29. *male instituisse*] Euripidis verba sunt in Andromache actu. III.

Οἱ μοι, καθ' Ἑλλάδ' ὡς κακῶς νομίζεταί,
 Ὅπαν τρέπαια πολέμιων εἴση στρατός,
 Ὅυ τῶν πονέντων τέρρον ἡγεῖναι τῶδε,
 Ἄλλ' ὁ στρατηγὸς τὴν δόκητιν ἔρνηται. C.

si moria

si moriendum, inquit, est pro te; Clitus est primus: at quum victoriae arbitrium agis, praecipuum ferunt praemium, qui procacissime patris tui memoriae inludunt. Sogdianam regionem³⁵ mihi adtribuis, toties rebellem, & non modo indomitam, sed quae ne subigi quidem possit. mittor ad feras bestias praecipitia ingenia sortitas. Sed quae ad me pertinent transeo. Philippi mili-³⁶tes spernis, oblitus, nisi hic Atharias senex iuniores pugnam detrectantes reuocasset; adhuc nos circa Halicarnassum haesituros fuisse. Quo modo³⁷ ergo Asiam etiam cum istis iunioribus subiecisti? Verum est, et opinor, quod auunculum tuum in

35. toties rebellem] Ter rebellauerat, antequam Alexander Indiam ingrederetur. In summariis lib. XVII. Diodori legitur: Σογδιανῶδες τὸ δεύτερον ἐχρησίζετο, & mox, ἀπόστρεψεν τὴν Σογδιανῶν. C. ad feras bestias] Supra VI. 3. 8. declaratam. C. 36. Atharias] De nomine vide VII. 1. 5. de re Diodor. XVII. 27. quamquam hic veteranis in vniuersum, quibus praeerat Atharias, hanc victoriam imputat. C. 37. auunculum tuum] Alexandrum Epiri regem, Olympiadis fratrem, cuius in Italiam aduentum & aduersus Brutios Lucanosque bellum scripserunt Lilius VIII. 3. 17. & 24. Iustinus XII. Huius apothegma, quod sequitur, etiam Gellius XVII. 21. retentis Graecis verbis ita recitat, se Epirotam ire quasi in ἀνδροπίτην, Macedonem esse ad Persas quasi in γυναικωπίτην. Sunt tamen, qui tam nostrum, quam Gellium ac Iustinum parachronismi insimulant, quasi Epirotae expeditio ante Macedonis Asiaticam contigerit, quod ex annis per consules a Lilio designatis eliciunt. Vide Oselium & Proustium in citatum locum Gellii. Ad- dunt Plutarchum de Fortun. Rom. lib. extremao, cuius

Italia dixisse constat, ipsum in viros incidisse, te
 38 *in feminas.* Nihil ex omnibus inconulte ac
 temere actis regem magis mouerat, quam Parme-
 nionis cum honore mentio inlata. Dolorem
 tamen rex pressit, contentus iussisse vt conuiui-
 39 excederet. Nec quidquam aliud adiecit, quam
forfitan eum, si diutius loquutus foret, exprobra-
turum sibi fuisse vitam a semetipso datam; hoc
 40 *enim superbe saepe iactasse.* Atque illum con-
 tantem adhuc surgere, qui proximi ei cubuerant,
 iniectis manibus iurgantes monentesque cona-
 41 bantur abducere. Clitus quum abstraheretur,
 ad pristinam violentiam ira quoque adiecta, *suo*
pectore tergum illius esse defensum; nunc post-
quam tanti meriti praeteriit tempus, etiam memo-
 42 *riam inuisam esse* proclamat. Attali quoque
 caedem obiciebat; & ad vltimum Iouis, quem
 patrem sibi Alexander adfereret, oraculum elu-
 dens, veriora se regi, quam patrem eius respon-
 43 disse dicebat. Iam tantum irae conceperat rex,
 quantum vix sobrius ferre potuisset. Enimvero

sententiam ad X. l. 18. adnotabimus. C. *in viros*
incidisse] in Italos fortitudine claros, Apulos, Luca-
 nos, Bruttios. C. *te in feminas*] in Persas alios-
 que Asiae populos imbelles & voluptatibus dissuantes.
 Adde supra III. 10. 10. C. 38. *pressit*] in animo
suo tenuit. S. 42. *Attali caedem*] de hoc Attalo
 in supplementis lib. I. num. 7. 8. & de caede eius num.
 10. item ad lib. VI. 9. 18. diximus. C. 43. *quan-*
tum vix sobrius] ὅτι δυσὶν κκαοῖν ἐν τῷ τότε ἡττημένον
 ἐπέδειξεν αὐτὸν, ὀργῆς καὶ παρωπίας. quod se tum
 temporis duobus vitiis obnoxium declarauit, irae &

mero

mero sensibus victis, ex lecto repente profiluit. Adtoniti amici ne positis quidem, sed abiectis 44 poculis consurgunt, in euentum rei, quam tanto impetu acturus esset, intenti. Alexander rapta 45 lancea ex manibus armigeri, Clitum adhuc eadem linguae intemperantia furentem percutere conatus, a Ptolemaeo & Perdicca inhi-
 betur. medium complexi & obluſtari perſeuerantem 46 morabantur: Lyſimachus, & Leonnatus etiam lanceam abstulerant. Ille militum fidem im-
 plorans, *comprehendi se a proximis amicorum, quod Dario nuper accidisset*, exclamat; *ſignumque tuba dari, et ad regiam armati coirent*, iubet. Tum vero Ptolemaeus & Perdicas genibus 48 aduolūti orant, *ne in tam praecipiti ira perſeueret, ſpatiumque potius animo det. omnia poſtero die iuſtus exſequuturum*. Sed clauſae 49 erant aures, obſtrepente ira. Itaque impo-
 tens animi percurrit in regiae veſtibus, & vigili excubanti haſta ablata conſtitit in aditu, quo necesse erat iis, qui ſimul coeuaerant, egredi. Abierunt ceteri, Clitus vltimus ſine lumi- 50

ebrietati. Arrian. IV. pag. 260. C. ex lecto] puluinari, in quo mensae adcumbebat. S. 44. ne positis] Tanta erat consilia iorum regis festinatio a mensa surgendi, vt pocula, quae in manibus habebant, non sensim in mensam reponerent, sed e manibus abicerent. S. 46. medium complexi] Ptolemaeus & Perdicas regem ab utroque latere continebant, vt rex inter illos esset medius. S. 48. spatium] tempus. S. animo] irae suae, vt apud Graecos Συμδος quod eandem significationem habet. S.

ne exhibat. Quem rex, quisnam esset? interrogat. Eminebat etiam in voce, sceleris, quod
 51 parabat, atrocitas. & ille iam non suae, sed
 regis irae memor, *Clitum esse, & de conuiuio*
 52 *exire* respondit. Haec dicentis latus hasta
 transfixit, morientisque sanguine adpersus:
I nunc, inquit, ad Philippum, & Parmenionem,
& Attalum.

52. *I nunc*] irrisoria formula, Virgil. VII. Aeneidos v. 425.

I nunc, ingratis offer te irrisse periculis.

Seneca epist. LXXXVIII *I nunc & longam esse vitam nega.* C.

CAP. II.

Sera Alexandri poenitentia, quam sequuntur bellicae expeditiones aduersus Bactrianos transfugas & Sysmichren: Philippi item strenuissimi iuuenis, & Erygii clarissimi ducis obitus.

- 1 **M**ALE humanis ingeniis natura consuluit; quod plerumque non futura, sed transacta perpendimus. Quippe rex postquam ira mente decesserat, etiam ebrietate discussa, magnitudinem facinoris sera aestimatione perspexit.
- 2 Videbat tunc immodica libertate abusum, sed alioqui egregium bello virum, & nisi erubesceret fateri, seruatorem sui, occisum. Detestabile carnificis ministerium occupauerat rex: verborum licentiam, quae vino poterat imputari, nefanda

nefanda caede vltus. Manabat toto vestibulo 3
 cruor, paullo ante conuiuiae: vigilae adtoniti &
 stupentibus similes procul stabant, liberioremque
 poenitentiam solitudo exciebat. Ergo hastam 4
 ex corpore iacentis euulsam retorsit in semet:
 iamque admouerat pectori; quum aduolant
 vigilae, & repugnanti e manibus extorquent,
 adleuatumque in tabernaculum deferunt. Ille 5
 humi prostrauerat corpus, gemitu eiulatuque
 miserabili tota personante regia. Laniare dein-
 de os vnguibus; & circumstantes rogare, ne se
 tanto dedecori superstitem esse paterentur. In 6
 has preces tota nox exacta est. Scrutantemque
 num irâ deorum ad tantum nefas actus esset?
 subit anniuersarium sacrificium Libero patri non
 esse redditum statuto tempore. itaque inter
 vinum & epulas caede commissa, iram dei fuisse
 manifestam. Ceterum magis eo mouebatur, 7
 quod omnium amicorum animos videbat adtoni-
 tos: neminem cum ipso sociare sermonem
 postea ausurum. viuendum esse in solitudine

3. paullo ante conuiuiae] cruor illius, qui paullo
 ante conuiuia erat. S. 4. aduolant] celeriter
 accurrunt. S. adleuatumque] scil. Regem. S.
 5. laniare] enallage, pro laniabat. S. 6. In
 has preces] his precibus. Sicut in hunc modum pro
 hoc modo. S. subit] animo eius, h. e. incidit
 ipsi, recordatus est. S. Libero patri] Baccho,
 quod iam aliquoties adfuit. S. 7. eo] ea re. S.
 sociare sermonem] conloqui. S.

- venit ferae bestiae, terrenti alias, alias timentis.
- 8 Prima deinde luce tabernaculo corpus, sicut adhuc cruentum erat, iussit inferri. Quo posito ante ipsum, lacrimis obortis, *hanc*, inquit, *nutrici meae gratiam retuli, cuius duo filii apud Miletum pro mea gloria occubuerunt mortem: hic frater vnicum orbitatis solatium a me inter epulas*
- 9 *occisus est. Quo nunc se conferet misera? Omnibus eius vnus supersum, quem solum aequis oculis videre non poterit. Et ego seruatorum meorum latro, reuertar in patriam, ut ne dextram quidem nutrici, sine memoria calamitatis eius offerre*
- 10 *possim?* Et quum finis lacrimis querelisque non fieret; iussu amicorum corpus ablatum est. rex
- 11 *triduum iacuit inclusus. quem ut armigeri corporisque custodes ad moriendum obstinatum esse cognouerunt; vniuersi in tabernaculum inrumpunt, diuque precibus ipsorum reluctatum aegre*

ferae bestiae] est casus tertius, qui dependet a verbo est: viuendum esse ipsi tanquam ferae bestiae. S. *alias, alias*] pro modo, modo: pro: quae modo alios terret, statim vero ab iis quoque rimet. S. 8. *duo filii apud Miletum*] Mileti Ioniae vrbs obsidionem attigimus lib. II. num. VII. supplementorum: nutricis filios pro Alexandri gloria oppetiisse mortem, etiam Arrianus refert IV. pag. 261. quamquam neque locum neque tempus expressit. Verosimile autem est in prima obsidione, rege praesente, occubuisse, non in altera, qua post rebellionem duces Alexandri urbem receperunt. Curt. IV. 5. 13. C. 9. *latro*] occisor, interfector. S.

vicerunt, vt cibum caperet. quoque minus¹²
 caedis puderet, iure interfectum Clitum Macedo-
 nes decernunt, sepultura quoque prohibitori,
 ni rex humari iussisset. Igitur decem diebus¹³
 maxime ad confirmandum pudorem apud Mara-
 anda consumptis; cum parte exercitus Heph-
 aestionem in regionem Bactrianam misit,
 commeatus in hiemem paraturum. Quam¹⁴
 Clito autem destinauerat prouinciam, Amyntae
 dedit: Ipse Xenippa peruenit. Scythiae confi-
 nis est regio, habitaturque pluribus ac frequen-
 tibus vicis, quia vbertas terrae non indigenas
 modo detinet, sed etiam aduenas inuitat.
 Bactrianorum exsulum, qui ab Alexandro defe-¹⁵
 cerant, receptaculum fuerat. sed postquam
 regem aduentare compertum est; pulsi ab in-
 colis II millia fere & ducenti congregantur.

12. *iure interfectum Clitum*] Cuius causa Anaxar-
 chum sophistam aiunt aduocatum esse, vt regi persua-
 deret, τὰ ἐκ βασιλέως μεγάλου γιγνόμενα δίκαια χρῆνα
 νομίζεσθαι, πρῶτα μὲν πρὸς αὐτῷ βασιλέως, ἔπειτα πρὸς
 τῶν ἄλλων ἀνθρώπων, oportere, quae a magno rege
 fierent, iusta existimari, primum quidem ab ipso
 rege; deinde a ceteris mortalibus, Arrian. IV. pag.
 261. C. 13. *ad confirmandum pudorem*] donec
 praeteriret pudor; eiusque incesset regem obliuio. S.
 14. *Xenippa peruenit*] Graecum nomen a Macedo-
 nibus procul dubio impositum, sed cui regioni, prorsus
 incertum, quod nemo geographorum aut historicorum,
 praeter nostrum Curtium, eius vsquam mentionem
 fecit. Sogdianae partem fuisse, ex nexu historiarum,
 suspicari licet. C.

- 16 Omnes equites erant, etiam in pace latrociniiis adfueri. tam ferocia ingenia non bellum modo; sed etiam veniae desperatio efferauerat. Itaque ex improviso adorti Amyntam praetorem Alexandri, diu anceps proelium fecerant.
- 17 Ad vltimum DCC suorum amissis, quorum CCC hostis cepit; dedere terga victoribus: haud sane inulti, quippe LXXX Macedonum interfecerunt, praeterque eos CCC & L saucii facti
- 18 sunt. Veniam tamen etiam post alteram defensionem impetrauerunt. His in fidem acceptis in regionem, quam Naura adpellant, rex cum toto exercitu venit. Satrapes erat Sisimithres duobus ex sua matre filius genitis; quippe apud eos parentibus stupro coire cum liberis fas est.
- 20 In millibus armatis popularibus fauces regionis, qua in arctissimum cogitur; valido munimento sepeferant. praeterfluebat torrens amnis; tergo terra claudebat: hanc manu peruiam incolae
- 21 fecerant. Sed aditus specus accipit lucem; interiora nisi inlato lumine obscura sunt. perpetuus cuniculus iter praebet in campos, ignotum
- 22 nisi indigenis. At Alexander quamquam angustias naturali situ munitas ac validas, manu bar-

19. *Naura adpellant*] Neque huius regionis apud alios occurrit commemoratio. Oportet vero etiam circa Bactrianam Sogdianamque fuisse, saltem partem alterutrius. C. 20. *tergo*] a tergo vel post tergum. S. 21. *accipit lucem*] a sole scilicet, vel die, S.

bari tuebantur ; tamen arietibus admotis muni-
 menta , quae manu adiuncta erant , concussit,
 fundisque & sagittis propugnantium plerosque
 deiecit : quos vbi dispersos fugauit , ruinas
 munimentorum supergressus ad petram admouit
 exercitum. Ceterum interueniebat fluuius, 23
 coeuntibus aquis ex superiore fastigio in vallem ;
 magnique operis videbatur tam vastam voragi-
 niem explere. Caedi tamen arbores & saxa con- 24
 geri iussit. ingensque barbaros pavor rudes
 ad talia opera concusserat , excitatam molem
 subito cernentes. Itaque rex ad deditionem 25
 metu posse compelli ratus , Oxartem misit nati-
 onis eiusdem , sed ditionis suae , qui suaderet
 duci , vt traderet petram. Interim ad augendam 26
 formidinem , & turres admouebantur ; & ex-
 cussa tormentis tela emicabant. Itaque verti-
 cem petrae omni alio praesidio damnato peti-
 uerunt. At Oxartes trepidum diffidentemque 27
 rebus suis Syfmithrem coepit hortari, *vt fidem,*
quam vim Macedonum mallet experiri ; neu mo-
raretur festinationem victoris exercitus , in Indi-
am tendentis : cui quisquis semet offerret, in suum
caput alienam cladem esse versurum. Et ipse 28
 quidem Syfmithres deditionem adnuebat : cete-

22. arietibus admotis] supra IV. 3. 13. C.
 24. rudes ad talia opera] qui haecenus nondum scie-
 bant talia opera fieri posse. S. 25. deditionis
 suae] qui se Alexandro dediderat. S. 26. emi-
 cabant] proflicbant, proueniebant. S. 27. damna-
 30] neglecto. S.

rum mater eademque coniux morituram se ante denuncians, quam in vllius veniret potestatem; barbari animum ad honestiora quam tutiora conuerterat: pudebatque libertatis maius esse
 29 apud feminas, quam apud viros precium. Itaque dimisso internuncio pacis, obsidionem ferre decreuerat. Sed quum hostis vires suasque pensaret; rursus muliebris consilii, quod praeceptis magis quam necessarium esse credebat, poenitere eum coepit. Reuocatoque strenue Oxarte, futurum se in regis potestate respondit; vnum precatus, ne voluntatem & consilium matris suae proderet, quo facilius venia illi quoque
 31 impetraretur. Praemissum igitur Oxartem cum matre liberisque & totius cognationis grege sequebatur, ne exspectato quidem fidei pignore,
 32 quod Oxartes promiserat. Rex equite praemisso, qui reuerti eos iuberet, opperiri praeferentiam ipsius, superuenit; & victimis Minervae ac Victoriae caesis, imperium Syfimithri restituit; spe maioris etiam prouinciae facta, si
 33 cum fide amicitiam ipsius coluisset. Duos illi iuuenes patre tradente secum militaturos sequi iussit. relicta deinde phalange ad subigendos,
 34 qui defecerant, cum equite processit. Arduum & impeditum saxi iter primo utcumque tolerabant. mox equorum non vngulis modo adtritris; sed corporibus etiam fatigatis, sequi

29. internuncio patris] Oxarte siue Oxyarte, pacis sanciendae causa legato, C.

plerique

plerique n
 fiebat, p
 vincenre
 sine in
 bols me
 pperit Phi
 num ad
 taras. Is p
 rectum reg
 offerent Ly
 a rege effici
 gestaret. I
 tum, in qu
 ubi pugn
 dicitatem
 in fugam e
 in ardore p
 subitoque
 rabonis pr
 ne illo qu
 regis exc
 gunt.
 excep
 quem
 retur
 adpara

34. p
 labores m
 35. Lyfim
 cap. l. n. 17

plerique non poterant, & rarius subinde agmen
 fiebat, pudorem, vt fere fit, immodico labore
 vincente. Rex tamen subinde equos mutans, 35
 sine intermissione fugientes insequabatur. No-
 biles iuuenes comitari eum soliti defecerant
 praeter Philippum. Lysimachi erat frater, tum
 primum adultus, & quod facile adpareret indolis
 rarae. Is pedes, incredibile dictu, per D stadia 36
 vectum regem comitatus est; saepe equum suum
 offerente Lysimacho, nec tamen vt digrederetur
 a rege effici potuit, quum lorica indutus arma
 gestaret. Idem quum peruentum esset in sal- 37
 tum, in quo se barbari abdiderant, nobilem
 edidit pugnam; regemque cominus cum hoste
 dimicantem protexit. Sed postquam barbari 38
 in fugam effusi deseruere filuas, animus, qui
 in ardore pugnae corpus sustentauerat, liquit;
 subitoque ex omnibus membris profuso sudore,
 arboris proximae stipiti se adplicuit. Deinde 39
 ne illo quidem adminiculo sustinente, manibus
 regis exceptus est, inter quas conlapsus extin-
 guitur. Moestum regem alius haud leuis dolor 40
 excepit. Erigyus inter claros duces fuerat;
 quem extinctum esse paullo ante, quam reuerte-
 reretur in castra, cognouit. vtriusque funus omni
 adparatu atque honore celebratum est.

34. *pudorem labore vincente*] adeo immensi erant
 labores militum, vt milites non puduerit illud fateri. S.
 35. *Lysimachi*] qui postea regnavit, de quo proxime
 cap. I. n. 17. actum est, C.

CAP. III.

Spitamenis uxorem, interfecti mariti caput adferentem, Alexander castris excedere iubet; provincias quasdam a praefectorum suorum iniuriis vindicat.

- 1 **D**AHAS deinde statuerat petere; ibi namque Spitamenum esse cognouerat. Sed hanc quoque expeditionem, ut pleraque alia, fortuna indulgendo ei nunquam fatigata, pro
 2 absente transegit. Spitamenes uxoris immodico amore flagrabat; quam aegre fugam, & noua subinde exilia tolerantem, in omne discrimen comitem trahebat. Illa malis fatigata idem-
 3 tidem muliebres adhibere blanditias; *ut tandem fugam sifteret, victorisque Alexandri clementiam expertus, placaret quem effugere non posset.* Tres adulti erant liberi ex eo geniti, quos quum pectori patris admouisset, *ut saltem eorum misereri vellet*, orabat; & quo efficaciores essent
 4 preces, haud procul erat Alexander. Ille se prodi, non moneri ratus, & formae profecto fiducia cupere eam quamprimum dedi Alexandro; acinacem strinxit, percussurus uxorem, nisi
 5 prohibitus esset fratrum eius occurfu. Ceterum abire e conspectu iubet; addito metu mortis,

I. Dabas] Vide IV. 12. 6. VII. 4. 6. C. pro absente] eius (Alexandri) loco, qui absens erat, fortuna rem istam transegit. S. 4. se prodi] nam putabar mulierem suam pulcherrimam forte ad Alexandro concupisci posse, ex qua se ipsi capitis periculum immineret. S.

si se

si se oculis eius obtulisset : & ad desiderium
 leuandum noctes inter pellices agere cepit. Sed ⁶
 penitus haerens amor fastidio praesentium ac-
 census est. itaque rursus vni ei deditus, orare
 non destitit, *Et tali consilio abstineret, patere-*
turque sortem quamcumque eis fortuna fecisset.
fibi mortem deditioe esse leuiorem. At illa pur- ⁷
 gare se, *quod quae virilia esse censebat, muliebriter*
forstian ; sed fida tamen mente suassisset, de cetero
futuram in viri potestate. Spitamenes simulato ⁸
 captus obsequio, de die conuiuium adparari
 iubet, vinoque & epulis grauis, semifomnus
 in cubiculum fertur. *Quem* vt alto & graui ⁹
 somno sopitum esse sensit vxor, gladium, quem
 veste occultauerat, stringit, caputque eius ab-
 scissum cruore resperfa, seruo suo conscio faci-
 noris tradit. Eodem comitante, sicut erat, ¹⁰
 cruenta veste, in Macedonum castra peruenit,
 nunciarique Alexandro iubet, *esse quae ex ipsa*
deberet cognoscere. Ille protinus barbaram iussit
 admitti. quam vt aspersam cruore conspexit, ¹¹
 ratus ad deplorandam contumeliam venisse, di-
 cere quae vellet, iubet. At illa seruum, quem ¹²

6. penitus haerens] vehementer & firmiter in-
 haerens. S. fastidio praesentium] sc. rerum :
 dum Spitamenes praesentem sortem & vitam negli-
 gebat. S. 8. captus] delectatus. S. 10.
 sicut erat] Elegans formula, qua etiam Nepos XVI,
 3. 2. vsus est. Adde Buchner. ad Thef. Fabri in Sicur. C.
 esse] subaudi aliquid ; b, c, se habere aliquid quod
 regi nunciaret. S.

stare

- stare in vestibulo iusserat, introduci desiderauit. qui quia caput Spitamenis veste tectum habebat; suspectus scrutantibus, quid occuleret, ostendit.
- 13 Confuderat oris ex sanguis notas pallor, nec quis esset, nosci satis poterat. Ergo rex certior factus humanum caput adferre eum, tabernaculo excessit, percontatusque *quid rei sit?* illo proficiente cognoscit. Varias hinc cogitationes inuicem animum diuersa agitantem commouerant. meritum ingens in semet esse credebat, quod transfuga & proditor, tantis rebus, si uixisset, iniecturus moram, interfectus esset: contra facinus ingens auerfabatur, quum optime meritum de ipsa; communium parentem liberorum,
- 15 per insidias interemisset. Vicit tamen gratiam meriti, sceleris atrocitas, denunciarique iussit, *vt excederet castris. ne uolentiae barbarae exemplar in Graecorum mores, & mitia ingenia*
- 16 *transferret.* Dahae Spitamenis caede comperta Dataphernem defectionis eius participem, uinctum Alexandro seque dedunt. Ille maxima praesentium curarum parte liberatus, conuertit animum ad vindicandas iniurias eorum, quibus a praetoribus suis auare ac superbe imperabatur.
- 17 Ergo Phratapherni Hyrcaniam & Mardos cum Tapuris tradidit, mandauitque, ut Phradatem,

13. oris] faciei. S. 17. Mardos cum Tapuris] De Mardis diximus ad V. 6. 17. Tapuros Plinius, & Strabo, & Dionysius Periegeta Tapyros uocant, Ptolemaeus Taporos O breui, & in alio codice Tapuros media diphthongo. Plinius VI. 16. cum Hyrcanis

cui

cui succed
Arfani Dr
fanor.
inde dicit
Dellatam

omnino: Di
Strabo XI. pa
Polybio V. 4
i. rudi dityx
si Hyrcano m
gina locat, q
uenerit Hardi
uigo Cariae e
uoluerit.
4. m. uislan
inde Curum
dis, haud pa
auisquintae.
Arum & Ca
uocant. C

Frigis

HIS
H mo

L. Gab
ignocum. I
300. G.

cui succedebat, ad se in custodiam mitteret. Arsani Drangarum praefecto substitutus est Stasfanor. Arfaces in Mediam missus, ut Oxydates inde discederet. Babylonia, mortuo Mazaeo, Deditameni subiecta est.

coniungit: Dionysius v. 732. cum Mardis & Hyrcanis: Strabo XI. pag. 354. inter Hyrcanos & Arios ponit: Polybio V. 44. *Ταπύρων ἔρη τῆς Τρανίας θαλάσσης ἐπὶ πολὺ διεσκήκε*, *Tapyrorum montes non longe absunt ab Hyrcano mari*: Ptolemaeus suos Taporos in Margiana locat, quos alios a Strabonis & Plinii Tapyris censet Harduinus. C. *Drangarum*] Perperam vulgo *Carinae* est editum, quae prouincia ad has oras nihil pertinet. Arrianus IV. pag. 280. & Iustinus XIII. 4. 22. Stasfanorem Drangarum praesidem adpellant, unde Curtium emendarunt Freinshemius & Blancardus, haud parum iuuante manu scriptorum codicum antiquitate. Sunt autem *Drangae* siue *Drancae* inter Ariam & Carmaniam. *Strab. XI. Regio Drangiana vocatur.* C.

CAP. IV.

Frigoris nimia vi paene opprimitur exercitus Gabazam aditurus. Alexandri constantia, & erga gregarium militem humanitas, eiusdemque cum Roxane matrimonium.

HIS compositis tertio mense ex hibernis **I** mouit exercitum, regionem, quae Gabaza

I. Gabaza] Nomen historicis & geographis ignotum. In Sogdiana *Gaba* & *Gaza* oppida Arriano. C.

adpel-

- 2 adpellatur, aditurus. Primus dies quietum iter praeiuit: proximus ei nondum quidem procellosus & tristis, obscurior tamen pristino,
- 3 non sine minis crescentis malis praeteriit. tertio ab omni parte coeli emicare fulgura, & nunc internitente luce, nunc condita, non oculos modo meantis exercitus, sed etiam animos terrere
- 4 coeperunt. Erat prope continuus coeli fragor, & passim cadentium fulminum species visibatur. adronitisque auribus stupens agmen, nec progredi, nec consistere audebat. Tum repente imber grandinem incutiens torrentis modo effunditur. ac primo quidem armis suis tecti exceperant, sed iam nec retinere arma lubricae & rigentes manus poterant; nec ipsi destinare, in quam regionem obuerterent corpora, quam undique tempestatu violentia maior, quam vitabatur, occurreret. Ergo ordinibus solutis per totum saltum errabundum agmen ferebatur; multique prius metu, quam labore defatigati, posttrauerant humi corpora, quamquam imbrem

2. *non sine minis crescentis mali*] Modio & Acidalio probata scriptura: ante hos legebatur *Non sine crescentis mali damno*. unde quidam coniuncte putant legi posse: *non sine minis crescentis mali; sine damno praeteriit*. C. 3. *emicare coeperunt*] *emicuerunt*. Nam *coepi* cum infinitiuo constructum, e. usdem verbi periphrasin facit. Exempla etiam in sacris occurrunt. Actor I. 1. Adde quae notauit Erhardus ad Petronium c. 6. S. *condita*] *abscondita*. S. 5. *nec ipsi destinare*] *sie konten sich nicht resolui-ten*. S.

vis frigoris
se stuporibus
& adm
bat in
nisi cal
copiam t
quiescendo.
etiam perim
curale solatium
rem nocti,
Rex vnus tan
contrahere d
deuocul e
ique u pro
Nervales r
placito labo
cellerant,
tum efficac
frigoris r
siluas herra
accender
cideres

8. 2
quando
eligere,
erat pigrit
poltionem
solatur, v
senobris v
Supra LV. 3
ars immis

vis frigoris concreto gelu adstrinxerat. Alii 7
 se stipitibus arborum admouerant. id plurimis
 & adminiculum & suffugium erat. Nec falle- 8
 bat ipsos morti locum eligere, cum immobiles
 vitalis calor linqueret: sed gratia erat pigritia
 corporum fatigatis; nec recusabant extinguī
 quiescendo. quippe non vehemens modo, sed
 etiam pertinax vis mali insidebat, lucemque na-
 turale solatium praeter tempestatem haud dispa-
 rem nocti, siluarum quoque umbra suppresserat.
 Rex vnus tanti mali patiens, circumiri milites, 9
 contrahere dispersos, adleuare prostratos, osten-
 dere procul euolutum ex tuguriis fumum, horta-
 rique vt proxima quaeque suffugia occuparent.
 Nec vlla res magis saluti fuit, quam quod multi-10
 plicato labore sufficientem malis, quibus ipsi
 cesserant, regem deferere erubescabant. Cete-11
 rum efficacior in aduersis necessitas, quam ratio,
 frigoris remedium inuenit. dolabris enim
 siluas sternere adgressi, passim acruos struesque
 accenderunt. Continenti incendio ardere 12
 crederes saltum, & vix inter flammis agminibus

8. *Nec fallebat ipsos*] h. e. bene sciebant, se
 quando semel in terram reclinarentur, tamen locum
 eligere, in quo ipsis moriendum erat: grata tamen
 erat pigritia &c. S. *naturale solatium*] per ad-
 positionem, pro, lucem quae alias naturā homines
 solatur, vt non tantopere timeant, quam quando in
 tenebris versantur. S. *ii. efficacior necessitas*] *Supra* IV. 3. 24. eodem ferme modo; *Efficacior omni*
arte imminens necessitas. C.

relieto-

- relictorum locum. Hic calor stupentia membra commouit, paullatimque spiritus, quem contingerat rigor, meare libere coepit. Excepere alios tecta barbarorum, quae in ultimo saltu abdita necessitas inuestigauerat: alios castra, quae in humido quidem, sed iam coeli mitescente faeuitia locauerunt. Mille militum, atque fixarum calonumque pestis illa consumpsit.
- 14 Memoriae proditum est, quosdam adplicatos arborum truncis, & non solum uiuentibus, sed & inter se conloquentibus similes esse conspectos; durante adhuc habitu, in quo mors quemque
- 15 deprehenderat. Forte Macedo gregarius miles seque & arma sustentans, tandem in castra peruenerat. Quo viso rex, quamquam ipse tunc maxime adnoto igne resouebat artus, ex sella sua exsiluit, torpentemque militem, & vix compositem mentis, dentis armis in sua sede iussit
- 16 considerare. Ille diu nec ubi requiesceret, nec a quo esset exceptus, adgnouit. tandem recepto calore vitali ut regiam sedem remque vidit, ter-
- 17 ritus surgit. quem intuens Alexander, *ecquid intelligis miles, inquit, quanto meliore sorte, quam Persae sub rege viuatis? Illis enim in sella regis consedissee capitale foret; tibi saluti fuit.*
- 18 Postero die conuocatis amicis copiarumque ducibus, pronuntiari iussit, ipsum omnia, quae amissa essent, redditurum. & promisso fides
- 19 exstitit. nam Syfimitres multa iumenta &

12. stupentia] quae nimio gelu rigeabant. S.
 18. amicis] consiliariis. S.

came-

camelorum
 armenta:
 damno &
 relaram
 cibariis
 hanc regionem
 cum ex prae
 uent in re
 nobilis pra
 permisit.
 quam ut
 exegit.
 relinquet
 conuiuium
 id quam
 XXX nota
 filia ipsius
 specie & d
 quamquam

10. Sa
 gem bed
 nunc pe
 redigit
 scriptores
 tem vel O
 pag. 37
 K. 3. 11; p
 Alexandri m
 nom significa
 Syfimitrae l
 c. 1. auctor est
 hanc. S.

camelorum duo millia adduxit, pecoraque & armenta: quae distributa pariter militem & damno & fame liberauerunt. Rex gratiam sibi²⁰ relata a Syfimitre praefatus, sex dierum cocta cibaria ferre milites iussit, Sacas petens. Totam hanc regionem depopulatus, XXX millia pecorum ex praeda Syfimitri dono dat. Inde per²¹ uenit in regionem, cui Cohortanus satrapes nobilis praeerat, qui se regis potestati fideique permisit. Ille imperio ei reddito, haud amplius quam ut duo ex tribus filiis secum militarent, exegit. Satrapes etiam eum, qui penes ipsum²² relinquebatur, tradit. *** barbara opulencia conuiuium, quo regem accipiebat, instruxerat. id quum multa comitate celebraret, introduci²³ XXX nobiles virgines iussit. Inter quas erat filia ipsius *Roxane* nomine, eximia corporis specie & decore habitus, in barbaris raro. Quae²⁴ quamquam inter electas processerat, omnium

20. *Sacas petens, regionem depopulatus*] Sacarum gens deditione in fidem recepta fuerat VIII. 9. 17. nunc post defectionem ferro & flammis in ordinem redigitur. C. 22. *tradit ****] Quod omnes scriptores Roxanis patrem non Cohortanum sed Oxartem vel Oxyartem vocant, Diodorus XII. 3. Strabo XI. pag. 356. Arrianus IV. pag. 284. & ipse Curtius X. 3. 11; plane probabile fit, initium narrationis de Alexandri nuptiis, quod fortasse reditum in Baetrianam significauit, desiderari. In Baetrianam enim ad Syfimitrae Petram illas nuptias celebratas esse, Strabo c. l. auctor est. C. 23. *in barbaris*] apud barbaros. S.

tamen

tamen oculos conuertit in se ; maxime regis,
 minus iam cupiditatibus suis imperantis inter
 obsequia fortunae, contra quam non satis cauta
 25 mortalitas est. Itaque ille, qui vxorem Darii,
 qui duas filias virgines, quibus forma praeter
 Roxanem comparari nulla poterat haud alio
 animo, quam parentis adspexerat ; tunc in
 amorem virgunculac, si regiae stirpi comparetur,
 ignobilis, ita effusus est, vt diceret *ad stabili-*
endum regnum pertinere, Persas & Macedones
connubio iungi : hoc vno modo & pudorem victis ;
 26 *& superbiam victoribus detrahi posse. Achillem*
quoque, a quo genus ipse deduceret, cum captiua
coisse. Ne inferri nefas arbitraretur, ita matri-
 27 *monii iure velle iungi.* In sperato gaudio laetus
 pater sermonem eius excepit : & rex medio cupi-
 ditatis ardore iussit adferri patrio more panem.
 hoc erat apud Macedones sanctissimum coeun-
 tium pignus ; quem diuisum gladio, vterque
 28 libabat. Credo eos qui gentis mores condide-
 runt, parco & parabili victu ostendere voluisse
 iungentibus opes, quantulo contenti esse debe-
 29 rent. Hoc modo rex Asiae & Europae intro-

24. mortalitas] homines mortales. S. 26.
 Achillem cum captiua] cum Briseide, siue Brisis filia
 Hippodamia, quam, Lyrnesso Troadis expugnata, cepit
 sibi que matrimonio iunxit. C. 29. geniturus]
 subaudi cum, qui &c. S. libertate sublata] post
 caedem Cliti amici siue consiliiarii Regis Alexandri in
 eo monendo non tanta libertate utebantur : metuebant
 enim vitae suae periculum. S.

ductam

ductam in
 adiunxit, e
 peraret.

las socer
 caedem
 suam, adle

30. vultu
 M. Lepist. IX
 sibi marit. E
 vultu, vultu

Cogitatio
 fra
 filia
 orat.

CETE
 petit
 impedita p
 eius XXX
 amata p
 tes. C
 nem &
 quorum
 ho occid
 nae Buba
 2. Buba
 que alii Pa
 Caetero rebe
 39. C.

ductam inter conuiuales ludos matrimonio sibi adiunxit, e captiua geniturus, qui victoribus imperaret. Pudebat amicos super vinum & epulas focerum ex deditis esse electum: sed post Cliticaedem libertate sublata; vultu, qui maxime seruit, adsentiebantur.

30. *vultu qui maxime seruit*] Cicero ad Lentulum lib. I. epist. IX. *Fronte atque vultu simulatio facillime susinetur.* Et ad Q. frat. lib. I. epist. I. cap. V. *Frons, oculi, vultus persaepe mentiuntur.* C.

CAP. V.

Cogitationibus in bellum Indicum versis, adulatorum fraude, nimia superbia elatus Alexander, Ionis filius vult saluari: quod Callisthenes graui oratione improbat.

CETERVM Indiam, & inde Oceanum petiturus, ne quid a tergo, quod destinata impedire possit, moueretur; ex omnibus prouinciis XXX millia iuniorum legi iussit, & ad se armata perducere: obsides simul habiturus, & milites. Craterum autem ad persequendos Haustanem & Catenem, qui ab ipso defecerant, misit: quorum Haustanes captus est; Catenes in proelio occisus. Polysperchon quoque regionem, quae Bubacene adpellatur, in ditionem redegit.

2. *Bubacene*] regio soli Curtio memorata, ideoque alii *Parcetacene* malunt, vbi Polysperchon cum Cratero rebelles domuerat, auctore Arriano IV. pag. 289. C.

Ataque

- 3 Itaque omaibus compositis cogitationes in bellum Indicum vertit. Diues regio habebatur non auro modo, sed gemmis quoque margaritisque ad luxum magis quam ad magnificentiam
- 4 exulta. Clypei militares auro & ebore fulgere dicebantur: itaque necubi vinceretur, cum ceteris praestaret; scutis argenteas laminas, equis fraenos aureos addidit, loricas quoque alias auro, alias argento adornauit. CXX millia armatorum erant, quae regem ad id bellum sequebantur. Iamque omnibus praeparatis, quod olim praua mente conceperat, tunc esse maturum, quonam modo coelestes honores vsurparet, coepit agitare. Iouis filium non dici tantum se, sed etiam credi volebat, tamquam perinde animis imperare posset, ac linguis.
- 6 Itaque more Persarum Macedonas venerabundos ipsam salutare prosterntes humi corpora. Non deerat talia concupiscenti perniciofa adulatio, perpetuum malum REGVM, quorum

4. *scutis argenteas laminas*] *Argyraspidas* vocabant hoc scutorum genus, de quo diximus ad IV. 13. 27. C. 6. *venerabundos*] feruilem cultum, immo supra humanum, & vere diuinum vis verbi indicat, quem auersabantur Macedones ciuilitate antehac a rege suo habiti. C. *prosterntes humi corpora*] hoc est, quod Graece *προσκυνην* vocant, auctore Corn. Nepote in Conone cap. 3. quo plus quam feruilem adoratio significatur, Graecis, & omnibus ingenuis, semper grauis ac molesta. C. *adulatio, perpetuum malum regum*] Semper enim magnae fortunae comes est adulatio. *Vel. Patere, II. 102. C.*

opes

opes saepi
tit. Nec
enim illo
suffinim
honestam
Agis quida
post Choeril
quidem no
vicio adula
menta, qu
exercituum
nam coelu
Patrem L
nomini
die omni
cui non M

& Agis A
lato, de quo
cum reiet, q
dona dedit.
adulationis di
victibus &
dumbarale
uerim. Qu
& aemulum
Non vnus
quem Horati
vado fuisse
vos tribuit
cuis in adula
perato] mali
ille X. 2. 7.
conterant, om
necquam, idem

opes saepius assentatio, quam hostis euer-
 tit. Nec Macedonum haec erat culpa, nemo
 enim illorum quidquam ex patrio more labare
 sustinuit; sed Graecorum, qui professionem
 honestarum artium malis corruerant moribus.
 Agis quidam Argiuis pessimorum carminum
 post Choerilum conditor, & ex Sicilia Cleo: hic
 quidem non ingenii solum, sed etiam nationis
 vitio adulator; & cetera urbium suarum purga-
 menta, quae propinquis etiam maximorumque
 exercituum ducibus a rege praeferebantur. Hi
 tum coelum illi aperiebant, Herculemque &
 Patrem Liberum, & cum Polluce Castorem nouo
 nomini cessuros esse iactabant. Igitur festo
 die omni opulencia conuiuium exornari iubet;
 cui non Macedones modo & Graeci principes

8. *Agis Arginus*] malus poeta & Alexandri adu-
 lator, de quo Plutarchus in lib. de *Adul. & Amici* dis-
 crim. refert, quum Alexander cuidam scurrae magna
 dona dedisset, indignatum quidem, non autem oblitum
 adulationis dixisse, hunc morem esse Ioue genitorum,
 ut ridiculos & ineptos in precio habeant, quemadmo-
 dum Hercules Ceroopibus, Bacchus Silenis sese oblecta-
 uerint. Quo faceto dicto & regis sibi gratiam seruauit,
 & aemulum argute puniuit. *C. post Choerilum*] *Non vnus huius nominis poeta.* Hic ille intelligitur,
 quem Horatius II. Epist. I. v. 232. *gratum* quidem *Alexandro* fuisse ait, verum *versus illi incultos & male*
natos tribuit. *C. nationis vitio*] quasi *S'culi*
 ceteris in adulationem proniores essent. *C. pur-*
gamenta] malis moribus meriti, ut eicerentur patria.
 Adde X. 2. 7. *C. Herculemque*] quatuor deos
 enumerant, omnes Iouis filios, quibus Alexandrum
 exaequant, idem fastigium adfectantem. *C.*

amicorum, sed etiam nobiles adhiberentur, Cum quibus quum discubisset rex, paullisper
 I oepulatus conuiuio egreditur. Cleo sicut prae-
 parauerat, sermonem cum admiratione laudum
 eius instituit. *merita deinde percensuit, quibus*
hno modo referri gratia posset, si quem intelli-
 II *gerent deum esse, confiterentur, exigua thuris*
 III *impensa tanta beneficia pensaturi. Persas qui-*
 dem non pie solum, sed etiam prudenter reges
 suos inter deos colere: *maiestatem enim imperii,*
salutis esse tutelam. Nec Herculem quidem &
Patrem Liberum prius dicatos deos, quam vicissens
secum uiuentium inuidiam. tantumdem quoque
 IV *posteris credere, quantum praesens aetas spon-*
 V *dit diffet. Quod si ceteri dubitent; semetipsum,*
 quum rex inisset conuiuium, prostratum humi
 corpus. *debere idem facere ceteros, & in primis*
 VI *sapientia praeditos. ab illis enim cultus in regem*
 VII *esse prodendum exemplum. Haud perplexe in*

10. Cleo] quem sermonem noster Cleoni Siculo ;
 Arrianus lib. IV. Anaxarcho sophistae tribuit. C.
exigua thuris impensa] Thura adolere, diuinus honor
 erat, quem hic adulator suadet. C. II. *vicissens*
inuidiam] donec desissent esse inter homines. Con-
 sequens ponitur pro antecedente. Nam postquam
 homines mortui sunt, tunc inuidia aliorum, qua eos
 persecuti sunt, quiescit. Quod etiam in trito versu
 occurrit :

Pascitur in uinis liuor, post fata quiescit. S.

13. Haud perplexe] haud obscure, non ambi-
 gue. C.

Callisthe-

Callisthenes
 & prompta
 Macedona
 retur.

enibus con-
 alijs ; n
 dicitur

rius degener
 gis inuidia
 quoniam ab

esse eundem
 uelestesque
 Intervallo

que hanc
 Ego autem
 vita diuor

rem conseq
 diuinitas.
 consecratae

in Callisti
 eius cognat
 datus. La

15. diuor
 eunt, s
 deorum po

riui excell
 rati. C.

uo, vt sero
 merum reci
 simpliciter

post morte
 pratur inte
 uenatur, qu

Callisthenem dirigebatur oratio : grauitas viri
 & prompta libertas inuisa erat regi , quasi solus
 Macedonas paratos ad tale obsequium mora-
 retur. is tum silentio facto, vnum illum intu-
 entibus ceteris ; *Si rex , inquit , sermoni tuo*
adfuisset ; nullius profecto vox responsuri tibi
desideraretur : ipse enim peteret , ne in peregrinos
ritus degenerare se cogeret , neu rebus felicissime
gestis inuidiam tali adulatione contraheres. Sed
quoniam abest , ego tibi pro illo respondeo : Nullum
esse eundem & diuturnum & praecocem fructum ;
coelestesque honores non dare te regi , sed auferre.
Interuallo enim opus est , vt credatur deus , semper-
que hanc gratiam magnis viris posteri reddunt.
Ego autem seram immortalitatem precor regi , vt
vita diuturna sit , & aeterna maiestas. Homi-
nem consequitur aliquando , nunquam comitatur
diuinitas. Herculem modo & Patrem Liberum
consecratae immortalitatis exempla referebas.

in Callisthenem] Callisthenes Olynthius , Aristo-
telis cognatus & discipulus , & ab eodem commen-
datus. Laertius in Aristot. Plutarch. in Alex. C.
15. diuturnum & praecocem] quia cito nata cito per-
eunt. C. 15. posteri reddunt] Plerique gentilium
deorum post mortem demum propter merita , quibus
viui excelluerant , diuinis honoribus a posteritate
aucti. C. 16. seram immortalitatem precor]
opto , vt sero rex humanis rebus excedat , & in deorum
numerum recipiatur. C. 16. Hominem consequitur]
pro simplici sequitur. Sensus : Potest aliquando fieri ,
vt post mortem sequatur diuinitas alicuius , seu vt
referatur inter deos : quae tamen diuinitas neminem
comitatur , quando scilicet adhuc in viuis est. S.

Credisne illos vnius conuiuii decreto deos factos ?
 prius ab oculis mortalium amolita natura est,
 18 quam in coelum fama perueheret. Scilicet ego
 & tu, Cleo, deos facimus ! a nobis diuinitatis
 suae auctoritatem accepturus est rex ! potentiam
 tuam experiri libet. fac aliquem regem, si de-
 um potes facere : facilius est imperium dare, quam
 19 coelum. Dii propitii sine inuidia, quae Cleo
 dixit, audierint, eodemque cursu, quo fluxere
 res, ire patientur. nostris moribus velint nos
 esse contentos. Non pudet patriae, nec desidero,
 ad quem modum rex mihi colendus sit, a victis
 discere. quos equidem victores esse confiteor, si ab
 20 illis leges, quae viuamus, accipimus. Aequis
 auribus Callisthenes veluti vindex publicae
 libertatis audiebatur. expresserat non adsen-
 sionem modo, sed etiam vocem, seniorum praeci-
 pue, quibus grauis erat inueterati moris externa
 21 mutatio. Nec quidquam eorum, quae inuicem
 iactata erant, rex ignorabat ; quum post au-
 laeam, quae lectos obduxerat, staret. Igitur

17. amolita natura est] prius morte eos a con-
 spectu hominum abstulit. C. 19. sine inuidia
 audierint] vti nam dii sermone Cleonis non irritati
 fuerint, indignantes, diuinitatem ante tempus a morta-
 libus praesumi. C. a victis discere] Freinshe-
 mius iussit a victis addi : Tellierus in textum recepit,
 quem imitatur. Sine eo enim hiulcus sensus est, nec
 sequens quos habet, quo referatur. C. 21. post
 aulaeam] Aulae & Aulaeum velum est, quo parietes
 vestiuntur. aut triclinium, vt hoc loco, diuiditur. Ple-
 rique librorum aulaeam habent muliebri forma : vsita-
 tius neutrum genus numero pluraliuo. C.

ad

ad Agin
 barbaros
 suo mor
 ora qu
 venerant
 super regem
 animam per
 mentius id
 Alexandri
 rat. Itac
 beris me ?
 Ille nec r
 esse resp
 praecip
 ruiisset ;
 alio paul
 iusto con
 postea cas

21. cub
 beat. hor
 apibus
 locum
 tempore
 nec hoc
 24. lectio
 castigato a
 interpretatu

ad Agin & Cleonem misit, vt sermone finito barbaros tantum, quum intrasset, procumbere suo more paterentur: & paulo post quasi potiora quaedam egisset, conuiuium repetit. Quem²² venerantibus Persis; Polysperchon, qui cubabat super regem, vnum ex iis mento contingentem humum per ludibrium coepit hortari, vt vehementius id quateret ad terram; elicuitque iram Alexandri, quam olim animo capere non poterat. Itaque rex, *Tu autem, inquit, non venera-²³beris me? an tibi vni digni videmur esse ludibrio?* Ille *nec regem ludibrio; nec se contemptu dignum²⁴* esse respondit. Tum detractum eum lecto rex praecipit in terram. & quum is pronus corruisset; *Vides ne, inquit, idem te fecisse, quod in alio paullo ante ridebas?* Et tradi eo in custodiam iussu conuiuium soluit. Polysperchonti quidem postea castigato diu, ignouit.

22. *cubabat super regem*] Tres in lecto accumbant: honoratior medio loco, a capite eius proximus, a pedibus imus: Polysperchonti ergo proximum a rege locum tribuit noster. C. *olim*] *praeterito tempore*. Rex iram continere olim non poterat: ergo nec hoc ipso tempore, quo ambitione laborabat. S. 24. *lecto*] *puluinaris*, in quo ad mensam adcumbat. S. *castigato diu*] Acidalio suspecta vox *diu*: Pitiscus interpretatur *multum*, C.

CAP. VI.

*Ex ignominia Hermolao, nobili puero, illata nascitur
in caput Alexandri coniuratio, qua detecta,
inter auctores sceleris innocens Callisthenes
coniicitur.*

IN Callisthenem olim contumaciae suspectum
peruicacioris irae fuit, cuius explendae
matura obuenit occasio. Mos erat, vt supra
dictum est, principibus Macedonum adultos
liberos regibus tradere, ad munia haud mul-
tum seruilibus ministeriis abhorrentia. Excubabant seruatīs noctium vicibus proximi foribus
aedis, in qua rex adquiescebat. per hos pellices
introducebantur alio aditu, quam quem armati
obsidebant. Iidem acceptos ab agafonibus
equos, quum rex ad censurus esset, admouebant;
comitabanturque & venantem, & in proeliis:
omnibus artibus studiorum liberalium exculti.
Praecipuus honor habebatur, quod licebat
sedentibus vesci cum rege. castigandi verberibus
eos nullius potestas praeter ipsum erat.
Haec cohors velut seminarium ducum praefectorumque
apud Macedonas fuit. hinc habuere
posteriores reges, quorum stirpi post multas aetates

2. *Mos erat*] a Philippo patre institutus secundum
Arrianum IV. pag. 268. & Aelianum Var. Hist. XIV.
extremo: aut ab antiquissimis regibus secundum Val.
Maximum III. 3. 1. & ipsum Curtium VIII. 8. 3. C.

4. *ab agafonibus*] Festus Pompeius: Agafones, equos
agentes. C. 6. *post multas aetates*] non post
multa secula, sed post multas *γενεάς*, de quibus ad

Romani

Romani o
puer nob
occupasse
eius ve
aegrotare
eodem coho
Cui quum
intueretur
sua regi
motum, d
dendi reg
nili impe
legerunt
Nicostr
& Phil
sunt Ant
rum aget
opus erat
bare, ne
fore aut
VIII. 1. v
miba la
Romani
cedonum
regibus
telo suo
passet. S
tam valde
velimus.
dedit Herm
ad Hermol
s. legerun
sive ante

Romani opes ademerunt. Igitur Hermolaus 7
 puer nobilis ex regia cohorte, quum aprum telo
 occupasset, quem rex ferire destinauerat; iussu
 eius verberibus adfectus est. quam ignominiam
 aegre ferens; deslere apud Sostratum coepit. Ex 8
 eadem cohorte erat Sostratus, amore eius ardens.
 Qui quum laceratum corpus, in quo deperibat,
 intueretur, forsitan olim ob aliam quoque causam
 regi infestus; iuuenem sua sponte iam
 motum, data fide acceptaque perpulit, vt occi-
 dendum regem consilium secum iniret. Nec pue- 9
 rili impetu rem exsequuti sunt: quippe solerter
 legerunt, quos in societatem sceleris adsciscerent;
 Nicostratum, Antipatrum, Asclepiodorumque,
 & Philotam placuit adsumi. per hos adiecti
 sunt Anticles, Elaptonius, & Epimenes. Cete- 10
 rum agenda rei haud sane facilis patebat via.
 opus erat eadem omnes coniuratos nocte excu-
 bare, ne ab expertibus consilii impedirentur;
 forte autem alius alia nocte excubabat. Itaque 11

VIII. i. 13; praediximus. Citius enim, quam post
 multa saecula, Alexandri successores in potestatem
 Romanorum venerunt. C. opes ademerunt] Ma-
 cedonibus primum, deinde Syris, denique Aegyptiis
 regibus. C. 7. occupasset] prius quam rex
 telo suo percussisset, atque ita regis ictum praeoccu-
 passet. S. 8. in quo deperibat] deperire notat
 tam valde amare, vt prae alicuius amore ferme perire
 velimus. S. data fide acceptaque] Sostratus
 dedit Hermolao fidem, (h. e. promisit) eamque rursus
 ab Hermolao accepit, quod postulata vellet facere. S.
 9. legerunt] elegerunt. S. 10. via] ratio. S.
 forte autem] fortuna autem vel sorte ita ferente

in permutandis stationum vicibus ; ceteroque
 adparatu exsequendae rei triginta & duo dies
 12 absumpti sunt. Aderat nox qua coniurati
 excubare debebant, mutua fide laeti ; cuius do-
 cumentum tot dies fuerant. neminem metus
 spesue mutauerat : tanta omnibus vel in regem
 13 ira ; vel fides inter ipsos fuit. Stabant igitur
 ad fores aedis eius, in qua rex vescebatur ; vt
 conuiuio egressum in cubiculum deducerent.
 14 Sed fortuna ipsius, simulque epulantium comitas
 prouexit omnes ad largius vinum ; Iudi etiam
 coniuiales extraxere tempus : nunc lactis con-
 iuratis, quod sopitum adgressuri essent ; nunc
 sollicitis, ne in lucem conuiuium extraheretur.
 15 quippe alios in stationem oportebat prima luce
 succedere ; ipsorum post VII dies reditura vice.
 nec sperare poterant in illud tempus omnibus
 16 duraturam fidem. Ceterum quum iam lux ap-
 peteret, & conuiuium soluitur, & coniurati
 exceperunt regem, laeti occasionem exsequendi
 sceleris admotam ; quum mulier adtonitae, vt

non omnes eadem, sed quisque alia nocte excubias
 agebant. S. 12. documentum tot dies] argu-
 mentum summae concordiae atque fidei hoc fuerat,
 quod per xxx. dies & amplius sine metu aut proditionis
 nota rem tantam tot consciis celauerant. C. 14. ipsius]
 Alexandri scil. quae ipsi semper erat prospera. S.
 16. mulier adtonitae mentis] parum sanae mentis,
 vt esse credebantur, quibus vaticinandi facultas erat.
 Arrianus IV. p. 269. vocat *νύκτορον ἐν τῇ δεξιᾷ*. Pro-
 prie autem Adtonitus est, cui casus vicini fulminis &
 sonitus tonitruum dant stuporem. Seruius Aeneid.
 III. v. 172. C.

credi-

creditum est, mentis, conuersari in regia solita, quia instinctu videbatur futura praedicere; non occurrit modo abeunti, sed etiam semet obiecit: vultuque & oculis motum praefereus animi, *et rediret in conuiuium* monuit; & ille per ludum, ¹⁷ *bene deos suadere* respondit; reuocatisque amicis in horam diei ferme secundam conuiuii tempus extraxit. Iam alii ex cohorte in stationem ¹⁸ successerant, ante cubiculi fores excubitori; adhuc tamen coniurati stabant vice officii sui expleta; adeo pertinax spes est, quam humanae mentis ingentes concupiscentiae deuorauerunt. Rex benignius, quam alias, adloquutus, discedere ¹⁹ eos ad curanda corpora, quoniam tota nocte

*instinctu] mentis suae, daß es ihr das hertz sagte; vel etiam numinis alicuius. S. 18. humanae mentis concupiscentiae] Locus male sanus. Si concupiscentiae vox apud alios, quam ecclesiasticos, inueniretur; quam edidimus scripturam, maxime probarem, quia a vulgatis minus, quam aliae, discedit. Ceterum dum certiora proferantur, Modio & Radero profus accedo, qui verba vulgaria, quam ingentes concupiscentiae, pro glossemate habent, leguntque: Adeo pertinax spes est, quam humanae mentes deuorauerunt, quod Constantiensi etiam codice confirmari dicitur. C. deuorauerunt] Quod vulgo deuouerunt legitur; suspicatur Tellierus, fouerunt genuinam forsitan scripturam esse, vt mollior dictio & Curtiano ingenio dignior, quam sunt *spem deuouere* aut *deuorare*, recipiatur. *Spem enim fouere* vsitatum bonis scriptoribus est, v. gr. Tacito hist. III. 62. 1. *ne quam ultra spem fouerent.* C. 19. *ad curanda corpora] Curare corpus est lauare, cibo rescicere, dormire, & his similia. Vide supra III. 8. 22. cum notatis: & VI.**

perfitissent, iubet. Data sunt singulis quinquaginta sestertia, conlaudatique, quod etiam aliis tradita vice, tamen excubare perseverassent.

- 2^o Illi tanta spe destituti domos abeunt: & ceteri quidem exspectabant stationis suae noctem: Epimenes, siue comitate regis, quā ipsum inter coniuratos exceperat, repente mutatus; siue quia coeptis deos ob stare credebat; fratri suo Eurylocho, quem antea expertem esse consilii
- 2¹ voluerat, quid pararetur, aperit. Omnibus Philotae supplicium in oculis erat. Itaque protinus iniicit fratri manum, & in regiam pervenit: excitatisque custodibus corporis ad salutem
- 2² regis pertinere, quae adferret, adfirmat. Est tempus, quo venerant; & vultus haud sane securi animi index; & moestitia e duobus alterius, Ptolemaeum ac Leonnatum, excubantes ad cubiculi limen excitauerunt. Itaque apertis foribus, & lumine inlato sopitum mero ac somno excitant regem. Ille paulatim mente

7. 23. quod conferas cum VI. 9. 9. C. *quinquaginta sestertia*] Romanis scribens Curtius videtur latine dixisse, quae Graecis sunt *duo talenta*. Sestertium enim mille sestertios continet: sestertius autem quarta pars drachmae est siue denarii: & CCL. drachmae vnum sestertium, & plus paullo quam xxx thaleros constituunt, quos si quinquagies multiplicaueris, geminam summam habebis, quam supra vulgari talento dedimus. C. 21. *iniicit fratri manum*] *manu cum prebendit* vt in regiam abduceret. S. 22. *e duobus alterius*] *alterius ex his duobus fratribus*, Epimenis nempe. S.

conlecta, quid adferrent, interrogat. Nec con-23
 tatus Eurylochus, non ex toto domum suam
 auersari deos dixit, quia frater ipsius quamquam
 impium facinus ausus foret; tamen & poeniten-
 tiam eius ageret; & per se potissimum profiteretur
 indicium. in eam ipsam noctem quae decede-
 ret, insidias comparatas fuisse: auctores sielesti
 consilii esse, quos minime crederet rex. Tum 24
 Epimenes cuncta ordine, consciorumque nomi-
 na exponit. Callisthenem non ut participem
 facinoris nominatum esse constabat; sed solitum
 puerorum sermonibus vituperantium criminan-
 tiumque regem faciles aures praebere. Quidam 25
 adiiciunt, quum Hermolaus apud eum quoque
 verberatum se a rege quereretur, dixisse Callisthe-
 nem: meminisse debere eos iam viros esse. idque
 an ad consolandam patientiam verberum; an
 ad incitandum iuuenem dolorem dictum esset,
 in ambiguo fuisse. Rex animi corporisque so-26
 pore discusso, quum tanti periculi, quod eua-
 ferat, imago oculis oberraret; Eurylochum L
 talentis & cuiusdam Tyridatis opulenti bonis

23. quae decederet] quae iam finiretur, clauderetur. S. esse] scil. eos, quos &c. S. 25. iam viros esse] ambigue. Vel indignum, ut pueriliter verberibus tractentur: vel virili animo aduersa ferre debere. C. an ad consolandum, an ad incitandum] Posterioribus Curis nostris cap. VI. aliquid de ingeminato AN subnotauius C. 26. cuiusdam Tyridatis] Pronomen proprii nominibus adiunctum ignobilitatem fere & vulgarem conditionem significat, C.

donat protinus; fratremque, antequam pro salute eius precaretur, restituit. Sceleris autem auctores, interque eos Callisthenem vinctos adseruari iuber: quibus in regiam adductis, toto die & nocte proxima, mero ac vigiliis grauis, 28 adquieuit. Postero autem frequens consilium adhibuit, cui patres propinquire eorum, de quibus agebatur, intererant; ne de sua quidem salute securi: quippe Macedonum more perire debebant, omnium deuotis capitibus, qui sanguine contigissent eos. Rex introduci coniu- 29 ratos praeter Callisthenem iussit: atque quae agitauerant, sine conctatione confessi sunt. 30 Increpantibus deinde vniuersis eos; ipse rex, quo suo merito tantum in semet cogitassent facinus, interrogat.

28. qui sanguine contigissent] Vide VI. II. 20. C.
 29. praeter Callisthenem] cuius rei ipse rex rationem dat cap. VIII. num. 20. C.

CAP. VII.

Hermolai, Callisthenem iustum esse adseuerantis, aduersus crudelem Alexandri superbiam inuestiua.

1 **S**TVPENTIBVS ceteris, Hermolaus: Nos vero, inquit, quoniam, quasi nescias, quaeris; occidendi te consilium iniuimus, quia non vt ingenuis imperare coepisti, sed quasi in mancipia domi-

dominatis.
 Sopolis, p
 esse, conf
 & mali
 Rex in
 que ex ma
 mian; V
 pofiri mal
 sanctiae t
 fimo sang
 nio, & L
 ad hofte
 fuis pro
 vuluer
 retulit
 fperfit
 est. d
 pofiti
 2. p
 de qua
 confang
 negat os
 endum.
 est ro
 proferr
 quoman
 hoc virtut
 fanguine.
 niam. S
 conuio in
 fimplici qu
 laecrati, an
 videbantur.

dominaris. Primus ex omnibus pater ipsius 2
 Sopolis, parricidam etiam parentis sui clamitans
 esse, confurgit; & ad os manu obiecta, scelere
 & malis insanientem, ultra negat audiendum.
 Rex inhibito patre dicere Hermolaum iubet, 3
quae ex magistro didicisset Callisthene. & Her-
 molaus; *Vtor, inquit, beneficio tuo.* Et dico quae
 nostris malis didici. *Quota pars Macedonum* 4
saecuitiae tuae superest? quotusquisque non e vilis-
simo sanguine? Attalus & Philotas, & Parme-
nio, & Lyncestes Alexander, & Clitus, quantum
ad hostes pertinet, viuunt, stant in acie, te clypeis
suis protegunt, & pro gloria tua, pro victoria
vulnera accipiunt; quibus tu egregiam gratiam
retulisti. Alius mensam tuam sanguine suo ad- 5
spersit: alius ne simplici quidem morte defunctus
est. duces exercituum tuorum in equuleum im-
positi, Persis quos vicerant, fuere spectaculo.

2. *parricidam parentis sui*] quia Macedonica lege,
 de qua ad VI. II. 20. actum, reus etiam parentes &
 confanguineos in perniciem trahebat. C. *ultra*
negat audiendum] dicit, eum non amplius esse audi-
 endum. S. 3. *vtor beneficio tuo*] Beneficium
 est reorum, quando ea, quae ad excusationem suam
 proferre possunt, loqui permittuntur. Ergo Hermolaus,
 quoniam Alexander ipsi permittit loqui, beneficio
 hoc vitur. S. 4. *non e vilissimo*] ex nobilissimo
 sanguine. C. *egregiam gratiam*] ironice i. e.
 malam. S. 5. *mensam sanguine adspersit*] in
 conuiuio interfectus est, videlicet Clitus. C. *ne*
simplici quidem morte] propter tormenta, quibus
 lacerati, antequam necarentur, non vna morte mori
 videbantur. C.

- Parmenio indicta caussa trucidatus est, per quem*
 6 *Attalum occideras. Inuicem enim miserorum*
viseris manibus ad expetenda supplicia : Et quos
paullo ante ministros caedis habuisti, subito ab
 7 *aliis iubet trucidari. Obstrepunt subinde cuncti*
Hermolao. pater supremum strinxerat ferrum
percussurus haud dubie, ni inhibitus esset a rege :
quippe Hermolaum dicere iussit, petiitque ut
caussas supplicii augentem patienter audirent.
 8 *Aegre ergo coercitis, rursus Hermolaus : quam*
liberaliter, inquit, pueris rudibus ad dicendum
agere permittis ! at Callisthenis vox carcere inclusa
 9 *est, quia solus potest dicere. Cur enim non pro-*
ducitur, quum etiam confessi audiuntur ? nempe
quia liberam vocem innocentis audire metuis. ac
ne vultum quidem pateris. Atqui nihil eum se-
 10 *cisse contendo. sunt hic, qui mecum rem pulcher-*
rimam cogitauerunt : nemo est, qui conscium fuisse

indicta caussa] dum non potuit causam dicere,
vel se excusare. S. per quem Attalum] vide
Supplement. lib. I. n. 10. C. 6. inuicem] ita
ut is, qui tuo iussu alium interfecit, ipse subito
ab aliis interficiatur. S. 7. supremum] est
aduerbium, quod alias vsitatus supremo dicimus, &
notat tandem. S. dicere] loqui, vel causam
suam dicere, quae phrasis in iudicio solennis est. S.
augentem] maledicentia in regem. C. 8. coer-
citis] subaudi iis, qui modo obstrepebant. S.
agere] causam dicere. S. dicere] bonus est
orator, qui solus se recte excusare potest. S.
 9 *confessi] qui ea contentur, quorum insimulan-*
 tur. S. 10. *rem pulcherrimam] caedem tyranni.*
Graeci enim deorum honores tribuunt iis viris, qui

nobis

nobis Callisthenem dicat, quum morti olim
 destinatus sit a iustissimo & patientissimo rege.
 Haec ergo sunt Macedonum praemia, quorum vi
 11
 supervacuo & sordido abuteris sanguine! At
 tibi tria millia mulorum captivum aurum vehunt,
 quum milites nihil domum, praeter gratuitas cicat-
 rices, relaturi sint. Quae tamen omnia tolerare
 potuimus, antequam nos barbaris dederes, &
 nouo more victores sub iugum mitteres. Persarum
 te vestis & disciplina delectat: patrios mores ex-
 osus es. Persarum ergo non Macedonum regem
 12
 occidere voluimus; & te transfugam belli iure
 persequimur. Tu Macedonas voluisti genua tibi
 13
 ponere, venerarique te ut deum: tu Philippum
 patrem auersaris, & si quis deorum ante Iouem
 haberetur, fastidires etiam Iouem. Miraris si
 14
 liberi homines superbiam tuam ferre non possu-
 mus? quid speramus ex te; quibus aut inson-
 tibus moriendum est; aut quod TRISTIVS

tyrannos necauerunt, Cic. pro Mil. cap. 29. & occisus
 dictator Caesar aliis pessimum, aliis pulcherrimum
 facinus videbatur, Tacit. annal. I, 8. 7. C. iustis-
 simo] ironia. C. 11. tria millia] Lipsio auctore
 in Notis ad de Magnit. Rom. III. 2. posuimus tria pro
 vulgari triginta, ne immanis auri summa surgat. C.
 gratuitas cicatrices] sine praemio & mercede accep-
 ptas. C. sub iugum mitteres] Ad morem Ro-
 manum respicit, de quo Liuius III. 28. consulatur, C.
 12. te transfugam] in Persarum ritus & mores, C.
 ante Iouem haberetur] maior existimaretur, quam
 Iupiter. S. 14. insonantibus moriendum est]
 quemadmodum iis, quos supra n. 4. memorauit. S.
 Tristius morte] Multa in hanc rem Cicero. Philipp.

morte

15 morte est, in seruitute viuendum? Tu quidem; si emendari potes, multum mihi debes. ex me enim scire coepisti, quod ingenui homines ferre non possunt. De cetero parce, quorum orbam senectutem suppliciiis ne oneraueris. nos iube duci, ut quod ex tua morte petieramus, consequamur ex nostra. Haec Hermolaus.

II. c. 44. Seruitus postremum malorum omnium non modo bello sed morte etiam repellendum. Phil. III. c. 14. cum dignitate potius cadamus, quam cum ignominia seruiamus. Et Phil. X. c. 9. mors ciuitibus Rom. semper fuit seruitute potior. C. 15. parce] Tellierus, parce his: parentibus nempe & consanguineis. C. Felicius est coniectura Clerici, quam etiam in textum reponere iubet Cellarius sub finem editionis quartae: De caetero parentum orbam sententiam Et. S. iube duci] ad supplicium, quod integre legitur apud Iustin. XII. II. 8. Non raro autem duci ita absolute de capitali supplicio. Plinius Epist. X. 79. perseverantes duci iussit. Seneca de morte Claud. Febrim duci iubeat, quod ibidem explicatur, collum illi praecidi. Florus III. 21. extr. morte damnati duci iubentur. Tertullianus ad Scapulam cap. 5. de supplicio Christianorum paucis duci iussit. C.

CAP. VIII.

Alexandri ad Hermolai inuectiuam responsio: coniu-
ratorum item, atque innocentis Callisthenis
supplicium.

1 **A**T rex: Quam falsa sint; inquit, quae iste
tradita a magistro suo dixit, patientia mea
ostendet.

ostendet. *Confessum enim vltimum facinus,* 2
tamen vt vos quoque, non solum ipse audiretis,
expressi; non imprudens, quum permississem huic
latroni dicere, vsurum eum rabie, qua compulsus
est, vt me, quem parentis loco colere debet, vellet
occidere. Nuper quum procacius se in venatione 3
gessisset; more patrio, & ab antiquissimis Mace-
doniae regibus vsurpato, eum castigari iussi. Hoc
& oportet ferri, & ferunt a tutoribus pupilli,
a maritis vxores; seruis quoque pueros huius
aetatis verberare concedimus. Haec est saeuitia 4
in ipsum mea, quam impia caede voluit vlcisci.
Nam in ceteros, qui mihi permittunt vti ingenio
meo, quam mitis sum, non ignoratis: & commemo-
rare superuacuum est. Hermolao parricidarum
supplicia non probari, quum eadem ipse meruerit,
minime hercule admiror. Nam quum Parme-
nionem & Philotam laudat, suae serui caussae.

2. vltimum facinus] maximum, quo nullum esse
 maius potest. S. ipse] ego. Sensus huius peri-
 odi talis est: Licet ille extremum & maximum facinus
 iam confessus sit, expressi tamen ab eo, vt non ego
 solum sed & vos ipsum audiretis. S. non impru-
 dens] non inscius h. e. probe sciens. S. 3. pro-
 cacius se in venatione] aprum feriendo, quem ipse
 rex traiecturus eram. cap. VI. n. 7. C. more
 patrio] Repete dicta ad principium cap. VI. C.
 ferri, & ferunt] Haec ex ingenio Acidali sunt. Vul-
 go: oportet feri & vt a tutoribus. Tellierus quoque
 ferunt pro vt. C.

- 6 Lyncesten vero Alexandrum bis infidiatum capiti meo a duobus iudicibus liberaui: rursus conuictum, per biennium tamen disluli: donec vos postulareris, ut tandem debito supplicio scelus
- 7 lueret. Attalum, antequam rex essem, hostem meo capiti fuisse meministis. Clitus utinam non coegisset me sibi irasci, cuius temerariam linguam probra dicentem mihi & vobis, diutius tuli, quam
- 8 ille eadem me dicentem tulisset. REGVM ducumque clementia, non in ipsorum modo, sed etiam in illorum, qui parent, ingeniis sita est. Obsequio mitigantur imperia: vbi vero reuerentia excessit animis, & summa imis confundimus,
- 9 si opus est, ut vim repellamus. Sed quid ego mirer istum crudelitatem mihi obiecisse; qui auaritiam exprobrare ausus sit? Nolo singulos vestrum excitare, ne inuisam liberalitatem meam faciam, si pudori vestro grauem fecero. Totum exercitum

6. Lyncesten Alexandrum] Relege cap. I. lib. VII. & ibi notata. C. bis infidiatum, rursus conuictum] Plenior historia desideratur. Adde X. i. 40. C. per biennium] triennium VII. i. 8. noster: etiam Diodorus XVII. 80. C. 7. antequam rex essem] Supplement. lib. I. cap. VII. C. meo capiti] meae vitae. S. 8. Regum ducumque clementia] Videtur expressisse Isocratis verba Nicocle cap. III. n. ii. Μη μόνον τὰς φήμες εὐτίας νομίζετε τὸ χαλεπὸν ἢ πρᾶτος εἶναι τὸς τυράννους, ἀλλὰ καὶ τὸν τρίτον τῶν πολλῶν. C. illorum, qui parent] subditorum. S. 9. si pudori] si tantopere liberalitatem meam praedicem, ut beneficiorum vobis exhibitorum commemoratio vos in ruborem coniciat, S.

adspi-

adspicite: qui paulo ante nihil praeter arma
 habebat; nunc argenteis cubat lectis: mensas
 auro onerant; greges servorum ducunt; spolia
 de hostibus sustinere non possunt. At enim Per- 10
 sae, quos vicimus, in magno honore sunt apud
 me! Equidem moderationis meae certissimum
 iudicium est, quod ne victis quidem superbe im-
 perem. Veni enim in Asiam, non ut funditus
 euererem gentes; nec ut dimidiam partem terra-
 rum solitudinem facerem; sed ut illos quoque,
 quos bello subegissem, victoriae meae non poeni-
 teret. Itaque militant vobiscum, pro imperio 11
 vestro sanguinem fundunt, qui superbe habiti
 rebellassent. **NON EST** diuturna possessio,
 in quam gladio inducimur: beneficiorum gratia
 sempiterna est. Si habere Asiam, non transire 12
 volumus; cum his communicanda est nostra cle-
 mentia; horum fides stabile & aeternum faciet
 imperium. Et sane plus habemus, quam capimus.
 insatiabilis autem avaritia est, adhuc implere
 velle, quod iam circumfluit. Veruntamen eorum 13
 mores in Macedonas transfundo! in multis enim

auro] aureis vasis. S. 10. superbe] crude-
 liter, quemadmodum & Tarquinius ultimus Roma-
 norum Rex Superbi cognomen habuit. S. di-
 midiam partem] Asia amplitudine facile Europam
 & Africam, ceteras orbis partes illo tempore cog-
 nitas, exaequat. C. 12 circumfluit] copiose
 adest. S. 13. Veruntamen] obiecto, quam ex
 aliorum mente sibi proponit, S.

genti-

- gentibus esse video, quae non erubescamus imitari: nec aliter tantum imperium apte regi potest, quam ut quaedam & tradamus illis; & ab iisdem disca-
- 14 mus. Illud paene dignum risu fuit, quod Hermolaus postulabat a me, ut auersarer Iouem, cuius oraculo agnoscor. An etiam quid dii re-
- 15 spondiant, in mea potestate est? Obtulit nomen filii mihi: recipere ipsis rebus, quas agimus, haud alienum fuit. Utinam Indi quoque deum esse me credant. Fama enim bella constant; & saepe etiam, quod falso creditum est, veri vicem obtinuit.
- 16 An me luxuriae indulgentem putatis arma vestra auro argentoque adornasse? Adsuetis nihil vilius hac videre materia, volui ostendere, Macedonas
- 17 iniucos ceteris nec auro quidem vinci. Oculos ergo primum, eorum sordida omnia & humilia spectantium capiam; & docebo nos non auri & argenti cupidos, sed orbem terrarum subacturos venisse. Quam gloriam tu parricida intercipere voluisti, & Macedonas rege adempto deuictis
- 18 gentibus dedere. At nunc mones me, ut vestris parentibus parcam! Non oportebat quidem vos

tradamus illis] doceamus illos. S. 14.
 agnoscor] pro filio habeor. S. 15. recipere
 ipsis rebus] Non inutile fuit bellis, quae gerimus;
 ut nomen Iouis filii acceptarem. C. 16. Adsuetis
 nihil vilius videre] Indis, qui adsueti sunt nihil vilius,
 nihil communius videre, quam aurum & argentum;
 ostendere hoc nouo ornatu volui Macedonas quoque
 auro non vinci, quibus tam obuium sit atque vile, ut
 armis quoque inducant. C.

scire,

scire, quid de his statuissem, quo tristiores periretis, si qua vobis parentum memoria & cura est: sed olim istum morem occidendi cum scelestis infontes propinquos parentesque solui. & profiteor in 19 eodem honore futuros omnes eos, in quo fuerunt. Nam tuum Callisthenem, cui vni vir videris, quia latro es; scio, cur produci velis: ut coram his probra, quae modo in me iecisti, modo audisti, illius quoque ore referantur. Quem si Macedo esset, tecum introduxissim, dignissimum te discipulo magistrum: nunc Olynthio non idem iuris est. Post haec consilium dimisit, tradique 20 damnatos hominibus, qui ex eadem cohorte erant, iussit. Illi ut fidem suam saevitia regi adprobarent, excruciatos necauerunt. Cal- 21 listhenes quoque tortus interiit: initi consilii

18. sed olim istum morem solui] vide notata VI. 11. 10. C. 19. cui vni vir videris] quia VIII. 6. 25. dixerat, meminisse debere eos iam viros esse. C. modo audisti] Suspecta verba Freinshemio, si de praesenti intelligas: tolerari possunt de praeterito, id est, quae antea ex Callisthene priuatim audisti, illius nunc ore in publico concilio referantur. C. Olynthio non idem iuris] Olynthus in finibus quidem Macedoniae sita, non autem ad regnum pertinebat, sed liberi iuris erat, antequam a Philippo euerteretur. Situm vrbis describit Herodotus lib. VII. cap. 122. C. 20. consilium] consiliarios. S. 21. Callisthenes tortus interiit] Dissentiunt scriptores de Callisthenis nece, etiam qui rebus gestis interfuerant apud Arrianum Aristobulus quidem δεδωμένον ἐν πέναις ἐμπεριάγεσθαι τῆ στρατιῆ, ἐπειδὴ νόσῳ τελευτήσαι, compedibus vinctum

- in caput regis innoxius; sed haudquaquam
 aulae & adstantium accommodatus ingenio.
 22 Itaque nullius caedes maiorem apud Graecos
 Alexandro excitauit inuidiam, quod praeditum
 optimis moribus artibusque, a quo reuocatus ad
 vitam erat, quum interfecto Clito mori perseue-
 raret; non tantum occiderit, sed etiam torserit
 23 indicta quidem caussa. quam crudelitatem sera
 poenitentia consequuta est.

*in exercitu circumductum fuisse, ac postea morbo
 interisse: Ptolemaeus autem, Lagi filius, tradit
 τρεβλωθέντα καὶ κρημωθέντα ἀποθανεῖν, tortum ac
 deinde cruci adfixum vitam finisse. Diogenes in
 Aristot. vita de hoc Callisthene: ἐν σίδυρᾷ περὶ ἄγετο
 γυλαῖον φθειρῶν καὶ ἀκρίτος. καὶ τέλος λόντι
 παραβληθείς, ἔτι κατέτρεψεν, cauea ferrea circum-
 ducebatur. paedore atque squalore oblitus: leoni
 postremo obiectus; sic excessit ex vita. Iustinus XV.
 3. non modo cum cane in cauea clausum, sed trun-
 catis etiam omnibus membris abscissisque auribus ac
 naso labiisque, circumlarum fuisse. Lyfimachum tan-
 dem venenum ei in remedia calamitatum dedisse. C.
 12. maiorem excitauit inuidiam] Dignum est, vt
 legatur de hac caussa Senecae Quaest. Nat. lib. IV.
 caput XXIII. C. a quo reuocatus ad vitam] Rem
 ipsam Curtius VIII. 2. 12. in fine nomine tradit: Arri-
 anus Anaxarcho adulatori primas partes dat: Plutar-
 chus pag. 694. addit Callisthenem, qui itidem, sed citra
 adulationem regi facundia sua persuaserit, vt a pernicio-
 siore consilio abstineret, C.*

CAP. IX.

*Indi, Gangis, Dyardenis, Indiae, eius incolarum, luxu
diffluentium regum, ac sapientum; luculenta
descriptio.*

SED ne otium ferendis rumoribus natum **1**
 aleret, in Indiam mouit; semper bello quam
 post victoriam clarior. India tota ferme spectat **2**
 Orientem, minus in latitudinem, quam recta
 regione spatiosa. Quae austrum accipiunt, in **3**
 altius terrae fastigium excedunt; plana sunt ce-
 tera multisque inclitis amnibus Caucaſo monte
 ortis placidum per campos iter praebent. Indus **4**
 gelidior est quam ceteri. aquas vehit a colore
 maris haud multum abhorrentes. Ganges amnis **5**
 ab ortu eximius ad meridianam regionem de-
 currit, & magnorum montium iuga recto alueo
 stringit. Inde eum obiectae rupes inclinant ad
 orientem. Vtque rubro mari accipitur, findens **6**
 ripas, multas arbores cum magna soli parte ex-
 forbet. faxis quoque impeditus, crebro reuer-
 beratur. vbi mollius solum reperit, stagnat, in-
 fulasque molitur. Acesines eum auget. Gan- **8**
 ges decursurum in mare intercipit: magnoque

1. bello, quam post victoriam clarior] quia otii & voluptatis, quae ex victoria nascebantur, capax non erat. C. **3.** Caucaſo monte] Parapamiso siue Paropamiso, vt saepius dictum. C. **4.** Indus] nomen est fluuii, a quo India nomen habet. S. **6.** rubro mari accipitur] in mare rubrum exoneratur. S. **8.** Acesines eum auget] non Gangem, sed Indum, vt ex Arriano Ind. Exp. pag. 515. Plinio

motu

motu amnis vterque conliduntur. Quippe Gan-
 ges asperum os influenti obiicit; nec repercussae
 9 aquae cedunt. Dyardenes minus celebrer auditu
 est, quia per vltima Indiae currit: ceterum non
 crocodilos modo vti Nilus, sed etiam delphines
 10 ignotasque aliis gentibus belluas alit. Eryman-
 thus crebris flexibus subinde curuatus, ab accolis
 rigantibus carpitur. ea caussa est, cur tenues
 reliquias iam sine nomine in mare emittat.
 11 Multis praeter hos amnibus tota regio diuiditur,
 sed ignobilibus, quia non adeo interfluunt.
 12 Ceterum quae propiora sunt mari, aquilones
 maxime deurrunt: ii cohibiti iugis montium ad
 interiora non penetrant, ita alendis frugibus
 13 mitia. Sed adeo in illa plaga mundus stas
 temporum vices mutat, vt quum alia feruore

VI. 20. Strabon, XV. pag. 486. constat. Adde nostrum
 IX. 4. 8. C. *asperum os*] Os notat confluenta
 duorum fluuiorum. *Asperum ergo os est*, quando
 fluuius adeo celeriter currit, vt non facile recipere
 possit fluuium in eum se exonerantem. S. 9. *Dy-*
ardenes] ignotum ceteris scriptoribus nomen. C.
auditu] *fama*. S. *per vltima Indiae*] per
 extremam Indiae regionem vel oram. S. 10.
Erymanthus] eiusdem obscuritatis est, quam modo
 in Dyardene notauimus. C. *ab accolis rigan-*
tibus carpitur] accolae ex hoc flumine hortos & agros
 suos rigant, vnde necesse est, vt vehementer ille im-
 minuatur, quod h. l. vocat *carpi*. S. 12. *deur-*
runt] *frigoribus infestant*. Vide Cellarium supra
 ad 7. 3. S. *ita*] *adeoque*. S. 13. *mun-*
dus] *coelum*. S. *quum alia feruore solis*
 Non conueniunt haec cum terrarum situ. Aequator
 regiones diuidit, quae oppositam hiemis aestatisque
 solis

solis exaestuans, Indiam niues obruant : rursus-
 que ubi cetera rigent, illic intolerandus aestus
 existat. nec cur, vlli se naturae causa ingessit.
 Mare certe quo adluitur, ne colore quidem ab-14
 horret a ceteris. ab Erythra rege inditum est
 nomen : propter quod ignari rubere aquas cre-
 dunt. Terra lini ferax ; inde plerisque sunt 5
 vestes. Libri arborum teneri, haud secus quam
 chartae litterarum notas capiunt. Aves ad 16
 imitandum humanae vocis sonum dociles sunt.
 Animalia inusitata ceteris gentibus, nisi inuecta.
 Eadem terra & rhinocerotas alit, non generat.
 Elephantorum maior est vis, quam quos in Afri-17
 ca domitant ; & viribus magnitudo responderet.
 Aurum flumina vehunt, quae leni modicoque 18

rationem habent ; illa autem Indiae pars, quam Ale-
 xander peragrauit, cis Aequatorem & Tropicum Can-
 ctri est. Quod si de montanis intelligas ; nec intole-
 rando aestu possunt calere, neque temporum vicibus
 a nostris regionibus discrepare. *C. 15. nec cur*
 Ordo : *nec vlli naturae causa se ingessit*, h. e. nulla
 causa naturalis dari potest, cur istud ita fiat. *S.*

14. *abhorret*] diuersum est. *S. ab Erythra*]
 Inde *Erythraeum* mare vocatur, quod vulgo rubrum
 quam vere, auctor docet ; interpretatur. Eadem
 infra repetuntur X. 1. 13. Ceterum *Erythra* potius,
 quam *Erythro*, legendum censet Salmasius Exerc. p.
 480. *C. 15. Libri arborum*] coraces tenuiores,
 vt Virgil, Georg. II. v. 77. *C. 16. Aues*] psittaci,
 de quibus hodie nemo dubitat. *C. rhinocerotas*
non generat] Videtur Curtius credidisse, in sola Aethi-
 opin belluas gigni, quae cornu in naso gestant, sicut
 rhinocerotas Pausanias lib. 1. Eliac, & in Boeot. vocat
 τῶν βοῶν Αἰθιοπικῶν. *S.*

- 19 lapsu segnes ducunt. Gemmas margaritasque mare litoribus infundit. neque alia illis maior opulentiae caussa est: vti que postquam vitiorum commercium vulgauere in exteras gentes, quippe aestimantur purgamenta aestuantis freti precio,
- 20 quod libido constituit. Ingenia hominum sicut vbi que, apud illos locorum quoque situs format.
- 21 Corpora vsque pedes carbaso velant: soleis pedes, capita linteis vinciunt. lapilli ex auribus pendunt; brachia quoque & lacertos auro colunt, quibus inter populares aut nobilitas aut
- 22 opes eminent. Capillum pestunt saepius, quam tondent. mentum semper intonsum est: reliquam oris cutem ad speciem leuitatis exaequant.
- 23 Regum tamen luxuria, quam ipsi magnificentiam adpellant, supra omnium gentium vitia. Quum rex se in publico conspici patitur, thuribula argentea ministri ferunt, totumque iter, per quod ferri destinauit, odoribus complent.
- 24 Aurea lectica margaritis circumpendentibus recubat; distincta sunt auro & purpura carbaso,

19. *purgamenta aestuantis freti*] ita vocat margaritas, quia illae a mari aestuante vna cum aliis purgamentis in litus eiiciuntur. S. 20. *locorum situs format*] Ingenia respondent naturae locorum, quemadmodum mite Asiae coelum molliores gignit homines & delicatiorēs: septentrio robustus & patientes laborum. C. 23. *quum rex se*] vulgo sane loco se. Sed se etiam Tellier, & Pitisc. C. iter odoribus complent] quo luxu Alexandrum etiam Babylonii excipiebant, supra V. 1. 20. Adde ibi notata. C.

quae

quae indutus est: lecticam sequuntur armati
 corporisque custodes: inter quos ramis aues
 pendent, quas cantu feriis rebus obstrepere
 docuerunt. Regia auratas columnas habet: 26
 totas eas vitis auro caelata percurrit, auiumque
 quarum visu maxime gaudent, argenteae effigies
 opera distinguunt. Regia aduentibus patet, 27
 quum capillum pectit atque ornat; tunc respon-
 sa legationibus, tunc iura popularibus reddit.
 Dempis soleis, odoribus inlinuntur pedes.
 Venatus maximus labor est, inclusa viuario, 28
 animalia inter vota cantusque pellicum figere.
 Binum cubitorum sagittae sunt, quas emittunt,
 maiore nixu quam effectu. quippe telum, cuius
 in lenitate vis omnis est, inhabili pondere onera-
 tur. Breuiora itinera equo conficit: longior, 29
 ubi expeditio est, elephantum vehunt currum; &
 tantarum belluarum corpora tota contegunt

25. ramis aues pendent] Strabo XV. pag. 494. ex
 Clitarcho refert Indorum ἀμάξας τετρακύβητας, δένδρα
 κομιζέσθαι τῶν μεγαλοφύλλων, ἐξ ὧν ἀπέργεται γένη
 τιθασσομένων ἰρνέων, quadrigis, arbores multae
 frondis portari, & ex iis aues mansuetas excuti. C.
 27. quum capillum pectit] Idem Strabo p. 488. de
 rege, quando ad ius dicendum exiit, διημερῶν διακῶν,
 καὶν ὥρα γένηται τῆς τῶ σώματος θεραπεύας per totum
 diem audit, etiam hora, qua corpus curatur. C.
 iura reddit] iustitiam administrat, & edicta publi-
 cat. S. 28. inter vota cantusque pellicum]
 Mulieribus in venatione regem Indorum stipari non
 viris; etiam Strabo tradit c. l. C.

- auro. Ac ne quid perditis moribus desit, lecti-
cis aureis pellicum longus ordo sequitur: sepa-
ratum a reginae ordine agmen est, aequatque
30 luxuria. Feminae epulas parant. ab iisdem
vinum ministratur, cuius omnibus Indis largus
est vsus. Regem mero somnoque sopitum in
cubiculum pellices referunt, patrio carmine
31 noctium inuocantes deos. Quis credat inter
haec vitia curam esse sapientiae? Vnum agreste
& horridum genus est, quos sapientes vocant.
32 apud hos occupare fati diem pulchrum; & viuos
se cremari iubent, quibus aut segnis aetas, aut

29. *lecticis aureis*] nota sequi cum dativo, quod rarissimum est. S. 31. *sapientes vocant*] Brachmanes gentili nomine, Gymnosophistas Graeco. Vtrumque non tantum sectae nomen, (Arrianus VI. pag. 410. Βραχμῶν σοφιστὰς τοῖς Ἰνδοῖς εἶσι, *Brachmani sophistae Indorum sunt*) sed gentis etiam diffusissimae. Plinius IV. 17. *multarum gentium cognomen Brachmanae*. De gente *Gymnosophistarum* Ptolemaeus lib. VII. cap. I. qui sophistae ab habitu corporis *nudo* adpellati sunt. Arrian. VII. 443. ἰδὼν σοφιστῶν Ἰνδῶν τὸς γυμνὸς, *Indorum sapientes nudos conspicatus*. C. 32. *occupare fati diem*] ante mori, quam tempus ordinarium postulat. S. *viuos se cremari*] vt Calanus, Alexandrum in Persidem sequutus, quem Cicero I. Diuin. c. XXIII. Strabo XV. pag. 493. Arrianus VII. post principium, Plutarchus in Alexand. p. 703. & Aelianus Var. Hist. V. 6. commendant: quod & alius Indus ex comitatu Caesaris Athenis imitatus est apud eundem Plutarch. c. 1. De hac consuetudine etiam Plinius VI. 19. *Quintum genus*, inquit, *sapientiae deditum voluntaria semper morte vitam, accenso prius rogo, finit*. C.

incom-

incommoda valitudo est: expectatam mortem pro dedecore vitae habent. nec vllus corporibus, quae senectus soluit, honos redditur: inquinari putant ignem, nisi qui spirantes recipit. Illi, 33 qui in vrbibus publicis moribus degunt, fiderum motus scite spectare dicuntur, & futura praedicere. nec quemquam admouere laeti diem credunt, cui expectare interrito liceat. Deos 34 putant quidquid colere coeperunt; arbores maxime, quas violare capitale est. Menses in 35 quinos denos descripserunt dies; anni plena spatia seruant. Lunae cursu notant tempora, non 36 vt plerique, quum orbem sidus impleuit; sed quum se curuare coepit in cornua. Et idcirco breuiores habent menses, qui spatium eorum ad hunc lunae modum dirigunt. Multa & alia 37

Soluit] ad munia & opera subeunda ineptos reddit. S. *ignem*] regi scil. in quo mortui cremabantur. S. *spirantes*] adhuc viuentes. S. *publicis moribus*] tanquam personae publicae. **Aliter enim** ista explicari commode non possunt. S. *nec quemquam admouere*] Putant nullum, qui mortis tempus praeuertat, posse illam opperiri sine metu. Contraria ergo est horum, qui vices incolunt, sententia opinioni & consuetudini philosophorum, qui nudi in agris & siluis agunt. C. 35. *in quinos denos dies*] Hoc si est, non singuli menses a cornibus lunae incipiunt, vt n. 36. traditum est. Aut ergo *tricens* dies adsumendi, aut alterna vice mensis a cornibus & pleno circiter lumine inchoandus. **Adi Scaligerum** lib. II. Emend. Temp. pag. 114. C. 36. *ad hunc lunae modum*] Scalig. & Bongarf. *motum*. sed nec vulgare *modum* alienum est, quia ad phasin potius, quam ad cursum lunae, hoc loco respicitur. C.

traduntur, quibus morari ordinem rerum, haud sane operae videbatur.

37. *haud sane operae*] subaudi *precium*, quod alii addunt; Freinshemius manuscripto libro fretus posthabuit. Sic etiam Plautus *Casin. a. V. sc. II. v. 5. Est, operae auribus percipere.* Val. Maximus *l. 7. 2.* a Pitiscio additur. sed in MS. neutiquam est, *non erat opera*, verum *non erat*, dempta voce *opera*. Confule Gronovium *Observ. IV. 8.* & Vorstium in *Notis.* Nec forte certior ratio est eiusdem Valerii *II. l. 1. operae est cognosci*, quia tum Aldus, tum MSS. Brandeb. habent *opus est*: Pighii tamen vetus liber *operae est. C.*

CAP. X.

Varios Indiae populos, mira felicitate, non tamen sine sanguine, Alexander subiicit.

- 1 **I**GITUR Alexandro fines Indiae ingressa gentium duarum reguli occurrerunt, imperata facturi; *illum tertium Ioue genitum ad ipsas peruenisse memorantes; patrem Liberum atque Herculem fama cognitos esse: ipsum coram*
- 2 *adesse cernique.* Rex benigne exceptos sequi iussit iisdem itinerum ducibus vsurus. Ceterum quum amplius nemo occurreret; Hephaestionem & Perdiccam cum copiarum parte praemisit ad subigendos, qui auersarentur imperium: iussitque ad flumen Indum procedere, & nauigia facere, quis in vlsiora transportari

posset

posset exercitus. Illi quia plura flumina superanda erant, sic iunxere naues; ut solutae plaustris vehi possent, rursusque coniungi. Post se Cratero cum phalange iussu sequi, equitatum ac leuem armaturam eduxit; eosque, qui occurrerant, leui praelio in urbem proximam compulit. Iam superuenerat Craterus. itaque ut principio terrorem incuteret genti nondum arma Macedonum expertae; praecipit ne cui parceretur, munimentis urbis, quam obsidebat, incensis. Ceterum dum obequitabat moenibus, sagitta ictus est. Cepit tamen oppidum, & omnibus incolis eius trucidatis etiam in tecta saeuitum est. Inde domita ignobili gente, ad Nysam urbem pertuenit. Forte castris ante moenia ipsa in siluestri loco positis, nocturnum frigus vehementius, quam alias, horrore corpora adfecit, opportunumque remedium ignis oblatum est. Caesis quippe siluis flammam excitauerunt: quae igni alita oppidanorum sepulchra comprehendit. vetustâ cedro facta erant, conceptumque ignem late fudere; donec omnia solo aequata sunt. Et ex urbe primum canum latratus. deinde etiam hominum fremitus auditus est. Tum & oppidani hostem; & Macedones ipsos ad urbem venisse cognoscunt. Iamque rex eduxerat copias, moenia obsidebat; quum hostium, qui discrimen tentauerant,

3. sic iunxere] Freinshemius mauult struxere.
 Names huiusmodi vocantur *plicatiles* Plinio V.
 9. C.

obrutis telis sunt. Aliis ergo deditioem; aliis
 pugnam experiri placebat; quorum dubitatione
 comperta circumfideri tantum eos, & abstineri
 caedibus iussit. tandemque obsidionis malis
 11 fatigati dedidere se. A Libero Patre conditos
 12 se esse dicebant; & vera haec origo erat. Sita
 est sub radicibus montis, quem Meron incolae
 adpellant. inde Graeci mentiendi traxere
 licentiam, Iouis femine Liberum patrem esse
 13 celatum. Rex situ montis cognito ex incolis,
 cum toto exercitu, praemissis com meatibus,
 verticem eius adscendit. Multa hedera vitisque
 toto gignitur monte; multae perennes aquae
 14 manant. Pomorum quoque varii salubresque
 succi sunt, sua sponte fortuitorum seminum
 fruges humo nutriente. Lauri baccaeque, &
 15 multa in illis rupibus agrestis est silua. Credo
 equidem non diuino instinctu, sed lasciuia esse
 prouectos, ut passim hederac ac vitium folia

11. vera haec origo] nisi potius fabulosa ut omnia
 de Bacchi in Indos expeditione. C. 12. Meron]
 μυρδος femur est, vnde fabulae de Baccho, Iouis femori
 insuto, originem arcessit Curtius. C. Iouis femine]
 Ouidius III. Metam. fab. III. v. 310.

*Imperfectus adhuc infans genitricis ab aluo
 Eripitur, patrioque tener (si credere dignum est)
 Insuitur femori, maternaque tempora complet.*

Fabulam Physice interpretatur Diodorus Siculus III.
 62. C. 13. hedera vitisque] Plinius XVI. 34.
 pr. Hedera iam dicitur in Asia nasci: negauerat
 Theophrastus: nec in India, nisi in monte Me-
 ro. C.

decerperent, redimitique fronde toto nemore
 similes bacchantibus vagarentur. Vocibus¹⁶
 ergo tot millium; praesidem nemoris eius deum
 adorantium, iuga montis collesque resonabant;
 quum orta licentia a paucis, vt fere fit, in omnes
 se repente vulgasset. Quippe velut in media¹⁷
 pace, per herbas congestamque frondem prostra-
 uerant corpora, & rex fortuitam licentiam non
 auersatus, large ad epulas omnibus praebitis, per
 decem dies Libero Patri operatum habuit exer-
 citum. Quis neget eximiam quoque gloriam¹⁸
 saepius fortunae, quam virtutis esse beneficium?
 quippe ne epulantes quidem, & sopitos mero
 adgredi ausus est hostis, haud secus bacchantium
 vlulantiumque fremitu perterritus, quam si proe-
 liantium clamor esset auditus. Eadem felicitas
 ab Oceano reuertentes temulentos comissan-
 tesque inter ora hostium texit. Hinc ad regi-¹⁹
 onem, quae Daedala vocatur, peruentum est.
 Deseruerant incolae sedes, & in auios siluestres-

15. redimiti fronde] Plinius c. l. Alexandrum ob
 raritatem ita coronato exercitu, victorem ex India
 rediisse, exemplo Liberi Patris. C. 17. ope-
 ratum] sacrificantem. Quae significatio occurrit
 apud Virgilium Georg. I. 338. Iuvenalem Sat. 12. 92.
 Jul. Obsequentem de prodigiis c. 72. S. 18. sae-
 pius fortunae quam virtuti] Alexandri victoriae
 saepius imputandae sunt fortunae, quam virtuti. C.
 19. Daedala] Ptolemaeo, qui trans Indum locauit,
 & Stephano vrbs est: nostro regio. Potest commune
 nomen fuisse & vrbi & regioni. C.

- que montes confugerant. Ergo Acadera trans-
 it, aequae vasta & destituta incolentium fuga.
 20 Iraque rationem belli necessitas mutauit. diuisis
 enim copiis pluribus simul locis arma, ostendit;
 oppressique, & qui exspectauerant hostem omni
 21 clade perdomiti sunt. Ptolemaeus plurimas
 vrbes; Alexander maximas cepit: rursusque,
 22 quas distribuerat, copias iunxit. Superato de-
 inde Choaspe amne Coenon in obsidione vrbis
 opulentae, Beziram incolae vocant, reliquit.
 ipse ad Mazagas venit. Nuper Assacano, cuius
 regnum fuerat, demortuo; regioni vrbique
 23 praeerat mater eius Cleophes. Triginta millia
 peditum tuebantur urbem, non situ solum, sed
 etiam opere munitam. Nam qua spectat ori-
 entem, cingitur amne torrenti, qui praeruptis
 24 vtrisque ripis aditum ad urbem impedit. ad
 occidentem, & a meridie velut de industria rupes
 praealtas admolita natura est, infra quas cauer-
 nae & voragines longa vetustate in altum caua-

Acadera] al. *Adaca*, quae forte sunt *Arriani*
Andraca lib. IV. pag. 291. C. *vasta*] vulgo *vsta*.
Acidalius vasta sublinuit, quem *Raderus* & *Tellierus*
 sequuti sunt. C. 22. *Choaspe amne*] non eodem,
 qui *Persidem* rigat, vt *Periegeta* v. 1073. eiusque scholi-
 astes *Eustadius* errauerunt: sed *Indiae* proprius flui-
 us, qui iudice *Salmasio* in *Solin.* pag. 700. & *Freins-*
hemio est ipse *Choes* *Arriani*. *Straboni* XV. pag. 479.
Choaspes in *Cophen* (hic vero in *Indum*) insinuatur. C.
Mazagas] *Massacae* potius vrbis nomen, vt *Diodori*
Stenochus capitum habet. & *Arrianus* in *Indicis*; aut
Massaga, vt idem lib. IV. p. 299. scripsit; vnde cor-
 ruptum est *Strabonis* *Masoga*, C.

tae iacent: quaque definunt, fossa ingentis operis obiecta est. xxxv stadia murus urbem²⁵ complectitur, cuius inferiora saxo, superiora crudo latere sunt structa. Lateri vinculum lapides sunt, quos interposuere vt duriori materiae fragilis incumberet, simulque terra humore diluta. Ne tamen vniuersa consideret; impositae erant trabes validae, quibus iniecta tabulata muros & tegebant, & peruios fecerant. Haec²⁷ munimenta contemplantem Alexandrum, confilique incertum, quia nec cauernas nisi aggere poterat implere, nec tormenta aliter muris admouere; quidam e muro sagitta percussit. Forte in suram incidit telum: cuius spiculo²⁸ euulso admoueri equum iussit; quo vectus ne obligato quidem vulnere, hand segnius destinata exsequeretur. Ceterum quum crus sancium²⁹ penderet, & cruore siccato frigescens vulnus adgrauaret dolorem, dixisse fertur; *se quidem Iouis filium dici, sed corporis aegri vitia sentire.* Non tamen ante se recepit in castra, quam cuncta³⁰ prospexit, & quae fieri vellet, edixit. Ergo sicut imperatum erat, alii extra urbem tecta demoliebantur, ingentemque vim materiae faciendo

24. quaque] pro & qua, vel & vbi. S. 28.
 admoueri] adduci. S. 29. se quidem Iouis filium] Plutarchus auctor est p. 691. Alexandrum partim Homeri verbis vsum esse ex Iliad. E. v. 340. τὸτο μὲν
 ἦ φίλοι, τὸ θεόν, ἄιμα, καὶ ἐκ
 ἰχθῆρ εἰδὸς πέριτε θέσι μακάρεσσι θεοῖσιν. C.
 30. materiae] ligni. S.

- aggeri detrahebant: alii magnarum arborum
 stipites cumulis ac moles saxorum in cauernas
 31 deiiciebant. Iamque agger aequauerat summae
 fastigium terrae; itaque turres erigebantur, quae
 opera ingenti militum ardore intra nonum diem
 absoluta sunt. Ad ea visenda rex nondum ob-
 ducta vulneri cicatrice processit; laudatisque
 militibus admoueri machinas iussit: e quibus
 ingens vis telorum in propugnatores effusa est.
- 32 Praecipue rudes talium operum terrebant mobi-
 les turres, tantasque moles nulla ope, quae cerne-
 retur, adductas, deorum numine agi credebant.
 pila quoque muralia, & excussas tormentis prae-
 graues hastas negabant conuenire mortalibus.
- 33 Itaque desperata vrbis tutela concessere in arcem.
 Inde, quia nihil obsessis praeter deditioem pla-
 cebat, legati ad regem descenderunt veniam

32. *nulla ope quae cerneretur*] Turres agebantur
 votis, sed latentibus & internis aut certe interius mouen-
 dis. Hoc ideo, ne telis hostium, qui agerent, exponerentur,
 quamquam etiam ab tergo adesse licuit, qui propellerent. *Lips. Poliorc. II. 4. C. deorum
 numine*] Pariter Galli apud Caesarem II. 31. *Non se
 existimare, Romanos sine ope deorum bellum gerere,
 qui tantae altitudinis machinationes tanta celeri-
 tate promouere, & ex propinquitate pugnare pos-
 sent.* C. *pila muralia*] Horum meminit etiam
 Caesar V. 39. & VII. 82. iisque vsos ait Romanos ex vallo
 & turribus in obsidione. Maiora fuerunt quam legi-
 onaria, & vel manu emissa, vel catapultis, quae inde
 ἐμβολαὶ videntur adpellari Iosepho VI. II. pag. 927. de
 B. I. & καταπέλται ἐμβολοὶ Appiano in Hisp. & Libyc.
 Adde Lips. Poliorc. III. 2. C.

petituri.

petituri. Qua impetrata, regina cum magno 34
nobilium, feminarum grege aureis pateris vina
libantium processit. Ipsa genibus regis paruo 35
filio admoto, non veniam modo, sed etiam
pristinæ fortunæ impetrauit decus. quippe
adpellata regina est; & credidere quidam, plus
formæ, quam miserationi datum. Puero quo- 36
que certe postea ex ea utcumque genito, Alexan-
dro fuit nomen.

34. *pateris vina libantium*] Ritus sacrorum, quo
sperabant veniam facilius se impetraturas, ut de *vela-*
mentis supplicum diximus supra ad VII. 5. 33. C.
36. *Alexandro*] qui postea regnum Indorum potitus
est. *Iustin. XII. 7. 9. C.*

CAP. XI.

Aornus petra & arx inaccessa ab Alexandro oppugna-
tur, & ab obsessis relicta capitur.

HINC Polysperchon ad urbem Oram cum 1
exercitu missus inconditos oppidanos
proelio vicit: intra munimenta compulsos
sequutus urbem in deditionem redigit. Multa 2
ignobilia oppida deserta a suis, venire in regis
potestatem. Quorum incolae armati petram
Aornon nomine occupauerunt. Hanc ab Her-
cule frustra obsessam esse: terræque motu

2. *Aornon*] Diodoro XVII 85. & Arriano IV. pag.
306. ἄορνος, Dionysio Perieg. v. 1150. ἄορνος, quasi *sine*
auibus propter altitudinem. C. ab Hercule fru-
stra obsessam] Ita Diodorus & Eustathius ad Dionys.

- 3 coactum abstrere fama vulgauerat. Inopem
 consilii Alexandrum : quia vndique praeceps &
 abrupta rupes erat ; senior quidam peritus loco-
 rum cum duobus filiis adiit , si precium operi
 esset , aditum se monstraturum esse promittens.
 4 LXXX talenta constituit daturum Alexander ;
 & altero ex iuuenibus obside retento , ipsum ad
 5 exsequenda , quae obtulerat , dimisit. Leuiter
 armatis dux datus est Mullinus scriba regis. Hos
 enim circumitu , quo fallerent hostem , in sum-
 6 mum iugum placebat euadere. Petra non vt
 pleraeque modicis ac mollibus cliuis in sublime
 fastigium crescit ; sed in metae maxime modum

cc. II. Arrianus autem IV. p. 306. dubitat, Herculem
 vnquam in Indiam venisse, & in Exp. Ind. pag. 519. ait:
 τὴν Ἰνδοὺν πέτρην, ἦντινα Ἀλέξανδρος βλῆ ἐχειρώσατο,
 ὅτι Ἡρακλῆς ἐδυνατὸς ἐγένετο ἕξειν, Μακεδονικῶν
 δοκεῖ μοι τὸ κήρυγμα, quod Aornon petram ; quam
 Alexander vi cepit, Hercules expugnare non potuerit,
 Macedonia mihi ignorantia videtur. C. 3. pre-
 zium operi] Ita plerique libri: Tellieri precium
 opere. C. 4. LXXX talenta] Nimum praec-
 mium pro accipiente, quamquam non pro rege
 promittente. Diodorus enim XVII. 85. promississe ait
 μεγάλας δαρεὶς δώσειν. C. 5. scriba regis] De
 scribarum apud Macedonas dignitate Corn. Nepos
 Eumene cap. I. consulatur. C. quo fallerent]
 ita etiam Tellierus: Suadente enim Freinshemio qui
 fallerent, aut qui falleret, edendum, pro vulgari quo
 fallerent. C. 6. in metae modum] Meta erat
 curriculae mediam metiebatur. Sic Columella II. 19.
 foenum siccatum in metas exstrui, easque in an-
 gustissimos vertices exacti iubet, vt a pluuiis defen-
 dantur. C.

erecta

erecta est: cuius ima spatiosiora sunt, altiora
 in arctius coeunt, summa in acutum cacumen
 exsurgunt. Radices eius Indus amnis subit, 7
 praealtus vtrisque asperis ripis: ab altera parte
 voragine eluiesque praeuptae sunt. Nec alia
 expugnandi patebat via, quam ut replerentur.
 Ad manum silua erat, quam rex ita caedi iussit, 8
 ut nudi stipites iacerentur: quippe rami fronde
 vestiti impedissent ferentes. Ipse primus trun-
 cam arborem iecit; clamorque exercitus index
 alacritatis sequutus est, nullo detrectante mu-
 nus, quod rex occupasset. Intra septimum diem 9
 cauernas expleuerant; quum rex sagittarios &
 Agrianos iubet per ardua niti. iuuenesque
 promptissimos ex sua cohorte xxx delegit. Du- 10
 ces his dati sunt Charus & Alexander; quem
 rex nominis, quod sibi cum eo commune esset,
 admonuit. Ac primo, quia tam manifestum
 periculum erat; ipsum regem discrimen subire
 non placuit: sed ut signum tuba datum est; viri 11
 audaciae promptae conuersus ad corporis cu-
 rades sequi se iubet, priusque euadit in rupem.
 Nec deinde quisquam Macedonum substitit:
 relictisque stationibus sua sponte regem seque- 12
 bantur. Multorum miserabilis fuit casus, quos
 ex praeupta rupe lapsos amnis praeterfluens
 hausit; triste spectaculum etiam non pericli-
 tantibus: quum vero alieno exitio, quid ipsis

7. voragine eluiesque] vide V. 4. 26. C. 8.
 truncam arborem] ut *trunca manu pinus regis*,
 Aeneid. III. v. 659. C.

timendum foret, admonerentur; in metum
 misericordia versa, non extinctos, sed semet-
 13 ipsos deslebant. Et iam eo peruentum erat,
 vnde sine pernicie nisi victores redire non pos-
 sent; ingentia saxa in subeuntes prouoluentibus
 barbaris, qui percussi instabili & lubrico gradu
 14 praecipites recidebant. Euaserant tamen Ale-
 xander & Charus, quos cum xxx delectis praemi-
 serat rex, & iam pugnare cominus coeperant:
 sed quum superne tela barbari ingererent, sae-
 15 pius ipsi feriebantur, quam vulnerabant. Ergo
 Alexander & nominis sui, & promissi memor;
 dum acrius quam cautius dimicat, confossus
 16 vndique obruitur. Quem vt Charus iacentem
 conspexit, ruere in hostem omnium praeter
 vltionem immemor coepit; multosque hasta,
 quosdam gladio interemit. Sed quum tot
 vnum incesserent manus; super amici corpus
 17 procubuit exanimis. Haud secus quam par erat,
 promptissimorum iuuenum ceterorumq; militum
 interitu commotus rex signum receptui dedit.
 18 Saluti fuit, quod sensim & intrepidi se rece-
 perunt; & barbari hostem depulisse contenti,
 19 non institere cedentibus. Ceterum Alexander
 quum statuisset desistere incepto (quippe nulla
 spes potiundae petrae offerebatur) tamen spe-
 ciam ostendit in obsidione perseverantis. Nam
 & itinera obsideri iussit; & turres admoueri; &

15. *nominis sui*] quod simile erat Regis Alexandri.
 supra n. 20. S. 16. *omnium*] neutrum, pro
omnium rerum immemor. S.

fatigatis alios succedere. Cuius pertinacia²⁰ cognita, Indi per biduum quidem ac duas noctes, cum ostentatione non fiduciae modo, sed etiam victoriae epulati sunt; tympana suo more pulsantes. tertia vero nocte tympanorum²¹ quidem strepitus desierat audiri: ceterum ex tota petra faces refulgebant, quas accenderant barbari, ut tutior esset ipsis fuga, obscura nocte per inuia saxa cursuris. Rex Balacro, qui specu-²² laretur, praemisso, cognoscit petram fuga Indorum esse desertam. tum dato signo, ut vniuersi conclamarent, incomposite fugientibus metum incussit. multique, tamquam adesset hostis, per²³ lubrica saxa, perque inuias cotes praecipitati occiderunt: plures aliqua membrorum parte mulctati, ab integris deserti sunt. Rex locorum²⁴ magis quam hostium victor, tamen magnae victoriae sacrificiis & cultu diis satisfecit. Arae in petra locatae sunt Minervae Victoriaeque. Ducibus itineris, quos subire iusserat leuiter armatos, etsi promissis minora praestiterant, precium cum fide redditum est. Petrae regionisque ei adiunctae, Sifocosto tutela permissa.

22. *conclamarent*] clamorem militarem ederent. S.
23. *ab integris*] Vide quae ad V. 4. 28. notauimus. C.
24. *Arae in petra locatae*] ut etiam in petra Syfimi-
thris aut iuxta eam, VIII. 2. 32. Mineruam autem in-
primis coluit Alexander, ut patet ex c. 1. & III. 7. 3.
III. 12. 27. C.

CAP. XII.

Omphis Rex potentissimus se regnumque suum Alexandro permittit, a quo in integrum restituitur: unde mutua dona regia.

1 **I**NDE processit Ecbolima: & quum angustias
 itineris obsideri xx millibus armatorum ab
 Eryce quodam comperisset; gratius agmen
 2 exercitus Coeno ducendum modicis itineribus
 tradidit. ipse praegressus cum funditore ac
 sagittario, deturbatis, qui obsederant saltum,
 3 frequentibus se copiis viam fecit. Inde siue
 odio ducis, siue gratiam victoris regis inituri,
 Erycem fugientem adorti interemerunt, caput-
 que eius atque arma ad Alexandrum detulerunt.
 Ille facto impunitatem dedit; honorem
 4 denegavit exemplo. Hinc ad flumen Indum
 sextisdecumis castris peruenit, omniaque vt prae-
 ceperat, ad traiciendum praeparata ab Hephae-
 stione reperit. Regnabat in ea regione Omphis,
 qui patri quoque fuerat auctor dedendi regnum

1. *Ecbolima*] Ptolemaeus & Arrianus *Embolima*,
 atque hic illa ante captam Aornum memoravit. *C.*
funditore ac sagittario] singularis pro plurali, pro
funditoribus ac sagittariis. S. deturbatis] sc.
is, qui obs. *S. 3. facto impunitatem*] impunitos
 quidem eos reliquit, ob hoc factum: nullo tamen honore
 adfecit, quia hoc aliis etiam exemplum perfidiae
 exsequendae dare poterat. Inde vulgatum istud: *Pro-*
ditionem amo, proditorem odi. S. ad flumen
Indum] Strabo XV. p. 480. *πευκολαχίτιν* vocat urbem,
 iuxta quam Indum ponte transierit cum exercitu rex
 Alexander. *C.*

Alexan-

Alexandro. Et post mortem parentis legatos 5
 miserat, qui consulerent eum, regnare se inter-
 rim veller; an priuatum opperiri eius aduen-
 tum. permissoque vt regnaret, non tamen ius 6
 datum vsurpare sustinuit. Is benigne quidem
 exceperat Hephaestionem, gratuitum frumen-
 tum copiis eius admensus: non tamen ei occur-
 rerat, ne fidem vllius, nisi regis, experiretur.
 Itaque venienti obuiam cum armato exercitu 7
 egressus est: elephantum quoque per modica in-
 terualla militum agmini immixti, procul castel-
 lorum fecerant speciem. Ac primo Alexander 8
 non socium, sed hostem aduentare credebat.
 Iamque & ipse arma milites capere, & equites
 descendere in cornua iusserat, paratos ad pu-
 gnam. at Indus cognito Macedonum errore,
 iussis subsistere ceteris, ipse concitat equum, quo
 vehebatur: idem Alexander quoque fecit, siue 9
 hostis, siue amicus occurreret, vel sua virtute,
 vel illius fide tutus. Coiuere, quod ex vtriusque
 vultu posset intelligi, amicis animis: ceterum
 sine interprete non poterat conferri sermo. ita-
 que adhibito eo, barbarus occurrisse se dixit, cum
 exercitu, totas imperii vires protinus traditurum,
 nec expectasse dum per nuncios daretur fides.
 Corpus suum & regnum permittere illi, quem 10
 sciret gloriae militantem, nihil magis quam
 famam timere perfidiae. Laetus simplicitate
 barbari rex & dextram fidei suae pignus dedit: &
 regnum restituit. LVI elephantum erant, quos 11
 tradidit Alexandro, multaque pecora eximiae
 magni-

- magnitudinis: tauros ad III millia, preciosum
 in ea regione, acceptumque animis regnantium
 12 armentum. Quarenti Alexandro *plures agri-
 cultores haberet an milites? cum duobus regibus
 bellanti sibi maiore militum quam agrestium manu*
 13 opus esse respondit. Abisares & Porus erant;
 sed in Poro eminebat auctoritas. vterque ultra
 Hydaspem amnem regnabat; & belli fortunam,
 quisquis arma inferret, experiri decreuerat.
 14 Omphis permittente Alexandro, & regium in-
 signe sumpsit, & more gentis suae nomen, quod
 patris fuerat, Taxilen adpellauere populares;
 sequente nomine imperium in quemcumque
 15 transiret. Ergo quum per triduum hospitaliter
 Alexandrum accepisset, quarto die, & quantum
 frumenti copiis, quas Hephæstion duxerat,
 praebitum a se esset, ostendit; & aureas coronas

14. quod patris fuerat] Ab vrbē & pater & auus
 & omnes successores *Taxiles* vocabantur. Suspiciatur
 ergo Freinshemius, annon forsan: quod patria fue-
 rat, legendum sit, sicut Tacitus annal. II, 56. de
 Zenone Armeniis dato rege: *ceteri regem Artaxiam
 consalutauerē, quod illi vocabulum indiderant ex
 nomine vrbis.* In vrbe enim Artaxata Germanicus
 hunc regem proclamauerat. C. 15. aureas coro-
 nas] In praecipuis muneribus coronae aureae erant,
 & regibus, & rebus publicis, & claris victoribus offerri
 solitae. Sic Alexandro Tyrii legati coronam auream
 adferebant III. 2. 2. Graeci cap. 5. num. 11. Roma-
 nis Carthaginenses, *Nepos Hannibale cap. 7.* Ro-
 mani Rhodiis, *Liv. XXXI. 15.* Sic quoque Olympiac
 victores coronis aureis donati, *Nepos Alcib. cap. 6.*
 & Siccus Dentatus octo huius generis coronis, *Gell.*
 II. 11. C.

ipfi

ipsi amicisque omnibus, praeter haec signati
 argenti LXXX talenta dono dedit. qua benigni- 16
 tate eius Alexander mire laetus, & quae is de-
 dederat, remisit; & mille talenta ex praeda, quam
 vehebat, adiecit: multaque conuiuialia ex auro
 & argento vasa, plurimum Persicae vestis, xxx
 equos ex suis, cum iisdem insignibus, quos ad-
 fueuerant, quum ipsum veherent. Quae libe- 17
 ralitas, sicut barbarum obstrinxerat; ita ami-
 cos ipsius vehementer offendit. E quibus Mele-
 ager super coenam largiore vino vsus, gratulari
Alexandro dixit, quod saltem in India reperisset
dignum talentis mille. Rex haud oblitus quam 18
 aegre tulisset, quod Clitum ob linguae teme-
 ritatem occidisset, iram quidem tenuit, sed
 dixit; *inuidos homines nihil aliud, quam ipsorum*
esse tormenta.

18. *inuidos homines*] Horatius L. Epist. II. v. 58.
Inuidia Siculi non inuenere tyranni
Maius tormentum. C.

CAP. XIII.

Porum Regem, Ompbis suasu, Alexander ancipitè
quidem & sub initia periculossissimo adgreditur
bello.

POSTERO die legati Abisarae adiere re- 1
 gem, omnia ditioni eius, ita vt mandatum
 erat, permittebant: firmataque inuicem fide re-
 mittuntur ad regem. Porum quoque nominis 2
 sui

- fui fama ratus ad deditioem posse compelli; misit ad eum Cleocharem, qui denunciaret ei, *Si stipendium penderet, & in primo finium suorum aditu occurreret regi.* Porus alterum ex his facturum sese respondit, *Si intranti regnum*
- 3 *saum praesto esset, sed armatus.* Iam Hydaspes Alexander superare decreuerat; quum Barzaentes defectionis Arachosius auctor victus, trigintaque elephanti simul capti perducuntur, opportunum aduersus Indos auxilium: quippe plus in belluis, quam in exercitu spei ac virium
- 4 illis erat. Gamaxusque rex exiguae partis Indorum, qui Barzaenti se coniunxerat, victus
- 5 adductus est. Igitur transfuga & regulo in custodiam, elephantis autem Taxili traditis, ad amnem Hydaspes peruenit: in cuius vltiore ripa Porus confederat, transitu prohibitorum
- 6 hostem. LXXXV elephantos obiecerat eximio corporum robore; vltraque eos currus CCC & peditum xxx fere millia, in quibus erant sagittarii, sicuti ante dictum est, grauioribus telis, quam vt apte excuti possent. Ipsum vehebat elephantis super ceteras belluas eminens; armaque aur & argento distincta corpus rarae magnitudinis

3. *Barzaentes*] Drangarum satrapa, sceleris in regem suum particeps Besso in Indiam vltore aduentante profugerat, *supra VI. 6. extr.* vnde Drangas & finitimos Arachosios ad defectionem a Macedonibus sollicitauit. Hunc comprehensum Indi ad Alexandrum mittunt, a quo interficitur, (ἀπονήσκει πρὸς Ἀλεξάνδρου) *Arrian. III. pag. 224. C.*

honesti-

honesti
quanta
cedo
etiam
trudo
difficili
operante
pro spatio
coerceba
torrens
inelle ob
cuffae.
virique
rum co
horren
hostis
pectora,
pauore pe
nec dirigi
debant.
in quas &
sua capiti
contereb

7. in
quales er
moles] in
vadi ample
nile secum
plerasque fo
pectora] an
spei & fiducia
genos, munc

honestabant. par animus robori corporis ; & quantâ inter rudes poterat esse sapientia. Macedonas non conspectus hostium solum ; sed etiam fluminis, quod transeundum erat, magnitudo terrebat. quatuor in latitudinem stadia diffusum, profundo alueo, & nusquam vada aperiente, speciem vasti maris fecerat. Nec pro spatio aquarum late stagnantium impetum coërcebat ; sed quasi in arctum coëuntibus ripis torrens & elisus ferebantur, occultaque saxa inesse ostendebant pluribus locis vndae repercussae. Terribilior erat facies ripae, quam equi virique compleuerant. Stabant ingentes vastorum corporum moles, & de industria iritatae horrendo stridore auras fatigabant. Hinc hostis, hinc amnis capacia quidem bonae spei pectora, & saepe se experta, improviso tamen pauore percusserant. quippe instabiles rates, nec dirigi ad ripam nec tuto adplicari posse credebant. Erant in medio amne insulae crebrae, in quas & Indi, & Macedones nantes leuatis super capita armis transibant. Ibi leuia proelia conferebant ; & vterque rex paruae rei discri-

7. *inter rudes*] inter rudes eiusmodi homines, quales erant Indi. S. 10. *vastorum corporum moles*] ingentes belluae, elephanti. Supra V. 4. 32. *nudi amplectebantur armatos, & ingenti corporum mole secum ad terram detrahentes, ipsorum relis plerosque fodiebant.* C. 11. *capacia bonae spei pectora*] animos Macedonum, quamlibet aptos bonae spei & fiduciae, etiam se suamque virtutem saepe exvertos, nunc hostis atque amnis terruerant. C.

mine,

- 13 mine, summae experiebatur euentum. Ceterum in Macedonum exercitu temeritate atque audacia insignes fuere Symmachus & Nicanor, nobiles iuueae, & perpetua partium felicitate
- 14 ad spernendum omne periculum accensi. quis ducibus promptissimi iuuenum lanceis modo armati transnauere in insulam, quam frequens hostis tenebat; multosque Indorum, nulla re magis quam audacia armati, interemerunt.
- 15 Abire cum gloria poterant, si vnquam temeritas felix inueniret modum: sed dum superuenientes contemptim & superbe quoque expectant, circumuenti ab iis, qui occulti enatauerant, eminus
- 16 obruti telis sunt. Qui effugerant hostem, aut impetu amnis ablati sunt; aut vorticibus impliciti. eaque pugna multum fiduciam Pori erexit
- 17 cuncta cernentis e ripa. Alexander inops consilii tandem ad fallendum hostem dolum intendit. Erat insula in flumine amplior ceteris, siluestris eadem & tegendis insidiis apta. fossa quoque praealta haud procul ripa, quam tenebat ipse, non pedites modo, sed etiam cum equis
- 18 viros poterat abscondere. Igitur vt a custodia huius opportunitatis oculos hostium auerteret; Ptolemaeum cum omnibus turmis obequitare

13. partium] Macedonicarum siue Alexandri. C.

14. frequens hostis] multi hostes, magna hostium frequentia. S. 15. si temeritas felix inueniret modum] Modum ponendum felicitati esse & victoriae, Hannibal apud Liuium XXX, 30. exemplo Attilii Reguli suadet, qui si pacem petentibus Poenis dedisset, magnus fuisset & felix imperator. C.

iussit

iussit procul ab insula, & subinde Indos clamore
 terrere, quasi flumen transnaturus foret. Per 19
 complures dies Ptolemaeus id fecit; eoque con-
 filio Porum quoque agmen suum ei parti, quam
 se petere simulabat, coegit aduertere. Tam ex-20
 tra conspectum hostis insula erat: Alexander in
 diuersa parte ripae statui suum tabernaculum ius-
 sit, adfuetamque comitari ipsum cohortem ante
 id tabernaculum stare; & omnem adparatum
 regiae magnificentiae, hostium oculis de indu-
 stria ostendi. Attalum & aequalem sibi, & haud 21
 disparem habitu oris & corporis, utique quum
 procul viseretur; veste regia exornat, praebi-
 turum speciem ipsum regem illi ripae praesidere,
 nec agitare de transitu. Huius consilii effectum 22
 primo morata tempestas est, mox adiuuit; in-
 commoda quoque ad bonos euentus vertente
 fortuna. Traicere annem cum ceteris copiis 23
 in regionem insulae, de qua ante dictum est
 parabat, auerso hoste in eos, qui cum Ptolemaeo,
 inferiorem obsederant ripam; quum procella
 imbrem vix sub tectis tolerabilem effudit.
 obrutique milites nimbo in terram refugerunt,
 nauigiis ratibusque desertis. sed tumultuantium
 fremitus, obstrepentibus ripis, ab hoste non po-
 terat audiri. Deinde momento temporis repres-24
 sus est imber; ceterum adeo spissae intendere se
 nubes, ut conderent lucem, vixque conloquen-
 tium inter ipsos facies noscitur. Terruisset 25

21. Attalum] qui Agrianis praecerat. IV. 13. 31 C.
 oris] faciei, pars pro toto. S. 24. inter ipsos]

alium obducta nox coelo, quum ignoto amne nauigandum esset, forsitan hoste eam ipsam ripam, quam caeci atque improvidi, & ex periculo gloriam arcessentes petebant, occupante.

26 obscuritatem, quae ceteros terrebat, suam occasionem ratus, dato signo, ut omnes silentio adscenderent in rates, eam qua ipse vehebatur,

27 primam iussit expelli. Vacua erat ab hostibus ripa, quae petebatur; quippe adhuc Porus Ptolemaicum tantum intuebatur. vna ergo nauis, quam petrae fluctus inliserat, haerente, ceterae euadunt; armaque capere milites, & ire in ordines iussit.

pro inter se. S. 25. nox] pro tenebris. S.
27. intuebatur] adrendebat. S.

CAP. XIV.

*Indorum & Macedonum insignis & cruenta pugna:
Pori captiui magnanimitas, & Alexandri regis
clementia.*

1 **I**AMQVE agmen in cornua diuisum ipse ducebat: quum Poro nunciatur armis virisque ripam obtineri, & rerum adesse discrimen. Ac primo humani ingenii vitio spei suae indulgens, Abisarem belli socium, (& ita conuenerat,)

1. rerum adesse discrimen] Res pro imperio; discrimen pro pugna accipitur. Nunciatum ergo est Poro, iam ultimam adesse pugnam, quae decreta sit, an regnum Indiae penes Alexandrum futurum sit, an vero penes Porum. S. Abisarem belli socium] adugn-

aduentare credebat. Mox liquidiore luce aper-
 riente hostem, c quadrigas, & 111 millia equi-
 tum venienti agmini Porus obiecit. Dux erat
 copiarum, quas praemisit, Hages frater ipsius:
 summa virium in curribus. senos viros singuli
 vehabant, duos clypeatos, duos sagittarios ab
 utroque latere dispositos; ceteri aurigae erant,
 haud sane inermes, quippe iacula complura, vbi
 cominus praeliandum erat, omissis habenis in
 hostem ingerebant. Ceterum vix vllus vsus hu-
 ius auxiliij eo die fuit. namque vt supra dictum
 est, imber violentius quam alia fufus campos
 lubricos, & inequitabiles fecerat: grauesque,
 & propemodum immobiles currus inluuie &
 voraginibus haerebant. Contra Alexander
 expedito ac leui agmine strenue inuectus est.
 Scythae & Dahae primi omnium inuasere Indos:
 Perdiceam deinde cum equitibus in dextrum
 cornu hostium erust. Iam vndique pugna se
 mouerat; quum ii, qui currus agebant, illud
 vltimum auxilium suorum rati, effusis habenis in
 medium discrimen ruere coeperunt. Anceps
 id malum vtrisque erat: nam & Macedonum
 pedites primo impetu obterebantur; & per lu-
 brica atque inuia irraissi currus excutiebant eos,
 a quibus regebantur. aliorum turbati equi non
 in voragines modo lacrimasque, sed etiam in

Supra cap. 12. num. 13. C. 2. liquidiore] clari-
 ore, quod iam supra adfuit. S. Hages frater
 ipsius] filium Pori vocat Arrianus lib. V. pag. 336. C.
 2. singuli] currus scil. S.

9 annem praecipitauerē *curricula*. Pauci tamen hostium tenus exacti penetrauerē ad Porum acerrime pugnam cientem. Is vt dissipatos tota acie currus vagari sine rectoribus vidit; proximis amicorum distribuit elephantos: post eos posuerat pedites ac sagittarios tympana pulsare solitos. id pro cantu tubarum Indiserat: nec strepitu eorum mouebantur, olim ad notum sonum auribus mitigatis. Herculis simulacrum agmini peditem praeferebatur, id maximum erat bellantibus incitamentum, & deseruisse gestantes militare flagitium habebatur. Capitis etiam sanxerant poenam iis, qui ex acie non retulissent: metu, quem ex illo hoste quondam conceperant, etiam in religionem uenerationemque conuerso. Macedonas non belluarum modo, sed etiam ipsius regis adspectus parumper inhibuit. Belluae dispositae inter armatos speciem turrium procul fecerant. ipse Porus humanae magnitudinis prope modum excefferat. magnitudini

8. *curricula*] *breues currus*. Diminutiue. C.
 9. *Pauci tamen hostium tenus*] Mendosus locus, cuius sensus facilior, quam genuina scriptura. Videtur hoc innuere historicus, Macedonas se interiecisse inter Hags currus & Pori exercitum, illosque turbasse, vt pauci per Macedonum aciem euadentes ad Porum usque peruenirent. Tellerius abiicit vocem *tamen*. C.
 11. *deseruisse gestantes*] sc. hanc imaginem Herculis. S.
 13. *prope modum excefferat*] Diuise. vulgo coniuncte *propemodum excefferat* formam. Rutgerf. *norman*. Sed glossema esse quod additur, Bongarsius & Freinshemius censent, quo in numero etiam repetitum uocabulum *Pori*, quod post sequentem uocem adicere

adiicere videbatur bellua qua vehebatur, tantum inter ceteras eminens, quanto aliis ipse praestabat. Itaque Alexander contemplatus & regem & agmen Indorum, *tandem*, inquit, *par animo meo periculum video. cum bestiis simul, & cum egregiis viris res est.* intuensque Coenon, *quum ego*, inquit, *Ptolemaeo Perdiccaque, & Hephæstione comitatus in laevum hostium cornu impetum fecero, viderisque me in medio ardore certaminis; ipse in dextrum moue, & turbatis signa infer.* Tu Antigens, & tu Leonnate, & Tauron inuehimini in mediam aciem, & urgebitis frontem. *Hastae nostrae praelongae & validae non alias magis quam aduersus belluas rectoresque earum vsui esse poterunt, derurbate eos, qui vehuntur, & ipsas confundite.* *Anceps genus auxilii*

magnitudini in vulgatis legitur, Tellerus habet, quem utroque reciso sequuti sumus. C. *magnitudini adiuicere*] Plutarchus pag. 699. ex historicorum consensu tradit, Porum quamuis immani bellua euectum, τὸ μέγας ἰσχύος ἰσχύος ἀποδείν πρὸς τὸν ἐλέφαντα συμμετρῶς, proportionem equitis elephantis respondisse. C. 15. *in dextrum moue*] Ita Acidalius, Raderus, Tellerus. Vulgo sine praepositione *dextrum moue*, id est inuade, turba dextrum cornu hostium, quod insolentius videtur. C. Tu Antigens] dux argyraspidarum. Diador. XVIII. 59. non, ut vulgo. Antigone. Antigens enim inter claros duces. Curt. V. 2. 5. in hoc proelio vna cum Taurone & Seleuco (pro quo noster Leonnatum habet) phalangi praesuit. Arrian. V. pag. 341. C. 16. *Anceps genus auxilii*] quod aequae suis, atque hostibus damnum infert. Sic de curribus falcatis Linius XXXVII. 41. *haud ignarus, quam anceps esset auxilii genus, si quis pauiorem equis*

est, & in suos acrius furit. In hostem enim
 17 imperio; in suos pauore agitur. Haec eloqui-
 tus concitat equum primus. Iamque, vt desti-
 natum erat, inuaferat ordines hostium; quum
 Coenus ingenti vi in laeuum cornu inuehitur.
 phalanx quoque in mediam Indorum aciem vno
 18 impetu prorupit. At Porus, qua equitem inuehi
 senserat, belluas agi iussit: sed tardum & paene
 immobile animal equorum velocitatem aequare
 19 non poterat. ne sagittarum quidem vllus erat
 barbaris vsus. quippe longae & praegraues, nisi
 prius in terra statuerent arcum, haud satis apte
 & commode imponuntur. Tum humo lubrica,
 & ob id impediende conatum, molientes ictus,
 20 oceleritate hostium occupabantur. Ergo spreto
 regis imperio, quod fere fit, (vbi turbatis acrius
 metus quam dux imperare coepit) totidem erant
 21 imperatores, quot agmina errabant. alius iun-
 gere aciem; alius diuidere; stare quidam; &
 nonnulli circumuehi terga hostium iubebant.
 22 nihil in medium consulebatur. Porus tamen

iniiceret. Et noster infra IX. 2. 21 de ipsis elephantis
 plus suis, quam hostibus, periculi inferre. C.
 17. in laeuum cornu] Si nihil mendi subest, dextrum
 Curtius in animo habuit; quum laeuum scribebat.
 Nam ipse Alexander in laeuum mouit num. 15. quod
 plenius Arrianus V. 342. docet. Κοίνον πέμπει ἐν τῷ
 δεξιῷ, Coenum mittit aduersus dextrum cornu.
 Blancardus in Arrian. pag. 342. non verbum, sed casum
 immutat ita: Coenus ingenti vi laeuo cornu inuehi-
 tur. C. 20. vbi turbatis] Ordo: vbi metus
 turbatis (militibus qui iam turbati sunt) acrius impe-
 rat, quam dux, S. 21, in medium consulebatur I

cum paucis, quibus metu potior fuerat pudor,
 conligere dispersos, obuius hosti ire pergit,
 elephantosque ante agmen suorum agi iubet.
 Magnum belluae iniecere terrorem, insolitus-2 3
 que stridor non equos modo tam pauidum ad
 omnia animal; sed viros quoque ordinesque
 turbauerat. Iam fugae circumspiciebant locum 24
 paullo ante victores; quum Alexander Agrianos
 & Thracas leuiter armatos, meliorem concur-
 satione quam cominus militem, emisit in bel-
 luas. Ingentem ii vim telorum iniecere & ele-2 5
 phantis, & regentibus eos. phalanx quoque
 instare constanter territis coepit. Sed quidam 26
 auidius persequuti belluas in semet irritauerunt
 vulneribus. obruti ergo pedibus earum, ceteris,
 vt parcius instarent, fuere documentum.
 Praecipue terribilis illa facies erat, quum manu 27

cum aliis communicato consilio tractabatur, vt res quasi
 in medio consultantium consensu proponeretur. S.
 23. non equos modo] Sic etiam de Pyrrhi elephantis
 Florus l. 18. nouo odore simul ac stridore conslernati
 equi. Remedium simili malo quaerens Caesar in Afri-
 cano bello, elephantos ex Italia transportari iussit, vt
 iumenta bestiarum, (Iubae) odorem, stridorem, consue-
 tudine captarum, non reformidarent. Hirtius
 c. 72. C. pauidum ad omnia animal] intelligit,
 in subito tumultu, sicut in Gallico bello essedorum
 rotarumque sonitus insolitos eius tumultus Romanorum
 equos conterruit. *Liuius X. 29. C. 24. paullo
 ante victores*] ii, qui paullo ante victores erant. S.
concurfatione] qui melius erant in persequendo
 hostes, quam in manuum confertione, *sie waren gut
 zum nachhauen. S. 27. facies*] aspectus. S.
manu] ita vocantur *rostra elephantorum*, quia iis

arma virosque conriperent, & super se regentibus
 28 traderent. Anceps ergo pugna nunc sequen-
 tium, nunc fugientium elephantos, in multum
 diei varium certamen extraxit: donec securibus,
 (id namque genus auxilii praeparatum erat)
 29 pedes amputate coeperunt. Copidas vocant
 gladios leuiter curuatos falcibus similes, quis
 adpetebant belluarum manus. nec quidquam
 inexpertum non mortis modo, sed etiam in ipsa
 30 morte noui supplicii timor omittebat. Ergo
 elephantum vulneribus tandem fatigati suos im-
 petu sternunt, & qui rexerant eos praecipitati in
 31 terram, ab ipsis obterebantur. Itaque pecorum
 modo magis pauidi, quam infesti, ultra aciem
 exigebantur; quum Porus destitutus a pluribus,
 tela multo ante praeparata in circumfusos ex
 elephanto suo coepit ingerere, multisque eminus
 vulneratis, expositus ipse ad ictus vndique pete-

instar manuum utebantur. Solinus c. 52. Lactantius
 de Opificio Dei 5. 12. Vnde elephanti anguimani vocan-
 tur a Lucretio 2. 537. & 5. 1305. quia eorum rostra ad
 anguim instar sunt mobilia, S. 28. in multum
 diei] scil. tempus. S. 29. Copidas] Graeca vox
 ex verbo κόπρω. Suidas κόπρω ή μάχαιρα. Strabo lib.
 III. p. 106. de armis Lusitanorum: πικροξίφης ή κοπίς
 pugio aut copis. C. belluarum manus] proboscis.
 Cicero II. Nat. Deor. c. 47. manus etiam data
 elephanto, quia propter magnitudinem corporis diffi-
 ciles aditus habebat ad pastum. Proboscide enim ele-
 phantus, vt manu homo, ad adprehendendum vitur,
 quia flexilis est & rem potest circumdare. Vnde angui-
 manos elephantos dixit Lucretius II. 537. id est manu
 instar serpentis flexili instructos. C.

batur.

batur. Nouem iam vulnera hinc tergo, illinc 3
 pectore exceperat, multoque sanguine profuso
 languidis manibus magis elapsa, quam excussa
 tela mittebat. Nec segnius bellua instincta 3
 rabie nondum faucia inuehebatur ordinibus;
 donec rector belluae regem conspexit fluentibus
 membris omillisque armis vix compotem mentis.
 Tum belluam in fugam concitat sequente Ale- 34
 xandro: sed equus eius multis vulneribus con-
 fessus deficiensque procubuit, posito magis rege,
 quam effuso. itaque dum equum mutat, tardius
 insequutus est. Interim frater Taxilis regis In- 3
 dorum praemissus ab Alexandro, monere coepit
 Porum, *ne vltima experiri perseueraret, dederet-
 que se victori.* At ille quamquam exhaustae erant 36
 vires, deficiebatque sanguis; tamen ad notam
 vocem excitatus: *agnosco, inquit, Taxilis fra-
 trem imperii regnique sui proditorem:* & telum,
 quod vnum forte non effluserat, contorsit in
 eum, quod per medium pectus penetrauit ad ter-

34. *sed equus eius*] Bucephalus, Plutarchus p.
 699. plerosque tradere ait, non extemplo mortuum,
 sed postea sub vulnere curatione. Onesicrito auctore
 apud eundem Plutarchum non vulneribus, sed senio
 confectus occidit. C. 36. *imperii regnique*] *Tellierus*
 ita distinguit, vt *imperii* sit totius Indiae:
regni, partis quam Taxilis fratres tenebant. *Arrianus*
 V, 348 paulo aliter. non fratrem, sed ipsum Taxilem,
 veterem hostem ab Alexandro missum esse a Meroe,
 veterem amicum, vt fugam stiterit. C. *effluserat*]
 quod in fuga non amiserat. S. *contorsit in eum*]
 iactu tamen inani, quem effugit legatus equi pernicitate.
Arrian. C.

37 gum. Hoc ultimo virtutis opere edito fugere acrius coepit: sed elephante quoque, qui multa exceperat tela, deficiebat. itaque sistit fugam, 38 peditemque sequenti hosti obiecit. Iam Alexander consequutus erat, & pertinacia Pori cognita, vetabat resistens parci. Ergo vndique & in ipsum Porum tela congesta sunt: quis 39 tandem grauatus labi ex bellua coepit. Indus qui elephantum regebat, descendere eum rarus more solito elephantum procumbere iussit in genua; qui vt se submitit, ceteri quoque, ira enim instituti erant, demisere corpora in terram: ea res & Porum, & ceteros victoribus tradidit. 40 Rex spoliari corpus Pori, interemptum esse credens, iussit, & qui detraherent lorica vestemque concurrere; quum bellua dominum tueri & spoliantes coepit adperere, leuatumque corpus eius rursus dorso suo imponere. Ergo telis vndique obruitur, confossoque eo in vehiculum

37. *peditemque*] pedites, qui secum erant, Porus hostibus obiecit, vt ipse interea posset effugere. S. 39. *procumbere iussit*] Seneca epist. LXXXV. extr. *elephantum minimus Aethiops iubet subsidere in genua.* C. 40. *spoliare*] vestibus eum exuit. Quae significatio occurrit apud Petronium c. 49. Vide etiam Burmannum ad c. 30. S. *bellua dominum tueri*] Simile exemplum elephanti dominum suum defendentis tradit Aelianus Hist. Animal. III. 46. C. *confossoque eo*] Paradoxum est, quod de Pori hoc elephante tradit Philostratus in Vita Apollonii II. 9. quadringentos paene annos superfuisset, tandem captum id prodidisse torque aureo, dentibus aut cornibus circumdato, qui insculptum fuisset Alexandri victoris

Porus

Porus imponitur. Quem rex ut vidit adleuan-41
 tem oculos, non odio, sed miseratione commo-
 tus, *quae, malum*, inquit, *amentia te coëgit rerum*
mearum cognita fama, belli fortunam experiri;
quum Taxiles esset in deditos clementiae meae tam
propinquum tibi exemplum? At ille, *quoniam*,42
 inquit, *percontaris, respondebo ea libertate, quam*
interrogando fecisti. Neminem me fortio-rem esse
censebam. meas enim noueram vires, nondum
expertus tuas: fortio-rem esse te, belli docuit euen-
tus. Sed ne sic quidem parum felix sum, secundus
tibi. Rursus interrogatus *quid ipse victorem*43
statuere debere censeret; quod hic, inquit, *dies*
tibi suadet: quo expertus es, quam caduca felicitas
esset. Plus monendo profecit, quam si precatus44
 esset. quippe magnitudinem animi eius inter-
 ritam, ac ne fortunam quidem infractam, non
 misericordia modo, sed etiam honore excipere
 dignatus est. aegrum curauit haud secus, quam45
 si pro ipso pugnasset: confirmatum contra spem
 omnium in amicorum numerum recepit: mox
 donauit ampliore regno, quam tenuit. Nec46
 sane quidquam ingenium eius solidius, aut con-
 stantius habuit, quam admirationem verae lau-

nomen, C. 41. *quae, malum*] Conferri
 potest eiusdem argumenti oratio Aemilii Paulli ad
 regem Persen apud Liuium XLV. 8. C. 45.
donauit ampliore regno] supra pristinum regnum,
 quod inter Hydaspem & Acesinam erat; adiecit li-
 beras gentes ab Acesina ad Hypasin, & totius Indiae
 a se victae regem Porum constituit. *Arriqn. VI.*
 pag. 379. C.

dis & gloriae; simplicius tamen famam aestimabat in hoste, quam in ciue, quippe a suis credebat magnitudinem suam destrui posse, eandem clariorem fore, quo maiores fuissent, quos ipse vicisset.

46. aestimabat in hoste] Alexander enim virtutis etiam in hoste mirator erat IV. 6. 26. Et habet hoc virtus, ut viros fortes species eius & pulchritudo etiam in hoste posita delectet, Cic. in Pison. c. 32. C.

Q. CVRTII RVFI,
DE
REBVS GESTIS
ALEXANDRI REGIS
MACEDONVM,
LIBER IX.

CAP. I.

Deiusto Poro, in Indiam penetrat Alexander, variasque gentes & vrbes, quarum mores describuntur, sibi subiicit.

1. **A**LEXANDER tam memorabili victoria laetus, qua sibi orientis fines apertos esse censebat, Soli victimis caesis; milites quoque, quo promptioribus animis reliqua belli munia obirent, pro concione laudatos docuit, quidquid Indis virium fuisset, illa dimicatione profuturum. ceteram opimam praedam fore, celebratasque opes in ea regione eminere, quam pete-

rent.

*rent. proinde iam vilia & obsoleta esse spolia de
 Persis : gemmis margaritisque & auro atque
 ebore Macedoniam Graeciamque, non suas tan-
 tum domos repleturum. Auidi milites & pecu- 3
 niae & gloriae ; simul quia nunquam adfirmatio
 eius fefellerat eos, pollicentur operam : dimis-
 sisque cum bona spe, nauigia aedificari iubet, vt
 quum totam Asiam percurrissent, finem terrarum
 mare inuiseret. Multa materia naualis in pro- 4
 ximis montibus erat ; quam caedere adgressi,
 magnitudinis inusitatae reperere serpentes.
 Rhinocerotes quoque, rarum alibi animal, in 5
 iisdem montibus erant. ceterum hoc nomen
 belluis eis inditum a Graecis : sermonis eius
 ignari aliud lingua sua vsurpant. Rex duabus 6
 vrbibus conditis in vtraque fluminis, quod
 superauerat, ripa ; copiarum duces coronis &
 mille aureis singulos donat : ceteris quoque pro
 portione, aut gradus, quem in militia obtine-*

S. rarum alibi animal] quod ne Indiam quidem
 generare supra VIII. 9. 17. quamquam falso, dixerat.
 Alibi tamen perrarum, in ipsa quoque India : raro
 etiam aliunde aduectum in alias regiones, sicut vel
 Pompeii ludis, vt Plinius refert VIII. 20. vel vt habet
 Dio lib. LI. pag. 460. Augusti triumpho Aegyptiaco
 primum Romae visum fuit. C. *6. duabus vrbibus]*
 Nicaea & Bucephala. Arrianus V. pag. 359. C. *in vtraque fluminis ripa]* fluiui Hydaspis, in cuius
 citiore ripa Nicaeam ; in vltiore Bucephalam
 locant ; Ptolemaeus autem VII. 1. facit Bucephalam
 citiorem. Acesini, quod flumen vltra Hydaspem est,
 has vrbes adponit Diodorus 17. 95. quem videtur infra
 Curtius cap. III. num. 23. sequutus esse. C.

- bant; aut nauatae operae, honos habitus est.
- 7 Abifares, qui prius quam cum Poro dimicaretur, legatos ad Alexandrum miserat; rursus alios misit, pollicentes *omnia facturum quae imperasset, modo ne cogeretur corpus suum dedere; neque enim aut sine regio imperio victurum: aut regnaturum esse captiuum.* Cui Alexander nunciari iussit; *si grauairetur ad se venire, ipsum ad eum esse venturum.* Hinc Poro amneque superato ad interiora Indiae processit. Siluae erant prope in immensum spatium diffusae, procerisque & in eximiam altitudinem editis arboribus umbrosae.

7. prius legatos miserat] Nihil de hac priore legatione apud historicos reperire licet, quam infructuosam fuisse aut dolosam oportet, quia post illam auxilium venit, sero quamuis, regi Poro contra Alexandrum. C. *corpus suum dedere*] ad Alexandrum venire, seque subicere. Superba deditio & cum contentu coniuncta, vt Comii Atrebatii apud Hirtium B. Gall. cap. 48. C. 8. Poro amneque superato] Quidam libri *Poro amne superato*: sed nusquam amnis huius nominis adparet. Aliis *Porus* rex est, & amnis Hydaspes vel Acesines, vt *superandi* verbum semel positum distincte significet vincere regem, & traicere stuium. In his quidam *Acesine* pro *amne* substituunt. Quod vero dura verbi semel positi in tam diuerso sensu accommodatio est; Tellierus suspicatur, excidisse aliquid inter voces *Poro* & *amneque*, quod forte hunc in sensum suppleri possit: *Hinc Poro comite mouit ad Acesinem, amneque superato.* Nam comitem Porum habuisse, ex cap. 2, num. 5, constat. C. 9. *arboribus umbrosae*] De mirandis his circa Acesinem & Hyarotim arboribus Strabo XV. pag. 477. ex Aristobulo tradit, tantae magnitudinis esse, *ἡσδ' ἵφ' ἐνδ' ἀέρον μεσημβρίαν ἀνιζόμενης ἰσπίης πεντήκοντα,* plerique

plerique rami iustar ingentium stipitum flexi in
 humum, rursus, qua se curuauerant; erigebantur
 adeo, vt species esset non rami resurgenti; sed
 arboris ex sua radice generatae. Caeli tempe-
 ries salubris: quippe & vim solis vmbrae leuant:
 & aquae largae manant e fontibus. Ceterum
 hic quoque serpentium magna vis erat, squamis
 fulgorem auri reddentibus; virus haud vllum
 magis noxium est: quippe morsum praesens
 mors sequebatur; donec ab incolis remedium
 oblatum est. Hinc per deserta ventum est ad
 flumen Hyarotim. iunctum erat flumine nemus,
 opacum arboribus alibi inusitatis, agrestiumque
 pauonum multitudine frequens. Castris inde
 motis oppidum haud procul positum corona
 capit; obsidibusque acceptis stipendium impo-
 nit. Ad magnam deinde, vt in ea regione, vr-
 bem peruenit, non muro solum, sed etiam palude
 munitam. Ceterum barbari vehiculis inter se
 iunctis dimicaturi occurrerunt: aliis tela, aliis
 hastae, aliis secures erant: transliebantque in

*Sub vna arbore quinquaginta equites meridiari pos-
 sunt. C. 13. Hyarotim] Ita veteres Curtii libri
 vocant hoc flumen, & Strabo c. 1. ῥάριον. Recen-
 tius editi Hydraosen, quae ex Arriano adpellatio petita
 est. Misceatur Acehni suumque nomen amittit. Arrian.
 IV. 405. & Strab. cit. l. C. 14. oppidum haud
 procul positum] Pimprama nomine, secundis castris ab
 Hyarote fluuio, Arrian. V. pag. 358. C. corona
 capit] Repete dicta ad IV. 6. 10. C. Ad magnam
 urbem] cui Sangala nomen erat, in gente Cathacorum,
 Arrian, c. 1. C.*

vehicula

vehicula strenuo saltu, quum succurrere laboran-
 16 tibus suis vellent. Ac primo insolitum genus
 pugnae Macedonas terruit, quum eminus vulne-
 17 rantur: deinde spreto tam incondito auxilio,
 ab utroque latere vehiculis circumfusi repugnan-
 18 tes fodere coeperunt. Et vincula, quae conferta
 erant, iussit incidi, quo facilius singula circum-
 uenirentur. itaque VIII millibus suorum amis-
 19 sis in oppidum refugerunt. Postero die scalis
 vndique admotis muri occupantur; paucis per-
 nicitas saluti fuit, qui cognito urbis excidio pa-
 ludem transuere, & in vicina oppida ingentem
 intulere terrorem; inuictum exercitum, & deo-
 20 rum profecto aduenisse memorantes. Alexan-
 der ad vastandam eam regionem Perdicca cum
 expedita manu misso; partem copiarum Eumeni
 tradit, ut is quoque barbaros ad deditiorem com-
 pelleret: ipse ceteros ad urbem validam, in
 quam aliarum quoque confugerant incolae,
 21 oduxit. Oppidani missis, qui regem deprecarentur,
 nihilominus bellum parabant. quippe
 orta seditio in diuersa consilia diduxerat vulgum:
 alii omnia deditiorem potiora; quidam nullam
 22 opem in ipsis esse ducebant. Sed dum nihil in

16. insolitum genus pugnae] Sic Caesar VI. 34. de
 praelio cum essedariis Britannis: *perturbatis nostris
 nouitate pugnae. Nam subita conterrent hostes:
 visitata vilescunt.* Veget. lib. III. c. vlt. C. 17.
 in oppidum] Sangala, urbem magnam. C. 19. ad
 urbem validam] cuius nomen ignoratur. Valida
 autem munita est. Infra IX. 8, 16, *validissimam gentis
 urbem cuniculo cepit.* C.

siluicidax

com-

commune
 apertis po
 quamou
 tamen om
 admittit
 sibi daret
 nis adgn
 colloquium
 regis, lim
 tionem eo
 nodo ded
 Sopitius
 sapientia
 Genitos
 aluntque
 habitum
 aut aliqu
 runt, necar
 te ac nobili
 species; qu
 ius gentis
 corpus, a
 erant por
 armati
 24. Sa
 91. & Stral
 v'v'v'v'v'v'
 & hunc riu
 ere, tunc i
 quem si pate
 nus, tunc il
 iudicio. S.

commune consulitur, qui deditioi imminabant,
 apertis portis hostem recipiunt. Alexander 2
 quamquam belli auctoribus iure poterat irasci;
 tamen omnibus venia data, & obsidibus acceptis,
 ad proximam deinde urbem castra mouit. Ob-23
 fides ducebantur ante agmen. quos quum e-
 muris adgnouissent, utpote gentis eiusdem, in
 colloquium conuocauerunt. Illi clementiam
 regis, simulque vim commemorando, ad dedi-
 tionem eos compulere: ceterasque vrbes simili
 modo deditas in fidem accepit. Hinc in regnum 24
 Sopithis peruentum est. Gens, ut barbari,
 sapientia excellit, bonisque moribus regitur.
 Genitos liberos non parentum arbitrio tollunt 25
 aluntque; sed eorum quibus spectandi infantium
 habitum cura mandata est. Si quos insignes
 aut aliqua membrorum parte inutiles notaue-
 runt, necari iubent. Nuptiis coeunt, non gene- 26
 re ac nobilitate coniunctis, sed electa corporum
 specie; quia eadem aestimatur in liberis. Hu-27
 ius gentis oppidum, cui Alexander admouerat
 copias, ab ipso Sopithe obtinebatur. clausae
 erant portae; sed nulli in muris turribusque se
 armati ostendebant: dubitabantque Macedones,

24. *Sopithis*] vulgo *Sophitis*, sed Diodorus XVII.
 91. & Strabo XV. pag. 481. *Sopithen* vocant, ex recto
 ἡ Σοπιθῆς. C. 25. *tollunt*] Latina phrasis est,
 & hunc ritum respicit: Quando infans aliquis natus
 erat, tunc in conspectu patris in terram ponebatur:
 quem si pater pro suo agnoscebat, tollebat, si vero
 minus, tunc infans exponebatur. S. eorum] scil.
 arbitrio. S. *insignes*] a natura notatos. S.

deseruissentne urbem incolae, an fraude se occu-
 28lerent : quum subito patefacta porta, rex Indus
 cum duobus adultis filiis occurrit, multum inter
 29omnes barbaros eminens corporis specie. Vestis
 erat auro purpuraque distincta, quae etiam crura
 velabat : aureis soleis inferuerat gemmas : lacerti
 30quoque & brachia margaritis ornata erant : pen-
 debant ex auribus insignes candore & magnitu-
 dine lapilli : baculum aureum berylli distingue-
 bant ; quo tradito precatus, vt sospites acci-
 peret, se liberosque & gentem suam deditit.
 31Nobiles ad venandum canes in ea regione sunt,
 latratu abstinere dicuntur quum videre feram,
 32leonibus maxime infesti. Horum vim vt osten-
 deret Alexandro, in conspectu leonem eximiae
 magnitudinis iussit emitti, & iv omnino admo-
 ueri canes, qui celeriter occupauerunt feram ;
 quum ex iis, qui adsueuerant talibus ministeriis,
 vnus, canis leoni cum aliis inhaerentis crus
 auellere ; & quia non sequebatur, ferro ampu-
 33tare coepit : nec sic quidem pertinacia victa,
 rursus aliam partem secare institit ; & inde non
 segnus inhaerentem ferro subinde caedebat.
 Ille in vulnere ferae dentes moribundus quoque
 infixerat. Tantam in illis animalibus ad venan-
 dum cupiditatem ingenerasse naturam memo-

30. *sospites*] vulgo *sospes*, vt ad Alexandrum refe-
 ratur, incongruente sensu : aptius *sospites* pluraliter
 ad se liberosque, & hoc quidem ex mente & ingenio
 Freinshemii, quem sequutus est Tellierus. Blancardus
 autem suspicatur legendum esse, vt *sospes viueret*. in
 Arrian. p. 370. C.

riae proditum est. Equidem plura transcribo, 34
quam credo. nam nec adfirmare sustineo, de
quibus dubito; nec subducere quae accepi.
Relicto igitur Sopolthe in suo regno, ad sinuam 3
Hypasin processit, Hephæstione, qui diuersam
regionem subegerat, coniuncto. Phegelas 36
erat gentis proximae rex, qui popularibus suis
colere agros, vt adfuerant, iussis, Alexandro
cum donis occurrit; nihil quod imperare
detrectans.

34. *subducere*] non volo ea, quae ab aliis vel
audiui, vel in eorum scriptis legi, lectorem colare. S.
35. *ad sinuam Hypasin*] Hypasin etiam Plinius vocat
VI. 17 sed *Hypbasin* Diodorus XVII. 93. & Philo-
stratus vita Tyanei lib. III. ineunte, & *Hypanin* Strabo
XV. pag. 481. ac Dionysius Periegeta v. 1144. Ulti-
mus est eorum qui in Indum exonerantur, & terminus
expeditionis Alexandri. C. 36. *Phegelas*] de
varia scriptura & flexione huius nominis nihil atinet
proferre. C.

CAP. II.

*Gangaridas & Pharrasios aggressurus, milites, fati-
gatos, & bellum detrectantes, ad perseveran-
tiam hortatur.*

BIDVVM apud eum substitit rex: tertio 1
die annem superare decreuerat, transitu
difficilem, non spatium solum aquarum, sed etiam
faxis impeditum. Percontatus igitur Phegelam, 2

1. *annem*] Hypasia, de quo proxime actum
fuit. C.

quae

3 quae noscenda erant, xi dierum flumen per
 vastas solitudines iter esse cognoscit: excipere
 deinde Gangem, maximum totius Indiae flumi-
 num: vltiorem ripam colere gentes Ganga-
 ridas & Prasios; eorumque regem esse Aggram-
 mem, xx millibus equitum, ducentisque peditum
 4 obsidentem vias. ad haec quadrigarum duo
 millia trahere, & praecipuum terrorem ele-
 phantos, quos trium millium numerum explere
 5 dicebat. Incredibilia regi omnia videbantur,
 igitur Porum (nam cum eo erat) percontatur,
 6 an vera essent, quae dicerentur? Ille vires qui-
 dem gentis & regni haud falso iactari adfirmat;
 ceterum qui regnaret, non modo ignobilem esse,
 sed etiam vltimae sortis: quippe patrem eius,
 tonsorem vix diurno quaestu propulsantem fa-

3. *Gangaridas*] Ita etiam Plinius VI. 19. & Virgi-
 lius Georg. III. 27. vocat: Diodorus VII. 93. *Ganda-
 ridas*: Dionysius v. 1143. *Gargaridas*. Sed Plinii &
 Curtii scriptura tutior ceteris videtur, quia circa
 Gangem dicuntur habitasse, vt accolis ex suo amnis
 nomen concesserit. C. *Prasios*] Hoc nomen ex
 Strabone XV. 437 & Plinio VI. 19. Salmasius in Solin,
 p. 994. Harduinus in Plin. c. I. not. crit. 59. & Blan-
 cardus in Arrian. p. 366. praeferunt vulgato *Pharrasios*
 vel *Parrhasios*, quod videtur ex corrupto *Παρρασίων*
 Diodori c. 93. quem ad verbum heic Curtius expressit,
 originem habuisse. Ceterum Prasiri a metropoli Pa-
 libothra, quam Strabo quoque laudat, secundum
 Plinium etiam *Palibothri* adpellantur, nec vero in
 vltiori Gangis ripa fuerunt, vt Curtius putat; sed
 citiores inter Indum & Gangem, auctoribus Mela
 III. 7. & Plinio cit. cap. extremo. adde Harduinum
 dicto loco. C.

mem, propter habitum haud indecorum, cordi
 fuisse reginae. ab ea in propiorem eius, qui tum 7
 regnasset, amicitiae locum admotum, interfecto
 eo per insidias, sub specie tutelae liberum eius
 inuasisse regnum; necatisque pueris hunc, qui nunc
 regnat, generasse, inuisum vilemque popularibus,
 magis paternae fortunae, quam suae memorem.
 Adfirmatio Porì multiplicem animo regis in- 8
 iecerat curam. hostem belluasque spernebat:
 situm locorum, & vim fluminum extimescebat:
 relegatos in vltimum paene rerum humanarum 9
 persequi terminum, & eruere arduum videbatur.
 Rursus auaritia gloriae & insatiabilis cupido
 famae nihil inuium, nihil remotum videri sine-
 bat. & interdum dubitabat, an Macedones 10
 emensi spatia terrarum, in acie & in castris senes
 facti, per obiecta flumina, per tot naturae
 obstantes difficultates sequuturi essent. abun-
 dantes onustosque praeda, magis partâ frui velle,
 quam acquirendâ fatigari. Non idem sibi & 11
 militibus animi esse: se totius orbis imperium
 mente complexum, adhuc in operum suorum
 primordio stare: militem labore defatigatum,
 proximum quemque fructum finito tandem peri-
 culo expetere. Vicit ergo cupido rationem, & 12
 ad concionem vocatis militibus, ad hunc maxime

6. cordi fuisse] adamatum ab ea fuisse. S.
 7. magis paternae fortunae] qui humilem & ab-
 iectum potius, quam Regium habebat animum. S.
 9. rerum humanarum] mundi, in quo versantur
 homines. S.

modum differuit. Non ignoro milites, multa quae
terrere vos possent, ab incolis Indiae per hos dies
de industria esse iactata: sed non est improvisa

13 vobis mentientium vanitas. Sic Ciliciae fauces,
sic Mesopotamiae campos, Tigrim & Euphratem,
quorum alterum vado transuimus, alterum ponte;

14 terribilem fecerant Persae. *NUNQUAM* ad
liquidum fama perducitur: omnia illa tradente
maiora sunt vero. nostra quoque gloria, quum sit
ex solido; plus tamen habet nominis, quam operis.

15 Modo quis belluas offerentes moenium speciem;
quis Hydaspem amnem; quis cetera auditu ma-
iora quam vero, sustinere posse credebat? Olim
hercule fugissemus ex Asia, si nos fabulae debellare

13. vado transuimus, alterum ponte] vado
Tigrim, ponte Euphratem iuxta urbem Thapsicum.
Vide IV. 9. C. 14. Nunquam ad liquidum]
nunquam fama pura sine mendacio ad nos venit. C.
quum sit ex solido] quum sit solida & vera gloria,
non quae tantum iactatione nostra vel aliorum ica
singitur. S. 15. moenium speciem] Quidam
montium maluerunt, sicut Ammianus XXIV. 22 dixit
elephantos gradientium collium specie. Sed saluum
quoque moenium potest esse, saltim minus turgidum,
quam montium, quia Diodorus XVII. 87. de Pori exer-
citu, ad quem Alexander respexit, persimili modo
scripsit, ὅλη συνταξίς ὑπῆρχε πόλει παραπλήσιος τὴν
πρόσθιν. ἢ μὲν γὰρ τῶν ἐλεφάντων εἴσις τοῖς πύργοις,
οἱ δὲ ἀνὰ μέτρον τῶν τετυκῶται τοῖς μεσοπυργίοις
ὄψεσθαι tota acies urbi similis erat adpectu. nam
elephantorum statio turribus, & militum inter hos
exenti ordines muris adsimilabantur. C. si
nos fabulae debellare] Porcius Latro apud Senecam
Suas II. Arma nobis fabulae excutiunt? nunc nunc
pugnemus. C.

potu-

potuissent. Creditisne elephantorum greges ma-
 zores esse, quam vsquam armentorum sunt: quum
 & rarum sit animal; nec facile capiatur; mul-
 toque difficilius mitigetur. Atqui eadem vanitas
 copias peditum equitumque numerauit. nam 17
 flumen, quo latius fusum est, hoc placidius stagnat;
 quippe angustis ripis coërcita, & in angustiorem
 alueum elisa torrentes aquas inuehunt: contra
 spatio alvei segnior cursus est. Praeterea in ripa 18
 omne periculum est, vbi adplicantes nauigia hostis
 expectat. Ita quantumcumque flumen interue-
 nit, idem futurum discrimen est euadentium in
 terram. Sed omnia ista vera esse fingamus.
 Strumne vos magnitudo belluarum, an multitudo 19
 hostium terret? Quod pertinet ad elephantos,
 praesens habemus exemplum: in suos vehemen-
 tius, quam in nos incurrerunt, tam vasta corpora
 securibus falcibusque mutilata sunt. Quid au- 20
 tem interest totidem sint, quot Porus habuit, an
 tria millia? quum vno aut altero vulneratis ce-
 teros in fugam declinare videamus. inde paucos 21

16. vanitas numerauit] falsa fama auxit copias
 peditum equitumque supra modum. C. 17. nam
 flumen] Tellier tam flumen, quod aptum prolepsi: sed
 aptius vulgatum nam cum voce eadem, quae praecessit,
 cohaeret. C. coërcita] subaudi flumina. S.
 20. totidem sint] verum totidem sint. Consuetu
 ellipsis. C. 21. inde] Ego potius legendum
 puto Indi, ita vt Alexander aliquam comparisonem
 instituat, inter paucitatem elephantorum, quos Porus
 Indorum rex habebat & inter magnam eorum multitu-
 dinem quae erat apud Gangaridas: hoc modo: Indi
 pauciores habebant elephantos, & eos vix commode
 quoque

quoque incommode regunt : congregata vero tot
 millia ipsa se elident , ubi nec stare , nec fugere
 potuerint inhabiles vastorum corporum moles.
 Equidem sic animalia ista contempsi , ut quum
 haberem , ipse non opposuerim ; satis gnarus , plus
 22 suis , quam hostibus periculi inferre . At enim
 equitum pediumque multitudo vos commouet !
 cum paucis enim pugnare soliti estis , & nunc
 23 primam inconditam sustinebitis turbam . Testis
 aduersus multitudinem inuicti Macedonum robo-
 ris Granicus amnis ; & Cilicia inundata cruore
 Persarum ; & Arbela , cuius campi deuictorum
 24 nobis ossibus strati sunt . Sero hostium legiones
 numerare coepistis ; postquam solitudinem in Asia
 vincendo fecistis ; quum per Hellespontum nauig-
 aremus , de paucitate nostra cogitandum fuit .
 nunc nos Scythae sequuntur ; Bactriana auxilia
 praesto sunt ; Dahae Sogdianique inter nos mili-
 25 tant . Nec tamen illi turbae confido . Vestras
 manus intueor ; Vestram virtutem rerum , quas

regere poterant ; nam ipsi elephanti suorum aciem
 contriuerunt : quid putatis futurum esse in tanta
 multitudine apud Gangaridas . S. vastorum
 corporum moles] eadem VIII. 13. 10. C. non op-
 posuerim] hostibus scilicet in proelio . S. plus
 suis quam hostibus] Vide VIII. 14. 16. C. 22. cum
 paucis pugnare] Ironia . C. 24. numerare]
 multitudinem earum expendere , & extimescere . S.
 25. Nec tamen illi turbae confido] Huc pertinent ,
 quae IV. 6. extremo dixerat : deuictarum gentium
 militi minor , quam domestico , fides habebatur , & ex
 Scytharum oratione VII. 8. quos reiceris , amicos tibi
 esse caue credas . C.

gesturus

gesturus sum, eadem praedemque habeo. quam-
 diu vobiscum in acie stabo, nec meos nec hostium
 exercitus numerauero; vos modo animos mihi
 plenos alacritatis ac fiduciae adhibete. Non in 26
 limine operum laborumque nostrorum; sed in
 exitu stamus: peruenimus ad solis ortum & oce-
 anum, nisi obstat ignauia: inde victores perdo-
 mito sine terrarum reuertemur in patriam. Noli-
 te, quod pigri agricolae faciunt, maturos fructus
 per inertiam amittere e manibus. Maiora sunt 27
 periculis praemia; diues eadem, & imbellis est
 regio. itaque non tam ad gloriam vos duco, quam
 ad praedam. digni estis, qui opes, quas illud
 mare littoribus inuehit, referatis in patriam:
 digni, qui nihil inexpertum, nihil metu omis-
 sum relinquatis. Per vos gloriamque vestram, qua 28
 humanum fastigium exceditis; perque & mea in
 vos, & in me vestra merita, quibus inuicti contem-
 dimus; oro quaesoque, ne humanarum rerum
 terminos adeuntem alumnium commilitonemque
 vestrum, ne dicam regem, deseratis. Cetera vobis 29
 imperaui; hoc vnum debiturus sum. Et is vero

28. alumnium commilitonemque] Blanda adpel-
 latio, cuius multa in Romana historia exempla prostant,
 vt Caesaris, *Sueton. cap. 67.* Augusti ante finem ciui-
 lium bellorum, *idem cap. 25.* Pisonis, *Tacit. Hist. l. 29.*
 Othonis, *ibidem c. 37.* Agricolae, *idem c. 33. in vita:*
 adeo vt Marcus Commodum saepius commilitonem in
 exercitus gratiam, quam filium adpellarit, *Herodian.*
l. 5. & Antonius Caracalla se commilitonem, quam
 principem a militibus dici maluerit, vel simulauerit
 male, *idem IV. 7. C.*

Z

rogo,

rogo, qui nihil umquam vobis praecepi, quin primus me periculis obtulerim: qui saepe aciem clypeo meo texti. ne infregeritis in manibus meis palmam, qua Herculem Liberumque Patrem, si
 30 invidia abfuerit, acquabo. Date hoc precibus meis, & tandem obstinatum silentium rumpite. Vbi est ille clamor alacritatis vestrae index? Vbi ille meorum Macedonum vultus? Non agnosco vos milites; nec agnosci videor a vobis. Surdas iam dudum aures pulso, auersos animos & infractos
 31 excitare conor. Quumque illi in terram dimissis capitibus tacere perseverarent; Nescio quid, inquit, imprudens in vos deliqui, quod me ne intueri quidem vultis! in solitudine mihi videor
 32 esse. nemo respondet; nemo saltem negat. Quos alloquor? quid autem postulo? vestram gloriam & magnitudinem vindicamus. Vbi sunt illi, quorum certamen paulo ante vidi contententium, qui potissimum vulnerati regis corpus exciperent?
 33 desertus, destitutus sum, hostibus deditus. Sec

29. infregeritis palmam] Palma, quae victoriae signum est, pro ipsa victoria ponitur. Sensus: ne victoriam, quam fere in manibus habeo, mihi eripiatis. S. 30. Date hoc] Concedite hoc precibus meis: vel facite propter preces meas. S. alacritatis index] vt supra V. 13. 5. VIII. 11. 8 & inferius IX. 4. 23. C. 31. nescio quid] hoc est aliquid. Ovidius I. Trist. V. mea nescio quis in bona venturus fuit, id est aliquis. Terentius Heaut. II. 2. nescio quid mihi animus praesagit mali. C. im- prudens] inscius, es ist mir nicht wissend, daß ich euch etwas zuwider gethan. S.

Solus

solus quoque ire perseverabo. obiicite me fluminibus & belluis & illis gentibus, quarum nomina horretis. inueniam qui desertum a vobis sequantur; Scythae Bactrianique erunt mecum; hostes paullo ante, nunc milites nostri. Mori praestat, 34 quam precario imperatorem esse. ite reduces domos; ite deserto rege ouantes. Ego a vobis desperatae victoriae aut honestae morti locum inueniam.

34. *procario imperatorem esse] precibus emendicatum imperium tenere. adde IV. 7. 1. C.*

CAP. III.

Coenus, militum nomine, Alexandro respondet: & paullo post morbo extinguitur.

NE sic quidem vlli militum vox exprimi potuit. expectabant vt duces principesque ad regem perferrent, vulneribus & continuo labore militiae fatigatos non detrectare munia, sed sustinere non posse. Ceterum illi metu adtoniti in terram ora defixerant. Ergo primo fremitus sua sponte; deinde gemitus quoque oritur; paullatimque liberius dolor erigi coepit,

2. *dolor erigi coepit] Quod Quidius IV. Trist. III. 38. dixit*

Aufertur lacrimis egeriturque dolor, malunt quidam etiam hoc loco dolor egeri, quod vero Gronovius Obseru. H. 21. improbat, & Barthus Aduers. XXVIII. 6. inter vtrumque diuersitatem sensus haud exiguum esse argumentis ostendit. Heinsius tamen ad

manantibus lacrimis, adeo vt rex, ira in misericordiam versa, ne ipse quidem, quamquam
 3 cuperet, temperare oculis potuerit. Tandem vniuersa concione effusus flente, Coenus ausus est contantibus ceteris, propius tribunal accedere; significans se loqui velle. Quem vt videre milites detrahentem galeam capiti (ita enim regem adloqui mos est) hortari coeperunt, vt
 5 caussam exercitus ageret. Tum Coenus: *Dii prohibeant, inquit, a nobis impias mentes; & profecto prohibent. Idem animus est tuis, qui fuit semper, ire quo iusseris, pugnare, periclitari, sanguine nostro commendare posteritati tuum nomen. Proinde si perseueras, inermes quoque & nudi & exsanguis, utcumque tibi cordi est, sequimur vel anteceditimus. Sed si audire vis non fictas tuorum militum voces, verum necessitate vltima expressas; praebere, quaeso, propitias aures imperium atque auspiciam tuam constantissime sequiis, & quocumque pergis sequuturis. Vicisti rex magnitudine rerum non hostes modo, sed etiam milites quidquid mortalitas capere poterat, impleuimus. emensis maria terrasque melius nobis, quam incolis omnia nota sunt. paene in vltimo
 8 mundi sine consistimus. In alium orbem paras ire, & Indiam quaeris Indis quoque ignotam:*

Sapph. Ouidian. v. 113. de hac Curtii emendatione, non ausum, inquit, damnare, si veterum librorum nitatur auctoritate. C. 3. contantibus] cunctantibus, moras agentibus. S. 7. quidquid mortalitas capere] quodcumque possibile erat homini mortali. S.

inter

inter feras serpentesque degentes eruere & latebris
 & cubilibus suis expetis, ut plura, quam sol videt,
 victoriâ lustres. Digna prorsus cogitatio animo 9
 tuo; sed altior nostro. Virtus enim tua semper in
 incremento erit; nostra vis in fine iam est. In-10
 tuere corpora exsanguia, tot perfossa vulneribus,
 tot cicatricibus putria. Iam tela hebetia sunt:
 iam arma deficiunt. Vestem Persicam induimus,
 quia domestica subuehi non potest. in externum
 degenerauimus cultum. Quoto cuique lorica est? 11
 quis equum habet? iube quaeri, quam multos
 serui ipsorum persequuti sint; quid cuique supersit
 ex praeda. OMNIVM victores, omnium
 inopes sumus. Nec luxuriâ laboramus, sed bello
 instrumenta belli consumpsimus. Hunc tu pul-12
 cherrimum exercitum nudum obiciēs belluis?
 quarum ut multitudinem augeant de industria
 barbari, magnum tamen esse numerum etiam ex
 mendacio intelligo. Quod si adhuc penetrare in 13
 Indiam certum est; regio a meridie minus vasta

8. plura quam sol videt] Plebeio more, vſitatis-
 ſimo tamen antiquis ſcriptoribus, haec dicta ſunt. vt
 notauimus ad IV. 14. 24. & ſub finem Geographiae
 Antiquae. C. 10. ſubuehi] veſtes Macedonicae
 propter nimiam a patria diſtantiã non poſſunt adue-
 hi. S. 11. quam multos] vult indigitare plero-
 rumque ſeruos occidiſſe in proelio, praedam ve-
 o propter nimis longa itinera eſſe conſumtam. S.
 12. belluis] elephantis. S. vt] licet, quam-
 nis. S. 13. certum eſt] decretum eſt, ſententia
 ſtat. Supra IV. 13. 9. palam luce adgredi certum eſt.
 Terentius Andr. II. 1. II. Omnia experiri certum eſt
 prius, quam perco. C.

est. qua subacta licebit decurrere in illud mare,
 quod rebus humanis terminum voluit esse natura.
 14 Cur circumitu petis gloriam, quae ad manum po-
 sita est? hic quoque occurrit Oceanus. nisi maus
 15 errare, peruenimus, quo tua fortuna ducit. Haec
 tecum, quam sine te cum his, loqui malui; non
 Et miremur circumstantis exercitus gratiam; sed
 Et vocem loquentium potius, quam Et gemitum
 16 murmurantium audires. Ut finem orationi
 Coenus imposuit, clamor undique cum ploratu
 oritur, regem, patrem, dominum, confusis ad-
 17 pellantium vocibus. Iamque & alii duces, prae-
 cipueque seniores, quibus ob aetatem & excusatio
 honestior erat, & auctoritas maior, eadem
 18 precabantur. Ille nec castigare obstinatos; nec
 mitigare poterat iratos. itaque inops consi-
 lii desiluit tribunali, claudique regiam iussit,
 omnibus praeter adsuetos, adire prohibitis.
 19 Biduum irae datum est; tertio die processit,
 erigique XII aras ex quadrato saxo, monumentum
 expeditionis suae; munimenta quoque castro-
 rum iussit extendi, cubiliaque amplioris formae,

16. et] postquam. S. 17. excusatio] ne
 scilicet, ob ingranscentem aetatem ulterius ad bellum
 cogerentur. S. 19. XII aras] quinquaginta
 cubitos altas, si fides Diodoro XVII. 95. habenda est.
 Philostratus Vita Apollonii lib. II. extremo tradit in-
 scriptas fuisse Patri Hammoni, Herculi fratri, Miner-
 nae Pronoeae, Ioni Olympio, Samothracibus, Cabiris,
 Indico Soli, & Apollini fratri. Aeneae columnae
 ibidem additum epigramma fuisse. Αλέξανδρος ἐνταῦθα
 469. C. cubilia amplioris formae] εἰσβάδας πεντα-
 πύχτες, quinque cubitorum strata. Diodor. c. l. C.

quam

quam pro Corporum habitu relinqui; vt speciem
 omnium augetet, posteritati fallax miraculum
 praeparans. Hinc repetens quae emensus erat, 20
 ad flumen Acesinem locat castra. Ibi forte
 Coenus morbo extinctus est. cuius morte
 ingemuit rex quidem; adiecit tamen, propter
 paucos dies longam orationem eum exorsum,
 tanquam solus Macedoniam visurus esset. Iam 21
 in aqua classis, quam aedificari iusserat, stabat.
 Inter haec Memnon ex Thracia in supplemen-
 tum equitum sex millia, praeter eos ab Harpalo
 peditum septem millia adduxerat; armaque
 xxv millia auro & argento caelata pertulerat,
 quis distributis vetera cremari iussit. Mille 22
 nauigiis aditurus Oceanum, discordes & vetera
 odia retractantes Porum & Taxilem, Indiae

speciem omnium] ararum, cibilium, castrorum;
 vt non opus sit cum Acidalio suspicari hominum, quod
 Diodorus c. l. dixerit voluisse Alexandrum ἀπολιπέιν
 σημεῖα μεγάλων ἀνδρῶν. C. *fallax miraculum*]
 Diodorus ibidem, ἡρωϊκῶν βελόμενος στρατοπέδους
 ποιήσασθαι, vt heroicam fecisse expeditionem memo-
 retur. C. 21. *in aqua*] in flumine Hydaspes,
 vbi aedificari classis coepta est, IX. 1. & ex quo naviga-
 tionem instituit. *Arrian. Ind. pag. 547. Strab. XV.*
pag. 482. Nec obstat, quod num. 20. ad flumen Ace-
 sinem habuisse castra dicatur. intericienda enim sunt,
 quae Curtius praetermisit Diodorum suum XVII. 95.
 sequutus, ab Acesine vsque ad Hydaspem regressum
 esse, *Arrian. V. extr.* quod etiam Strabo c. l. confir-
 mat, reuersionem regis factam esse ab Hypani siue Ty-
 pasi ἐπὶ τὸν ῥάσιπην καὶ τὸν νάυαθραμον, ad Hydaspem
 vbi nauale erat. C.

reges, firmata per adfinitatem gratia reliquit in
 suis regnis; summo in aedificanda classe ambo-
 23 rum studio vsus. Oppida quoque duo condidit,
 quorum alterum Nicaeum adpellauit, alterum
 Bucephalon, equi, quem amiserat, memoriae ac
 24 nomini dedicans urbem. Elephantis deinde, &
 impedimentis terra sequi iussis, secundo amne
 defluxit; quadraginta ferme stadia singulis
 diebus procedens, vt opportunis locis exponi
 subinde copiae possent.

23. oppida duo condidit] Quasi oblicus eorum
 esset, quae cap. I. n. 6. de his urbibus praedixerat;
 nunc integram earum historiam persequitur. Non
 autem hoc loco de conditu illarum scribendum erat,
 sed tantummodo de instauratione, postquam imbris
 & inundatione ruinas fecerant. Arrianus lib. V. ex-
 tremo: *traiecto Acesine ad Hydaspem reuertit, vt*
urbium Nicaeae & Bucephalae, ἵσαι πρὸς τῶν ὑβερῶν
καταστροφῶν ἦν, quaecunque partes ab imbris vi-
rium traxerant, militum opera instauraret. C.
Bucephalon] Variè urbis nomen inflexum reperitur,
Bucephale, Bucephala, utroque numero, Bucephaloia
& Bucephalia. Nostri ptois, Bucephalos iuuatur ab
Arriano, cuius in Periplo Maris Erythr. est ἡ βουκέφαλος
Ἀλεξάνδρου. C. 24 *secundo amne]* Hydaspes,
 non Acesine, vt nunt. 21. ex Strabone & Arriano contra
 Diodorum probauimus. C. *quadraginta stadia]*
 Exiguam iter pro defluentibus secundo amne & prono
 alueo; si *quadringenta* legas, vt Freinshemius conie-
 cturat, nimium erit pro pedestri exercitu, qui in ripa
 vtraque sequebatut, testibus Diodoro XVII. 96. & Arri-
 ano VI. p. 397. Nec de diurno huius navigationis cursu
 alius scriptor quidquam, atque ipse Diodorus, quem
 presse alias noster sequutus est, prodidit. C. 24.
exponi] dilatari, vt iusto maiores aliis viderentur,
 quam reuera erant. S.

CAP. IV.

*Sobiis, & aliis expugnatis, regionem Oxhydracorum
& Mallorum ingreditur. Oratione ad milites
habita, barbaros fugat, eorumque oppidum,
contento Demophoonte vate, obsidet.*

PERVENTVM erat in regionem, in qua
Hydaspes amnis Acesini committitur. Hinc
decurrit in fines Sobiorum. hi de exercitu
Herculis maiores suos esse commemorant, aegros
relictos esse; cepisse sedem, quam ipsi obtine-
bant. Pelles ferarum pro veste; clauae pro telo
erant: multaque etiam quum Graeci mores
exoleuissent, stirpis ostendebant vestigia. Hic
excensione facta CC & L stadia processit,
depopulatusque regionem, oppidum, caput eius,
corona cepit. XL peditum millia gens in ripa
fluminum opposuerat, quam amne superato in

1. *committitur*] coniungitur, commiscetur. S.
2. *Sobiorum*] Sibas vocant hanc gentem Strabo XV.
pag 482. & Arrianus Ind. p. 519. at Diodorus XVII. 96.
perdita sibilante littera ὕβους. C. 3. *telo*] instru-
mento, quo se tuebantur, alios autem infestabant. S.
4. *depopulatusque regionem*] non Sobiorum siue
Sibarum, quos deditione facta in fidem & amicitiam vt
Graecae originis homines, Alexander accepit: sed fini-
timae gentis Agalassensium. Diodor. XVII. cap. 96. C.
5. *gens in ripa*] gens eadem Agalassensis, non alia, vt
in libris quibusdam adiicitur. Consule Diodorum, ex
quo haec Curtii desumpta sunt. Abest etiam vox
alia ab olim impressis cura Erasmi, Brunonis & cete-
rorum, eademque nuper quoque abiicit Tellierus. C.
fluminum] Acesinis & Hydaspis iam in vnum alueum
Z 5 fugam

- fugam compulit, inclusosque mœnibus expugnat. puberes interfecti sunt, ceteri venierunt.
- 6 Alteram deinde urbem expugnare adortus, magnaue vi defendentium pulsus, multos Macedonum amisit. Sed quum in obsidione perseuerasset, oppidani desperata salute ignem subiecere testis, se quoque ac liberos coniugesque incendio cremant. Quod quum ipsi auerent, hostes exstinguerent, noua forma pugnae erat. delebant incolae urbem; hostes defendebant: adeo etiam naturae iura bellum in contrarium
- 8 mutat. Arx erat oppidi intacta, in qua praesidium dereliquit: ipse nauigio circumuectus est arcem. quippe III flumina tota India praeter Gangem maxima monumento arcis adplicant vndas. A septemtrione Indus adluit: a meridie
- 9 Acesines Hydaspis confunditur. Ceterum amnium coitus maritimis similes fluctus mouent, multoque ac turbido limo, quod aquarum concursu subinde turbatur, iter qua meant nauigia,

redactorum. *Freinsb.* Aut aliorum in mediterraneis, ad quos exsecensione facta peruentum est. *Tellier. C.*
 7. *naturae iura*] Gronouius ex codicibus, *natura vera*, hoc est, ipso interprete, *aequa vt verum* etiam Caesari B. G. lib. IV. 8. significat. Constanter tamen editi *iura. C.* 8. *intacta*] scil. *ab incendio. S.*
 8. *Acesines Hydaspis confunditur*] At vero dudum praeteruectus erat rex hos confluentes, vt ex principio huius capituli & Arriano constat. Neque alius auctoris est tam memorabilis trium maximorum fluminum ad vnam arcem concursus, praeter Diodorum XVII. 97. si modo noster illum penitus intellexit, quod dubita-
Freinshemius ad num. 15. C.

in tenuem alueum cogitur. Itaque quum crebri
 fluctus se inueherent, & nauium hinc proras,
 hinc latera pulsarent; subducere nautae coepe-
 runt. sed ministeria eorum hinc metu, hinc
 praerapida celeritate fluminum occupantur. In
 oculis duo maiora omnium nauigia submersa
 sunt; leuiora quum & ipsa nequirent regi, in
 ripam tamen innoxia expulsa sunt. Ipse rex
 in rapidissimos vortices incidit: quibus intorta
 nauis, obliqua, & gubernaculi impatiens age-
 batur. Iam vestem detraxerat corpori, proie-
 cturus semet in flumen; amicique vt exciperent
 eum, haud procul nabant. adparebatque anceps
 periculum tam nataturi, quam nauigare perseue-
 rantis. Ergo ingenti certamine concitant remos,
 quantaque vis humana esse poterat admota est,
 vt fluctus, qui se inuehebant, euerberarentur.
 Findi crederes vndas, & retro gurgites cedere.
 quibus tandem nauis erepta, non tamen ripae
 applicabatur, sed in proximum vadum inli-
 ditur. Cum amne bellum fuisse crederes. ergo
 aris pro numero fluminum positus, sacrificioque
 facto, xxx stadia processit. Inde ventum est in

10. *subducere*] Non aliam huic voci significatio-
 nem adtribuere possum, quam vt notet *sensim ducere*:
 quemadmodum *subridere*, *subiratum esse*, est *leniter*
ridere &c. Volebant ergo nautae prouidi esse, &
 nauigia sua sensim & leniter deuehere. S. II. *in*
oculis] *in omnium conspectu*. S. *nauigia sub-*
mersa] Hoc periculum ad Acelinis & Hydaspis con-
 fluentem pertinet, antequam Hyaroti aut Indo infun-
 duntur. *Arrian. VI. 386. C.*

regionem Oxydracarum Mallorumque, quos, alias bellare inter se solitos, tunc periculi societas iunxerat. Nonaginta millia iuniorum peditum in armis erant: praeter hos equitum x millia 16 nongentaeque quadrigae. At Macedones qui omni discrimine iam defunctos se esse crederant; postquam integrum bellum cum ferocissimis Indiae gentibus superesse cognouerunt, improviso metu territi, rursus seditiosis vocibus 17 regem increpare coeperunt. *Gangem amnem, Et quae ultra essent, coactos transmitters; non tamen finisse, sed mutasse bellum. Indomitis gentibus se obiectos, ut sanguine suo aperirent eum* 18 *Oceanum. Trahi extra sidera & solem, cogique adire, quae mortalium oculis natura subduxerit. Nouis idemtidem armis noues hostes existere. Quos ut omnes fundant fugentque quod praemium ipsos manere? caliginem ac tenebras, & perpetuam noctem profundo incubantem; repletum immanium belluarum gregibus fretum: immobiles*

17. *Gangem coactos transmitters*] At neque Hypasin, ne dicam Gangem, Macedones traiecerunt cap. 1. quin potius cessit metuentibus illis Ganges, c. 4. n. 20. Clareanus ergo mauult *coactum* Alexandrum *transmitters*, id est praetermittere, Raderus praemittit iubet non quidem Gangem. Vtrumque violentum Superest ut credamus vel Curtii vel librorum errore Gangem pro Indo scriptum esse. Adi Freinshem. & Felher. C. 18. *Trahi extra sidera*] Releges quae diximus ad VI. 14. 24. C. *caliginem tenebras*] Et hoc ex vulgi opinione, qua extra se sidera & lucem trahi credebant, si ultra terminos notos habitati orbis ducerentur. C.

Endas,

Indas, in quibus emoriens natura defecerit. Rex 19
 tion sua, sed militum sollicitudine anxius, conci-
 one aduocata, docet *imbelles esse, quos metuant.*
nihil deinde praeter has gentes obstare, quo minus
terrarum spatia emensi ad finem simul mundi labo-
rumque perueniant. Cessisse illis metuentibus 20
Gangem, & multitudinem nationum, quae ultra
annem essent: declinasse iter eo, ubi par gloria,
minus periculum esset. Iam prospicere se Ocea- 21
num: iam perflare ad ipsos auram maris, ne
inviderent sibi laudem quam peteret. Herculis
& Liberi Patris terminos transiuro illos regi suo,
paruo impendio immortalitatem famae duros.
paterentur se ex India redire, non fugere. Omnis 22
 multitudo, & maxime militaris, mobili impetu
 fertur. ita seditionis non remedia, quam princi-
 pia, maiora sunt. Non alias tam alacer clamor 23
 ab exercitu est redditus, iubentium duceret diis
 secundis, & aequaret gloria, quos aemularetur.
 Laetus his adclamationibus ad hostes protinus
 castra mouit. Validissimae Indorum gentes 24

19. *imbelles esse, quos*] eos, (Oxydracas & Mallos)
quos metuant, esse imbelles. S. 20. *cessisse*
Gangem] Alexandrum cessisse a proposito adeundi
 Gangem propter metum & sollicitudinem Macedo-
 num. C. 22. *Omnis multitudo*] Lilius XXXI. 34.
Nihil tam incertum, nec tam inaeestimabile est, quam
animi multitudinis. S. 23. *alacer clamor*] Vide
 IX. 2. 30. C. *diis secundis*] diis fauentibus. Nam
secundus idem est ac sequendus, quasi qui partes nostras
sequitur, & fauore suo prosequitur. S. *aequaret*
gloria] scilicet, eos, quos &c. S.

erant, & bellum impigre parabant; ducemque ex natione Oxydracarum spectatae virtutis elegerant. Qui sub radicibus montis castra posuit, lateque ignes, ut speciem multitudinis augetet, ostendit; clamore quoque ac sui moris ululatu idemdem adquiescentes Macedonas frustra terere conatus. Iam lux adparebat; quum rex fiduciae ac spei plenus alacres milites arma capere & exire in aciem iubet. Sed metune, an seditione oborta inter ipsos, subito profugerunt barbari. Certe anios montes & impeditos occupauerunt. 26 quorum agmen rex frustra persequitur, impedimenta cepit. Peruentum deinde est ad oppidum Oxydracarum, in quod plerique confugerant, haud maiore fiducia moenium, quam armorum. 27 Iam admouebat rex, quum vates monere eum coepit, ne committeret, aut certe differret obsidionem. vitae eius periculum ostendi. Rex

26. *impedimenta*] *die Bagage*, quia milites impedit, quo minus tam expedite iter suum profequi possint. S. *Oxydracarum*] Arrianus VI. pag. 298. auctor est, non in Oxydracis, ut plerique tradant, sed in Mallis, libera gente, hac clade adiectum esse Alexandrum. C. 27. *admouebat rex*] *subaudi exercitum ad urbem: vel etiam instrumenta & machinas.* S. *ne committeret obsidionem*] ne inchoaret, ut Aeneid. V. v. 113.

Et tuba commissos medios canit aggere ludos. commissos, id est inchoatos. Coniciebat Freinsheimius, forsitan legendum esse *ut omitteret*, aut suppressa coniunctione, *monere coepit, omitteret*: quod etiam Telligro non displicet. C.

Demo-

Demophoonta (is namque vates erat) intuens,
si quis, inquit, arti tuae intentum & exta spectan-
tem sic interpellet; non dubitem, quin incommodus
ac molestus videri tibi possit. Et quum ille ita 9
 profus futurum respondisset; *Censesne, inquit,*
tantas res, non pecudum fibras ante oculos habenti,
ullum esse maius impedimentum, quam vatem su-
perstitione captum? Nec diutius, quam respondit, 30
 moratus, admoueri iubet scalas: contantibusque
 ceteris euadit in murum. Angusta muri corona
 erat: non pinnae sicut alibi fastigium eius distin-
 xerant; sed perpetua lorica obducta, transitum
 sepserat. Itaque rex haerebat magis, quam stabat 31
 in margine, clypeo vndique incidentia tela pro-
 pulsans; nam vbique eminus ex turribus peteba-
 tur. Nec subire milites poterant, quia superna 32
 vi telorum obruebantur. tandem magnitudinem
 periculi pudor vicit: quippe cernebant conta-
 tionem suam dedisti hostibus regem. Sed festinando 33
 morabantur auxilia. nam dum pro se quisque
 certat euadere, onerare scalas; quis non suffi-
 cientibus deuoluti vnicam spem regis fefelle-
 runt. Stabat enim in conspectu tanti exercitus,
 velut in solitudine destitutus.

30. *Angusta muri corona*] summitas muri angusta
 erat, nec pinnis & ceteris interuallis, vt in aliis solebat,
 distincta. 6.

CAP. V.

Praecipiti saltu in Oxydracarum oppidum se immittens, grauiiter vulneratur, & fortissimis quibusdam ducibus desideratis, oppidoque expugnato, sibi suisque restituitur.

- 1 **I**AMQVE laeuam, qua clypeum ad ictus circumferebat, lassauerat; clamantibus amicis, vt ad ipsos desiliret, stabantque excepturi; quum ille rem ausus incredibilem atque inauditam, multoque magis ad famam temeritatis,
- 2 quam gloriae insignem. Namque in urbem hostium plenam praecipiti saltu semetipse immisit; quum vix sperare posset dimicantem certe, & non inultum esse moriturum: quippe antequam
- 3 adsurgeret, opprimi poterat, & capi viuus. Sed forte ita librauerat corpus, vt se pedibus exciperet: itaque stans inuit pugnam; & ne circumiri
- 4 posset, fortuna prouiderat. Vetus arbor, haud procul muro, ramos multa fronde vestitos velut de industria regem protegentes, obiecerat: huius spatioso stipiti corpus, ne circumiri posset, adplicuit; clypeo tela, quae ex aduerso ingerebantur,
- 5 excipiens. Nam quum vnum procul tot manus peterent; nemo tamen audebat propius accedere: missilia ramis plura, quam clypeo incidebant.

2. *Namque*] Superstitium & ineptum Freinshemio videtur *Namque*, & concinnior connexio verborum submoto hoc vocabulo. *C.* in urbem] in arcem, capta iam vrbe. *Arrian. c. l. C.* 3. *librauerat*] ex margine muri, in quo consistebat, intra ipsa moenia *prosiluerat.* *Librare* idem est, quod *iaculari.* *S.*

Pugna-

Pugnabat pro rege primum celebrati nominis 6
 fama : deinde desperatio , magnum ad honeste
 moriendum incitamentum. Sed quum subinde 7
 hostis adflueret, iam ingentem vim telorum ex-
 ceperat clypeo ; iam galeam saxa perfregerant ;
 iam continuo labore grauia genua succiderant.
 Itaque contemptim & incaute, qui proximi stete- 8
 rant, incurrerunt : e quibus duos gladio ita ex-
 cepit, vt ante ipsum exanimis procumberent.
 nec cuiquam deinde propius incessendi eum ani-
 mus fuit : procul iacula sagittasque mittebant.
 Ille ad omnes ictus expositus, aegre iam exce- 9
 ptum poplitibus corpus tuebatur ; donec Indus
 duorum cubitorum sagittam (namque Indis,
 vt antea diximus, huius magnitudinis sagittae
 erant) ita excussit, vt per thoracem paulum
 super latus dextrum infigeretur. Quo vulnere 10
 afflictus, magna vi sanguinis emicante, demisit
 arma moribundo similis, adeoque resolutus, vt
 ne ad vellendum quidem telum sufficeret dextra.
 Itaque ad exspoliandum corpus, qui vulneraue- 11
 rat, alacer gaudio adcurrit. quem vt iniicere
 corpori suo manus sensit, credo, vltimi dedecoris
 indignitate commotus ; linquentem reuocauit
 animum, & nudum hostis latus subiecto mucro-

7. succiderant] labare & deficere coeperant. S.
 9. super latus dextrum] Arrianus ex Ptolemaeo pag.
 396. Alexander βλάττει διὰ τῆ θώρακος ἐς τὸ στήθος
 τοξοδματὶ ὑπὲρ τῶν μαστῶν, supra mammam in pectore per
 thoracem vulneratur. C. 10. resolutus] lassus,
 fessus, vt supra notauimus. S.

- 12 ne haufit. Iacebant circa regem tria corpora
 procul fupentibus ceteris, ille vt, antequam vlti-
 mus fpiritus deficeret, dimicans iam extingue-
 13 retur, clypeo fe adleuare conatus eft: & post-
 quam ad connitendum nihil fupererat virium,
 dextra impendentes ramos complexus, tentabat
 adfurgere. Sed ne fic quidem potens corporis,
 rufus in genua procumbit, manu prouocans
 14 hostes, fi quis congredi auderet. Tandem
 Peuceftas per aliam oppidi partem deturbatis
 propugnatoribus muri veftigia perfequens regi
 15 fuperuenit. quo confpecto Alexander iam non
 vitae fuae, fed mortis folatium fuperueniffe
 ratus, clypeo fatigatum corpus excepit. Subit
 inde Timaeus: & paullo post Leonnatus: huic
 16 Ariftonus fuperuenit. Indi quoque quum intra
 moenia regem effe comperiffent, omiffis ceteris

14. per aliam oppidi partem] paullo aliter Arri-
 anus pag. 396. Interea Peuceftis, & Abreas, & Leon-
 natus, qui antequam fcala rumperetur, in murum
 euafierant, καταρτήσαντες κὰτ' ἄποδ, defiliunt acri-
 terque pro rege pugnant. C. 15. mortis folati-
 um] Mortis folatium eft, quodcumque fati acerbita-
 tem mitigare nobis potest, vt hoc loco amici prae-
 fentia: alibi focietas calamitoforum, omniumque
 inuoluta ruina, ficut Seneca dixit Quaeft. Nat. VI. 2.
 Si cadendum eft, cadam orbe concuffo non quia fas
 eft optare publicam cladem, fed quia ingens mortis
 folatium eft, terram quandoque videre mortalem.
 Etiam fpes voluntatis neque post fata immutandae.
 Quinctilianus Declam. CCCVIII. Neque aliud
 videtur folatium mortis, quam voluntas ultra mor-
 tem. C.

illuc

illuc concurrerunt; vrgebantque protegentes.
 ex quibus Timaeus multis aduerso corpore vul-
 neribus acceptis egregiaque edita pugna cecidit:
 Peucestas quoque tribus iaculis confossus non se 17
 tamen scuto, sed regem tuebatur: Leonnatus
 dum auide ruentes barbaros submouet, ceruice
 grauiiter ic̄ta semianimis procubuit ante regis
 pedes. Iam & Peucestas vulneribus fatigatus 18
 submiserat clypeum: in Aristono spes vltima
 haerebat. hic quoque grauiiter faucibus tantam
 vim hostium vltra sustinere non poterat. Inter 19
 haec ad Macedonas regem cecidisse fama perlata
 est. Terruisset alios, quod illos incitauit.
 namque periculi omnis immemores dolabris
 perfringere murum; & quā moliti erant aditum
 perfringere in urbem, Indosque plures fugientes
 quam congregi ausos ceciderunt. Non senibus, 20
 non infantibus parcitur: quisquis occurrerat, ab
 illo vulneratum regem esse credebant. tandem-
 que interneccione hostium iustae irae parentatum
 est. Ptolemaeum, qui postea regnauit, huic: 1
 pugnae adfuisse, auctor est Clitarchus & Timaeus.

18. *submiserat*] in terram demittebat: nam
 tantae vires illi iam non supererant, vt Regem amplius
 clypeo tueri potuerit. S. 20. *parentatum est*]
 Vide explicatum ad V. 6. 1. C. 21. *Clitarchus*
 & *Timagenes*] De vtroque simul Quinctilianus lib. X.
 c. 1. *Clitarchi probatur ingenium, fides infamatur.*
Longo post interuallo temporis natus Timagenes, vel
hoc est ipso probabilis, quod intermissam historias scri-
bendi industriam noua laude reparauit. Clitarchus
 autem comes fuit expeditionis Alexandri, quod volunt
 genes.

genes. Sed ipse, scilicet gloriae suae non refragatus, adfuisse se, missum in expeditionem memoriae tradidit. Tanta componentium vetustarum monumenta, vel securitas; vel par huic
 22 vitium, credulitas! Rege in tabernaculum relato, medici lignum hastae corpori infixum, ita ne spiculum moueretur, abscindunt. corpore deinde nudato animaduertunt hamos inesse telo; nec aliter id sine pernicie corporis extrahi posse,
 23 quam vt secando vulnus augerent. Ceterum ne secantes profluium sanguinis occuparet, verentur; quippe ingens telum adactum erat, & penetrasse in viscera videbatur. Critobulus, inter medicos artis eximia, sed in tanto periculo territus, manus admouere metuebat, ne in ipsius caput parum prosperae curationis recideret
 24 euentus. Lacrimantem eum ac metuentem, & sollicitudine propemodum exsanguem rex conspexerat. *Quid, inquit, quodue tempus exspectas, & non quam primum hoc dolore me saltem moriturum liberas? An times ne reus sis, quum insanabile vulnus acceperim?* At Critobulus tandem

probare ex Diodori Sic. II. 7. C. 22. lignum hastae] Blancardus in Arrian. VI. p. 397. describi vult sagittae pro hastae, vt tum noster antea num. 9. tum ceteri scriptores omnes Diodorus, Plutarchus, Arrianus, Iustinus adpellauerunt. C. 25. Critobulus] Critodemum Arrianus l. c. vocat: Critobulum laudat Plinius VII. 37. qui extracta Philippi regis oculo sagitta, citra deformitatem oris curauerit luminis orbitatem. C. 26. *Quid] quam rem. S. ne reus sis] antecedens pro consequente, pro puniaris. S.*

vel

vel finito, vel dissimulato metu hortari eum coepit, *Et se continendum praeberet, dum spiculum euelleret: etiam leuem corporis motum noxium fore.* Rex quum adfirmasset, nihil opus esse²⁸ iis, qui semet continerent; sicut praeceptum erat, sine motu praebeuit corpus. Igitur patefacto latius vulnere, & spiculo euulso, ingens vis sanguinis manare coepit; linquique animo rex, & caligine oculis offusa; veluti moribundus extendi. Quumque profluuium medicamentis²⁹ frustra inhiherent; clamor simul atque ploratus amicorum oritur, regem exspirasse credentium. Tandem constitit sanguis, paulatimque animum recepit, & circumstantes coepit agnoscere. Toto eo die ac nocte, quae sequuta est, armatus³⁰ exercitus regiam obsedit, confessus omnes vnus spiritu viuere. nec prius recesserunt, quam compertum est, somno paulisper adquiescere. hinc certio rem spem salutis eius in castra retulerunt.

27. *se continendum praeberet] se ab aliis contineri permitteret, ne inter euellendum se moueret. S.*

CAP. VI.

Ab amicis rogatus, ut saluti suae publicaeque parceret, generose respondet, in insituto suo de domando orbe perseverans.

REx septem diebus curato vulnere, nec dum¹ obducta cicatrice, quum audisset conuulsiſſe apud barbaros famam mortis suae; duobus nauigiis

nauigijs iunctis, statui in medium vndique conspicuum tabernaculum iussit, ex quo se ostenderet perisse credentibus. Conspectusque ab incolis spem hostium falso nuncio conceptam
 2 inhibuit. Secundo deinde amne defluxit, aliquantum interualli a cetera classe praecipiens, ne quies, corpori inualido adhuc necessaria,
 3 pulsus remorum impediretur. Quarto postquam nauigare coeperat, die, peruenit in regionem desertam quidem ab incolis; sed frumento & pecoribus abundantem. placuit is locus &
 4 ad suam, & ad militum requiem. Mos erat principibus amicorum, & custodibus corporis, excubare ante praetorium, quoties regi aduersa valetudo incidisset. hoc tum more quoque
 5 seruato vniuersi cubiculum eius intrant. Ille sollicitus, ne quid noui adferrent, quia simul venerant; percontatur, *num hostium recens nunciaretur aduentus.* At Craterus cui mandatum erat, vt amicorum preces perferret ad eum;
 6 *Credisne, inquit, aduentu magis hostium, vt iam in vallo confisterent: quam cura salutis tuae, vt*
 7 *nunc est tibi vilis, nos esse sollicitos. Quantalibet vis omnium gentium conspiret in nos; impleat armis virisque totum orbem; classibus maria*

1. *perisse credentibus*] iis qui credebant, se perisse. S. 2. *Secundo amne*] Hyarote siue Hydraote, in quem Hydaspes Acesini mixtus infunditur, & cum hoc tandem in Indum deferri. C. *praecipiens*] ante nauigans. S. 6. *vt iam in vallo*] quamuis iam castrorum nostrorum vallum perripissent. C.

confertat; inuicatas belluas inducat: tu nos
 praestabis inuictos. Sed quis deorum hoc Mace- 3
 doniae columen ac fidus diuturnum fore polliceri
 potest, quum tam auide manifestis periculis offeras
 corpus, oblitus tot ciuium animas trahere te in
 casum? quis enim tibi superstes aut optat esse, aut 9
 potest? eo peruenimus, auspiciam atque imperium
 sequuti tuum, unde, nisi te reduce, nulli ad
 penates suos iter est. Qui si adhuc de Persidis 10
 regno cum Dario dimicares; etsi nemo uellet,
 tamen ne admirari quidem posset tam promptae
 esse te ad omne discrimen, audaciae: nam *VBI*
PARIA sunt periculum, ac praemium; Et
 secundis rebus amplior fructus est, Et aduersis sola-
 rium maius. tuo uero capite ignobilem vicum emi, 11
 quis ferat non tuorum modo militum, sed illius
 etiam gentis barbarae ciuis, qui tuam magnitu-
 dinem nouit? Horret animus cogitatione rei, 12
 quam paullo ante uidimus. Eloqui timeo inuicti
 corporis spoliis inertissimos manus fuisse iniectu-
 ros, nisi te interceptum misericors in nos fortuna
 seruasset. Totidem proditores, totidem desertores
 sumus, quod te non potuimus persequi. Vniuersos 13
 licet milites ignominia notes; nemo recusabit
 luere id, quod ne admitteret, praestare non potuit.
 Patere nos quaeso alio modo esse viles tibi. Quo-

II. ignobilem vicum] Μετωικ. nam vrbs munita
 erat, eaque capta arx munitior restabat, quae in tantum
 regem periculum coniecit. Arrian. C. 13. igno-
 minia notes] adicias. Nam nota saepenumero pro
 ipsa ignominia accipitur. S,

cumque

14. *cumque iusseris, ibimus. Obscura bella, & ignobiles pugnas nobis deposcimus: temetipsum ad ea serua pericula, quae magnitudinem tuam capiunt. CITO gloria obsolescit in sordidis hostibus: nec quidquam indignius est, quam consumi*
15. *eam, ubi non possit ostendi. Eadem fere Ptolemaeus, & similia iis ceteri. iamque confusis vocibus eum orabant, ut tandem exsatiatae laudi modum faceret, ac saluti suae, id est, publicae*
16. *parceret. Grata erat regi pietas amicorum, itaque singulos familiarius amplexus confidere*
17. *iubet. altiusque sermone repetito, Vobis quidem, inquit, o fidiissimi piissimique ciuium atque amicorum, grates ago habeoque, non solum eo nomine, quod hodie salutem meam vestrae praepositis, sed quod a primordiis belli nullum erga me benevolentiae pignus atque indicium omisistis, adeo ut confitendum sit, nunquam mihi vitam meam fuisse tam caram, quam esse coepit, et vobis*
18. *diu frui possim. Ceterum non eadem est cogitatio eorum, qui pro me mori optant, & mea: qui quidem hanc benevolentiam vestram virtute meruisse non iudicio. Vos enim diuturnum fructum ex me, forsitan etiam perpetuum percipere cupitis:*

14. *Obscura bella*] ex quibus nulla ad nos redndat gloria. S. 16. *pietas amicorum*] adfectus ducum erga suum regem, adde dicta ad III. II. 8. C. 17. *piissimique*] Adi, si placet, Curas nostras Posteriores, quibus vsus huius verbi non antiquissimi vindicamus. C. *eo nomine*] eam ob rem. S.

ego me metior non aetatis spatio, sed gloriae. Licuit paternis opibus contento intra Macedoniae terminos per otium corporis expectare obscuram & ignobilem senectutem. Quamquam NE PIGRI quidem sibi fata disponunt: sed vnicum horum diuturnam vitam aestimantes saepe acerba mors occupat. Verum ego, qui non annos meos, sed victorias numero; si munera fortunae bene computo, diu vixi. Orsus a Macedonia imperium, Graeciam teneo: Thraciam, & Illyrios subegi; Triballis, Maedisque imperito: Asiam qua Hellesponto, qua rubro mari adluitur, possideo. iamque haud procul absom a fine mundi, quem aggressus, aliam naturam, alium orbem aperire

18. aetatis spatio] Ego meam fortunam metior non diuturnitate vitae, sed gloriae amplitudine. Tellier. C. 19. sibi fata disponunt] ne pigri quidem & timidi sua fata ita ordinare possunt, ut propterea longaeui sint, quia pericula fugiant. C. sed vnicum] sed eos, dum vitam diuturnam vnicum bonum aestimant saepe acerba &c. S. 20. Maedisque] Maedi Stephano gens Thraciae, Macedoniae vicina, unde Maedica praefectura dicitur Ptolemaeo III. 11. sed obscurior haec fuit, quam ut seorsim memoratam esse credi possit: etiam Thraciae, quae praecessit, mentione comprehensa. Itaque Freinshemio Moesis placet, cui Tellierus opponit, quod ita nec Triballi, ut pars Moesorum, memoari distincte potuissent. Verum clariores Triballi, quam Maedi, & digni bellorum gloria, ut ceteris Moesis non praeferrerentur modo, sed etiam opponerentur. C. a fine mundi] ab oceano, termino noti & habitabilis orbis. C. alium orbem] qui ultra oceanum situs est, quod ex Anaxarchi philosophia haussisse videtur. Flesse enim dicitur Alexander, quum

- 21 *mibi statui. Ex Asia in Europae terminos momento vnius horae transfui. Victor viriusque regionis post nonum regni mei, post vigesimum atque octauum aetatis annum; Videorne vobis in excolenda gloria, cui me vni deuoui, posse cessare? Ego vero non deero, & vbicumque pugnabo, in*
- 22 *theatro terrarum orbis esse me credam. Dabo nobilitatem ignobilibus locis: aperiam cunctis gentibus terras; quas natura longe submouerat. In his operibus exstingui me, si fors ita feret, pulchrum est: ea stirpe sum genitus, vt multam*
- 23 *prius, quam longam vitam debeam optare. Obsecro vos, cogitate nos peruenisse in terras, quibus feminae ob virtutem celeberrimum nomen est. quas vrbes Semiramis condidit? quas gentes rede-*

ex hoc infinitos mundos esse audiisset, e quibus nondum ipse vnum subegerit. *Plutarch. de animi tranquill. Verum itaque, quod Iuuenalis Satyr. X. v. 168. exprobrauit,*

Vnus Pellaso iuueni non sufficit orbis. C.

21. *Ex Asia in Europae] dum Iaxartem Tanaim esse ratus est, de quo errore pluribus verbis, neque semel ad librum VII. commentati sumus. C. in theatro terrarum orbis] putabo totum mundum me & meam virtutem adtendere & adspicere: ac proinde eo adnitar, vt famae quoque meae consulam. S.*

22. *Dabo nobilitatem] Ea loca, quae antea ignota & ignobilia fuerunt, quando a me capiuntur, vbique erunt nota. S. vt multam prius] Non diuinare licet, quid multam inter & longam vitam differentiae sit: dubium etiam, an satis latine multa vita dicatur. Quare coniecturatur Tellicus, post multam excidisse aliquid vt famam: malle ego gloriam. C. 23. Semiramis condidit] Sic vulgo creditum fuit auctore*

git in potestatem? quando opera molita est?
 Nondum feminam acquauimus gloria, & iam
 nos laudis satietas cepit? Dii faueant, maiora
 adhuc restant. Sed ita nostra erunt, quae non-24
 dum adtigimus; si NIHIL paruum duxerimus,
 in quo magnae gloriae locus est. Vos modo me ab
 intestina fraude, & domesticorum insidiis praestate
 securum: belli Martisque discrimen impavidus &
 subibo. Philippus in acie tutior, quam in theatro
 fuit: hostium manus saepe vitauit; suorum effu-
 gere non valuit. aliorum quoque regum exitus, si
 reputaueritis, PLURES a suis, quam ab hoste
 interemptos numerabitis. Ceterum quoniam-26
 olim rei agitatae in animo meo nunc promendae
 occasio oblata est; mihi maximus laborum atque
 operum meorum erit fructus, si Olympias mater
 immortalitati consecretur, quandocumque exce-
 serit vita. Si licuerit, ipse praestabo hoc: si me
 praeceperit fatum; vos mandasse mementote.
 Ac tum quidem amicos dimisit; ceterum per
 complures dies ibi statiuu habuit.

Ctesia. Vide supra ad V. 1. 24. C. 24. Nihil
 paruum duxerimus] Referri huc possunt, quae de ele-
 mentaria institutione Hieronymus epist. VII ad Lactan
 scripsit: Non sunt contemnenda, quasi parua, sine
 quibus magna constare non possunt. C. 25. quam
 in theatro] Occisus enim est, quum spectatum ludos
 iret, iuxta theatrum. Nepos in Reg. c. 2. C. 26.
 immortalitati consecretur] in diuarum numerum
 referatur. C. si me praeceperit fatum] si mors
 praeripuerit ante matrem. Praecipere enim proprie
 est antecapere. Florus III. 9. de rege Cypri: & ille
 quidem ad rei famam veneno fata praecepit, id praec-
 ocupauit. C. Aa 2 CAP.

CAP. VII.

Graecorum quorundam in Baëris defectio repressa. Dum Indorum legatos conuiuio excipit Alexander, inter Horratham & Dioxiippum, qui tandem imparibus armis certant, rixa oritur. Paulo post Dioxiippus, inimicorum calumniis ultra modum irritatus, semet ipsum interimit.

- 1 **H**AEC dum in India geruntur, Graeci milites in colonias a rege deducti circa Baëtra, orta inter ipsos seditione, defecerant; non tam Alexandro infensi, quam metu supplicii. Quippe occisis quibusdam popularium, qui validiores erant, arma spectare coeperunt; & Baëtriana arce, quae quasi negligentius adseruata erat, occupata, barbaros quoque in societatem
- 2 defectionis impulerant. Athenodorus erat princeps eorum, qui regis quoque nomen adsumperat; non tam imperii cupidine, quam in patriam reuertendi cum iis, qui auctoritatem
- 3 ipsius sequebantur. Huic Bicon quidam nati-

1. *circa Baëtra*] Monströse vulgo *Garabaëtra*. qualis vel vrbs vel regio nemini vnquam fuit audita. Ortelius primus vidit *circa Baëtra* legendum esse, quem ideo doctiores sequuti sunt, quia noster post paullo num. II. iisdem verbis vsus est, *Haec circa Baëtra & Scytharum terminos gesta*: & Diodorus XVII. 99. οἱ κατὰ τὴν Βακτριανὴν καὶ Σογδιανὴν κατοικισθέντες Ἕλληνες, *Graeci per Baëtrianam & Sogdianam in colonias distributi*. C. 2. *arma spectare*] bellum meditari. S. 3. *in patriam reuertendi*] subaudi cupidine. S. 4. *Bicon nationis eiusdem*] nationis Graecae. Quod vero *Bicon* Graecum nomen non est, coniciunt quidam, *Nicon* forte scriptum fuisse. C.

onis

onis eiusdem, sed ob aemulationem infestus,
 comparauit insidias; inuitatumque ad epulas
 per Boxum quemdam Macerianum in conuiuio
 occidit. Postero die concione aduocata Bicon 5
 vltro insidiatum sibi Athenodorum plerisque
 persuaserat: sed aliis suspecta fraus erat Biconis;
 & paulatim in plures coepit manare suspicio.
 Itaque Graeci milites arma capiunt, occisuri 6
 Biconem, si daretur occasio. ceterum principes
 eorum, iram multitudinis mitigauerunt. Prae- 7
 ter spem suam Bicon praesenti periculo ereptus,
 paullo post insidiatus auctoribus salutis suae est:
 cuius dolo cognito & ipsum comprehenderunt,
 & Boxum. Ceterum Boxum protinus placuit 8
 interfici: Biconem etiam per cruciatum necari.
 iamque corpori tormenta admouebantur; quum
 Graeci milites, incertum ob quam causam, lym-
 phatis similes ad arma discurrunt. Quorum 9
 fremitu exaudito, qui torquere Biconem iussi
 erant, omifere, veriti ne id facere tumultuan-
 tium vociferatione prohiberentur. Ille, sicut 10
 nudatus erat, peruenit ad Graecos; & misera-

Boxum Macerianum] Merae tenebrae in gentili
 nomine, geographis omnibus ignoto. Freinshemius
 ex litterarum ductu diuinat *Mauritanum*, quia *Boxus*
 simile Maurusio nomini videatur: sed potest etiam esse
 Persicum *Boxus*, vnde Telferus coniicit *Maratianum*
 legi posse, quam gentem Plinius VI. 16. cum aliis circa
 Caspium mare & Sogdianam sitis numerauit. C.
 7. *auctoris salutis suae*] qui eum ex periculo libe-
 rauerant. S. 8. *lymphatis*] vide supra IV. 12.
 14. C.

- bilis facies supplicio destinati in diuersum animos repente mutauit, dimittique eum iusserunt.
- 11 Hoc modo poenâ bis liberatus cum ceteris, quî colonias rege adtributas reliquerunt, reuertit in patriam. Haec circa Bactra & Scytharum terminos gesta. Interim regem duarum gentium, quibus ante dictum est, centum legati adeunt. Omnes eurrû uehebantur, eximia magnitudine corporum, decoro habitu, lineae vestes intextae
- 12 3auro, purpuraque distinctae. *Ei se dedere ipsos, vrbes agrosque referebant, per tot aetates inuisolatam libertatem illius primum fidei ditionique permissoiros. Deos sibi deditiois auctores, non metum; quippe intactis viribus ingum excipere.*
- 14 Rex consilio habito deditos in fidem accepit; stipendio, quod Arachosii vtraque natio pensabat, imposito. praeterea II millia & D equites imperat, & omnia obedienter a barbaris facta.
- 15 Inuitatis deinde ad epulas legatis gentium, regulisque, exornari conuiuium iussit. Centum aurei lecti modicis interuallis positi erant; lectis circumdederat aulaea, purpura auroque fulgentia; quidquid aut apud Persas vetere luxu, aut apud Macedonas noua immutatione corruptum

12. duarum gentium] Oxydracarum & Mallorum, & horum quidem ὑπολειπομένων, id est reliquorum Mallorum, ad quos obsidio regi fatalis non pertinuit. *Arrian, VI. p. 403.* illos enim ira Macedonum propter regem letaliter vulneratum fere exstirpauerat, *Curr. IV. 5. 20. C.* 15. aurei lecti] in quibus pro more istorum temporum discumbebant. S.

erat,

erat, confusis vtriusque gentis vitiis in illo conuiuio ostendens. Intererat epulis Dioxippus¹⁶ Atheniensis, pugil nobilis, & ob eximiam virtutem virium, regi pernotus & gratus. Inuidi malignique increpabant per seriam & ludum, *saginati corporis sequi inutilem belluam, quum ipsi proelium inirent, oleo madentem praeparare ventrem epulis.* Eadem igitur in conuiuio Hor¹⁷ ratas Macedo iam temulentus exprobrare ei coepit; & postulare, *ut, si vir esset, postero die secum ferro decerneret: regem tandem vel de sua temeritate, vel de illius ignavia iudicaturum.* Et¹⁸ a Dioxippo, contemptum militarem eludente ferociam, accepta conditio est. Ac postero die rex quum etiam acrius certamen exposcerent, quia detertere non poterat, destinata exsequi passus est. Ingens hic militum, inter quos¹⁹

16. *Dioxippus*] qui Pancratio & Olympia & Nemea vicerat, *Plin. XXXVI. 11.* Alexandrum in Asiam sequutus, *Athenæus VI. 13.* etiam, ut idem tradit, adulator, accitens vulnerato Homeri versum 340. *Ἠιάδος Ε.*

Ἰχθῆρ, δίος πέρ τε ῥέει μακάρεσσι θεοῖσιν. C.

saginati corporis] vt Iulianus XXI. 2. dixit *saginatæ corporis ex luxuria contrahere.* Nam, quod Hieronymus & Basiliius Ascer. quaest. XVII. τὸν ἐθλητὴν ἢ πολυταρῆα καὶ ἢ ἐυχροῖα χαρικπηρίζει. *C.* oleo

madentem] nam, quod notum est, athletæ & pugiles se oleo perungebant, ne in lucta ab aliis adprehendi possent Vide Cellarium paullo post n. 20. *C.* 17. *Horratas*] Corragum vocat Aelianus Var. Hist. X. 22. qui eandem quoque monomachiam memorat, *C.*

erant Graeci, qui Dioxippo studebant, conue-
nerat multitudo. Macedo iusta arma sumple-
rat; aereum clypeum, hastam, quam farissam
vocant, laeva tenens, dextra lanceam: gladioque
cinctus, velut cum pluribus simul dimicaturus.
20 Dioxippus oleo nitens, & coronatus, laeva puni-
ceum amiculum, dextra validum nodosumque
stipitem praeferebat. Ea ipsa res omnium ani-
mos exspectatione suspenderat: quippe armato
congregari nudum, dementia, non temeritas,
21 videbatur. Igitur Macedo haud dubius eminus
interfici posse, lanceam emisit; quam Dioxippus
quum exigua corporis declinatione vitasset;
antequam ille hastam transferret in dextram,
22 adsiluit, & stipite mediam eam fregit. Amisso
vtroque telo Macedo, gladium coeperat stringe-
re, quem occupatum complexu, pedibus repente
subductis Dioxippus arietavit in terram; erepto-

19. *studebant*] *fauebant*. Nota est formula, *studium partium* i. e. *inclinatio & fauor* in hanc vel illam partem. S. 20. *oleo nitens & coronatus*] *Oleum* membris corroborandis adhibebatur. Seneca epist. LXXX. *corpori* (athletarum) *multo cibo, multa potione opus est, multo oleo, longa denique opera*. Luctatores etiam, vt lubricos se antagonistas praebent, oleo se illinebant. Hieronymus in Hof. XIV. 7. *unguntur in agone certantes*. Adde Prudent. II. adv. Symmach. v. 516. & in Hamartig. v. 365. Corona signum victoriae erat, quam semel iterumque noster consequutus fuerat, vt num. 16. ex Plinio ostendimus. C. 21. *interfici posse*] sc. *Dioxippum*. S. 22. *arietavit*] prostravit, humi affixit. Nazarius Panegy. Constantini c.



que

que gladio pedem super ceruicem iacentis imposuit, stipitem intentans, elisurusque eo victum, ni prohibitus esset a rege. Tristis spectaculi²³ eventus, non Macedonibus modo, sed etiam Alexandro fuit; maxime quia barbari adfuerant: quippe celebratam Macedonum fortitudinem ad ludibrium recidisse verebatur. Hinc²⁴ ad criminationem inuidorum adaperatae sunt aures regis. & post paucos dies inter epulas aureum poculum ex composito subducitur; ministrique, quasi amisissent, quod amouerant, regem adeunt. SAEPE minus est constantiae in²⁵ rubore, quam in culpa. coniectum oculorum, quibus vt fur destinabatur, Dioxippus ferre non potuit: & quum excessisset conuiuio, litteris conscriptis, quae regi redderentur, ferro se interemit. Grauius mortem eius tulit rex,²⁶ existimans indignationis esse, non poenitentiae restem: vtique postquam falso infimulatum eum, nimium inuidorum gaudium ostendit.

rint. Translatio ab ariete desumpta vel animali, vel machina poliorcetica. Senecae etiam neutrale verbum est epist. CVII. *labaris oportet, & arietes: & cadas, & lassis.* C. *ni prohibitus esset*] Aelianus c. l. scribit interfecisse illum, ἀπέχευε. C. 24. *amouerant*] *clanculum subduxerant.* S. 25. *minus constantiae in rubore*] Rubor non est constans & perpetua nota malae conscientiae, sed potest etiam ex subita commotione & indignatione esse. C. *coniectum oculorum*] quum illi inter se de hoc furto locuti, Dioxippum adspicerent, oculisque & capite aduenerent, quod ille perpetrasset. S.

CAP. VIII.

Donis a legatis Indorum acceptis, Sauracas, Musicanos, Praestros, aliosque populos debellat: Ptolemaeo, venenata plaga accepta, curato ope cuiusdam herbae, cuius species in somnis Alexandro est oblata.

- 1 **I**NDORVM legati dimissi domos, paucis post diebus cum donis reuertuntur. trecenti erant equi, mille triginta currus, quos quadriugi equi ducebant, lineae vestis aliquantum, mille scuta Indica, & ferri candidi talenta
- 2 centum; leonesque rarae magnitudinis & tigres, vtrumque animal ad mansuetudinem domitum; lacertarum quoque ingentium pelles, & dorsa
- 3 testudinum. Cratero deinde imperat rex, haud procul amne, per quem erat ipse nauigaturus, copias duceret: eos autem, qui comitari eum solebant, imponit in naues, & in fines Mallorum
- 4 secundo amne deuehitur. Inde Sabracas adiit

1. ferri candidi] politis: vel etiam chalybis. S.
 2. lacertarum ingentium] In Nyfa enim, Indiae monte, lacertas in longitudinem XXIV. pedum reperi, auctor Plinius est VIII. 39. C. dorsa] alias domus vocantur. S.
 3. in fines Mallorum] At in horum fines iam cap. 4. num. 15. peruenerat. Sura qui late extendant, & nunc extremos illorum fines attingi existiment, quod nescio an ex mente sit Curtii, qui Oxydracis tribuit. quae secundum Arrianum sunt Mallorum. Nec tamen Arrianus sibi constat. Nam lib. VI. p. 392. Mallos ad Hydraotem fluium remouit: in Indic. pag. 515. Acesinem ait apud Mallos cum Indo committi, C.

validam Indiae gentem, quae populi, non regum imperio regebatur. sexaginta millia habebant, equitum sex millia, has copias currus quingenti sequebantur. tres duces spectatos virtute bellica elegerant. At qui in agris erant proximi flumini (frequentes autem vicos, maxime in ripa habebant) vt videre totum amnem, quàm prospici poterat, nauigiis constratum, & tot millium arma fulgentia; territi noua facie, deorum exercitum, & alium Liberum Patrem, celebre in illis gentibus nomen, aduentare credebant. Hinc militum clamor, hinc remorum pulsus, variaequae nautarum voces hortantium pauidas aures impleuerant. Ergo vniuersi ad eos, qui in armis erant, currunt, furere clamitantes, cum diis proelium inituros. nauigia non posse numerari, quae inuictos veherent. tantumque in exercitum suorum intulere terroris, vt legatos mitterent gentem dedituros. His in fidem acceptis, ad alias deinde gentes quarto die peruenit. Nihilo plus animi his fuit, quam ceteris fuerat. itaque oppido ibi condito, quod Alexandriam appellari iusserat, fines eorum, qui

5. in agris] in villis & vicis, vt noster se paullo post explicat. S. noua facie] nouo adpectu. S. 7. furere clamitantes] clamitantes eos furere, qui cum diis proelium inituri essent. S. inuictos] Macedonas scil. qui haecenus a nulla adhuc gente victi fuerant. S. 8. Alexandriam] ἡ πόλις μεγάλη τε ἕσπεδος καὶ ἐπιφανὴ ἐς ἀνθρώπους, quia sperauit populosam & claram fore, Arrian. c. I. Tantum enim magnis urbibus ex suo principes nomen dant, vt

- 9 Musicani adpellantur, intrauit. Hic de Teri-
olte satrape, quem Parapamisadis praefecerat,
iisdem arguentibus cognouit: multaue auare
ac superbe fecisse conuictum interfici iussit.
- 10 Oxathres praetor Bactrianorum, non absolutus
modo, sed etiam iure amplioris imperii donatus
est. Finibus Musicanis deinde in ditionem re-
11 dactis, vrbi eorum praesidium imposuit. Inde
Praestos & ipsam Indiae gentem peruentum est.
Oxycanus rex erat, qui se munitae vrbi cum
magna manu popularium incluserat. Hanc
Alexander tertio die quam coeperat obsidere,
12 expugnauit. Et Oxycanus, quum in arcem
confugisset, legatos de conditione deditiois
misit ad regem: sed antequam adirent eum, duae
turrets cum ingenti fragore prociderant, per qua-
rum ruinas Macedones euasere in arcem; quae
eapta Oxycanus cum paucis repugnans occi-
13 ditur. Diruta igitur arce, & omnibus captiuis
venundatis, Sabi regis fines ingressus est; mul-
tisque oppidis in fidem acceptis; validissimam
14 gentis urbem cuniculo cepit. Barbaris simile
monstri visum est rudibus militarium operum;

ex Augustatum & Caesarearum apud Romanos; Seleu-
ciarum & Antiochiarum exemplis apud Syros, & aliis
nominibus apud alias gentes adparet. C. 9. arguen-
tibus] incusantibus. S. 10. Oxathres] qui &
Oxartes & Oxyartes dicitur, pater Roxanes, Alexandri
uxoris. Vide infra X. 3. 11. & superius dicta ad VII. 4.
22. C. vrbi eorum] arci vrbis, quam Alexander
manuerat, Arrian. VI. p. 408. C. 11. & ipsum]
Praestos, quae ipsa etiam Indiae gens erat. S.

quippe

quippe in media ferme vrbe e terra exsistebant, nullo suffossi specus ante vestigio facto. Octo-15 ginta millia Indorum in ea regione caesa Clitarchus est auctor, multosque captiuos sub corona venisse. Rursus Musicanus defecerunt, ad quos 16 opprimendos missus est Pithon, qui captum principem gentis, eundemque defectionis auctorem adduxit ad regem. quo Alexander in crucem sublato, rursus amnem, in quo classem exspectare se iusserat, repetit. Quarto deinde die secundo 17 amne peruenit ad oppidum, qua iter in regnum erat Sabi. Nuper se ille dediderat, sed oppidani detrectabant imperium, & clauserant portas. Quorum paucitate contempta rex, quingentos 18 Agrianos moenia subire iusserat, & sensim recedentes elicere extra muros hostem; sequuturum profecto si fugere eos crederet. Agriani, sicut 19 imperatum erat, lacescito hoste subito terga

15. captiuos sub corona venisse] pro seruis & mancipiis publice vendi. Coelius Sabinus apud Gellium VII. 4. antiquitus mancipia, iure belli capta, coronis induta venibant. Cato ibidem: *ut populus potius ob rem bene gestam coronatus supplicatum eat, quam re male gesta coronatus veneat.* Hinc frequens & obuium Latinis scriptoribus, *sub corona vendere, sub corona venire*, quod vilis materiae corona captiuus imposita insigne fuit venditionis publicae. Exempla habent Caesar B. Gall. III. 16. Liuius V. 22. pr. XXIV. 42. extr. Tacitus XIII. 39. Florus IV. 12. 52. Iustinus VIII. 3. XI. 4. XXXIV. 2. C. 18. *moenia subire*] *ad moenia adpropinquare.* Nam *subire* semper dicitur, quando altiora loca transimus inferius. S.

vertunt; quos barbari effuse sequentes in alios, inter quos ipse rex erat, incidunt. Renouato ergo proelio ex tribus millibus barbarorum quingenti caesi sunt, mille capti, ceteri moenibus
 20 vrbis inclusi. Sed non vt prima specie laeta victoria, ita euentu quoque fuit: quippe barbari veneno tinxerant gladios. itaque faucii subinde expirabant; nec caussa tam strenuae mortis excogitari poterat a medicis, quum etiam leues
 21 plagae insanabiles essent. Barbari autem sperauerant incautum & temerarium regem excipi posse. & forte inter promptissimos dimicans
 22 intactus euaserat. Praecipue Ptolemaeus laeum humero, leuiter quidem faucius, sed maiore periculo quam vulnere adfectus, regis sollicitudinem in se conuerterat. Sanguine coniunctus erat, & quidam Philippo genitum esse credebant; certe
 23 pellice eius ortum constabat. Idem corporis custos, promptissimusque bellator; & pacis artibus quam militiae maior & clarior, modico ciuilique cultu, liberalis imprimis, adituque
 24 facilis, nihil ex fastu regio adsumpserat. Ob haec regi an popularibus carior esset, dubitari poterat, tum certe primum expertus suorum animos, adeo vt fortunam, in quam postea adscen-

22. *Philippo genitum esse*] Pausanias Atticis p. 5. εἴη οἱ μήτέρα ἔχουσαν ἐν γαστρὶ δοθῆναι γυναικῶν ὑπὸ Φιλίππου Λάγω, matrem eius gravidam a Philippo in matrimonium Lago datam esse. Vnde Lagi cognomen habuit. Curtio ergo & Pausaniae potius fides habenda, quam Iustino XIII. 4. 11. qui virtutis caussa ex gregario milite prouectum ab Alexandro tradit. C.

dit,

dit, in illo periculo Macedones ominati esse videntur. quippe non leuior illis Ptolemaei fuit 25 cura, quam regis: qui & proelio & sollicitudine fatigatus cum Ptolemaeo adfideret, lectum, in quo ipse adquiesceret, iussit inferri. In quem 26 vt se recepit, protinus altior insequutus est somnus. Ex quo excitatus per quietem vidisse se exponit speciem draconis oblatam herbam ferentis ore, quam veneni remedium esse monstrasset. colorem quoque herbae referebat, 27 agniturum si quis reperisset adfirmans. inuentamque deinde, quippe a multis erat requisita, vulneri imposuit: protinusque dolore finito, intra breue spatium cicatrix quoque obducta est. Barbaros vt prima spes fefellerat, se ipsos 28 vrbeque dediderunt. Hinc in proximam gentem Pataliam peruentum est. Rex erat Moeris, qui vrbe deserta in montes profugerat. Itaque 29 Alexander oppido potitur, agrosque populatur. Magnae inde praedae actae sunt pecorum armentorumque, magna vis reperta frumenti. Duci 30 bus deinde sumptis, amnis peritis, defluxit ad insulam medio ferme alueo enatam.

26. per quietem vidisse] Vide III. 3. 3. C. 28. Pataliam] quae insulam, Indi ostiis conclusam, incolit. Vrbs insulae primaria fuit *Patala* siue *Pattala*. Arrian. VI. pag. 410. seq. sita sub diuortio huius amnis. *Idem*. pag. 415. C. 30. amnis peritis] qui sciebant fluiui istius conditionem: vbi scil. nimis profundus esset, & vbi vado tranari posset. S. ad insulam medio alueo] Cap. 9. n. 8. alia insula medio amni sita describitur. Vera sit *Ciluta* Arriani pag. 414. non liquet. C.

CAP.

CAP. IX.

Cupidine visendi Oceani correptus, non sine periculis propter nautarum imperitiam, tandem votū sui compos redditur.

- 1 **I**BI diutius subsistere coactus, quia duces socordius adseruati profugerant, misit qui conquirerent alios; nec repertis, peruicax cupido incessit visendi Oceanum, adeundique terminos mundi, sine regionis peritis, fluminī ignoto caput suum, totque fortissimorum virorum salutem permittere. Nauigabant ergo omnium, per quae ferebantur, ignari, quantum inde abesset mare; quae gentes colerent; quam placidum amnis os, quam patiens longarum nauium esset, anceps & coeca aestimatio augurabatur. VNVM erat temeritatis solatium
- 3 perpetua felicitas. Iam cccc stadia processerant, quum gubernatores agnoscere ipsos auram maris, & haud procul videri sibi Oceanum
- 4 abesse, indicant regi. Laetus ille hortari nauticos coepit, *incumberent remis. adesse finem laboris omnibus votis expetitur. Iam nihil gloriae deesse, nihil ob stare virtuti, sine illo Martis discrimine; sine sanguine orbem terrae ab illis capi. Ne naturam quidem longius posse procedere. breui incognita, nisi immortalibus, esse*
- 5 *visuros.* Paucos tamen nauigio emisit in ripam,

2. os] ostium, ille locus, vbi fluius mari miscetur. S. 4. breui incognita] eos breui tempore ea visuros esse, quae omnibus hominibus sunt incognita, exceptis dijs immortalibus. S,

qui

qui agreſtes vagos exciperent ; e quibus certiora
 noſci poſſe ſperabat. illi ſcrutati omnia tugu-
 ria, tandem latentes reperere. Qui interrogati, 6
 quam procul abeſſet mare, reſponderunt, nullum
 ipſos mare, ne fama quidem accepiſſe ; caeterum
 tertio die peruenire poſſe ad aquam amarā, quae
 corrumpet dulcem. Intellectum eſt mare deſti- 7
 nari ab ignariſ naturae eius. Itaque ingenti
 alacritate nautici remigant, & proximo quoque
 die, quo propius ſpes admouebatur, creſcebat
 ardor animorum. tertio iam die mixtum flu-
 mini ſubibat mare, leui adhuc aeſtu confundente
 diſpares vndas. Tum aliam inſulam medio anni 8
 ſitam euecti paullo lentius, quia curſus aeſtu
 reuerberabatur, adplicant claſſem ; & ad com-
 meatus petendos diſcurrunt, ſecuri caſus eius, qui
 ſuperuenit ignariſ. Tertia ferme hora erat, 9
 quum ſtata vice Oceanus exaeſtuans inuehi coe-
 pit, & retro flumen vrgere. quod primo coer-
 citum, deinde vehementius pulſum, maiore im-
 petu aduerſum agebatur, quam torrentia praeci-
 piti alueo incurrunt. Ignota vulgo freti natura 10
 erat, monſtraque & irae deūm indicia cernere
 videbantur. Idemidem intumefcere mare, &
 in campos paullo ante ficcos deſcendere ſuper-

6. accepiſſe] audiuiſſe. S. 8. inſulam euecti]
 in inſulam euecti. Extreſmo capite, euectus os eius,
 id eſt in oſtium ; ſiue exitum fluminis in mare. C.
 ſecuri caſus eius] non ſolliciti de caſu iſto, qui ipſis
 neſcientibus ex improuiſo accidit. S. 9. Tertia
 ferme hora] tertia diei hora, ſiue a ſolis ortu. C.
 vulgo] Macedonum ſc. S.

fulum.

- 11 fufum. Iamque leuatis nauigijs, & tota claffe difperfa, qui expofiti erant, vndique ad naues trepidi & improuifo malo adtoniti recurrunt.
- 12 Sed in tumultu feftinatio quoque tarda eft. hi contis nauigia adpellebant; hi dum remos aptari
- 13 prohibebant, confederant. quidam enauigare properantes, fed non expectatis, qui fimul efle debebant, clauda & inhabilia nauigia languide moliebantur: aliae nauium inconfulte ruentes non receperant; pariterque & multitudo, &
- 14 paucitas feftinantes morabatur. Clamor hinc expectare, hinc ire iubentium, difsonaeque voces nusquam idem ac vnum tendentium, non oculorum modo vsum, fed etiam aurium abftulerant. Ne in gubernatoribus quidem quidquam opis erat, quorum nec exaudiri vox a tumultuantibus poterat; nec imperium a territis incom-
- 16 pofitisque feruari. Ergo confidi inter fe naues, abftergerique inuicem remi, & alii aliorum nauigia vrgere coeperunt. Crederes non vnus exercitus claffem vehi. fed duorum nauale iniffe
- 17 certamen. Incutiebantur puppibus prorae; premebantur a fequentibus, qui antecedentes turbauerant: iurgantium ira perueniebat etiam
- 18 ad manus. Iamque aestus totos circa flumen campos inundauerat, tumulis dumtaxat eminentibus, velut infulis paruis; in quos plerique tre-

13. *clauda & inhabilia*] in quibus remi & alia instrumenta non erant ad vsum aptata aut propter remigum absentiam adplicari non poterant. C. 18.
aestus] maris scil. b. e. tumor, S.

pidi

pidi omiffis nauigijs enare coeperunt. Disperfa 19
 classis partim in praealta aqua stabat, qua subse-
 derant valles; partim in vado haerebat; vtcum-
 que inaequale terrae fastigium occupauerant
 vndae: quum subito nouus, & pristino maior
 terror incutitur. Reciprocare coepit mare ma- 20
 gno tractu aquis in suum fretum recurrentibus;
 reddebatque terras paullo ante profundo salo
 mersas. Igitur destituta nauigia alia praecipi-
 tantur in proas; alia in latera procumbunt.
 Strati erant campi farcinis, armis, auulsarum
 tabularum remorumque fragmentis. Miles nec 21
 egredi in terram, nec in naues subsistere audebat;
 idemdem praesentibus grauiora, quae seque-
 rentur, exspectans. Vix quae perperiebantur,
 videre ipsos credebant, in sicco naufragia, in
 amni mare. Nec finis malorum. quippe aestum 22
 paullo post mare relaturum, quo nauigia adleua-
 rentur ignari, famem & vltima sibi met omi-
 nabantur. belluae quoque fluctibus destitutae
 terribiles vagabantur. Iamque nox adpetebat; 23
 & regem quoque desperatio salutis aegritudine

20. *Reciprocare*] reflueret, redire vnde venerat.
 Flotus II. 8. 9. *Euboeam insulam reciprocantibus*
aquis Euripus abscidit. Tellerius legit *reciprocari*.
 Linius XXVIII. 30. de nauis passivae; *credens quinque-*
remem rapido in freto deprehensam in aduersum
aestum reciprocari non posse. C. 21. *in naues*
 Debat dicere *in nauibus*, sed promiscuus huius prae-
 positionis vsus optimis auctoribus familiaris est: quod
 Vorkius saepius notauit ad Sulpicium Seuerum. S.
 22. *belluae fluctibus destitutae*] balacnae, ceti, pho-
 cae, Adi Plinium IX. 3. C.

adfe-

- adfecerat. non tamen inuictum animum curae obruunt, quin tota nocte praesideret in speculis, equitesque praemitteret ad os amnis, ut, quum mare rursus exaestuare sensissent, procederent.
- 24 Nauigia quoque lacerata refici, & euerfa fluctibus, erigi iubet, paratosque esse & intentos,
- 25 quum rursus mare terras inundasset. Tota ea nocte inter vigilias adhortationesque consumta, celeriter & equites ingenti cursu refugere; & sequutus est aestus. qui primo aquis leni tractu subeuntibus coepit leuare nauigia, mox totis
- 26 campis inundans etiam impulit classem. plaususque militum nauticorumque insperatam salutem immodico celebrantium gaudio, litoribus ripisque resonabat. unde tantum redisset subito mare; quo pridie refugisset; quaenam esset eiusdem elementi natura, modo discors, modo imperio temporum obnoxia mirabundi requirebant.
- 27 Rex quum ex eo, quod acciderat, coniectaret post solis ortum statum tempus esse; media nocte, ut aestum occuparet, cum paucis nauigiis
- 28 secundo amne defluxit. Euectusque os eius quadringenta stadia processit in mare tandem voti sui compos: praesidiibusque maris & locorum diis sacrificio facto, ad classem rediit.

23. *procederent*] procurrerent a mari terram versus, siue retrocederent. Sunt, qui etiam legi malint, *retrocederent*. C. 28. *Euectus os eius*] Videtur num. 8. huius cap. C. *sacrificio facto*] Tauros Neptuno caesos in mare proiecit cum aureis poculis & libanentis. *Arrian. VI. pag. 415. Diodor. XVII. 104. C.*

CAP. X.

Ab Oceano in Arabitarum Gedrosiorum & Indorum fines reuertitur; ubi cum fame & pestilentia luctatur exercitus. deinde liberatur, planeque restituitur. Inde sequutus est probrosus bacchantium lusus, supplicio Aspastis Satrapis cruentatus.

HINC aduersum flumen subiit classis, & 1
 altero die adpulsâ est haut procul lacu
 salso, cuius ignota natura plerosque decepit
 temere ingressos aquam. quippe scabies corpora
 inuasit, & contagium morbi etiam in alios
 vulgatum est: oleum remedio fuit. Leonnato 2
 deinde praemisso, vt puteos foderet, qua ter-
 restri itinere ducturus exercitum videbatur,
 quippe sicca erat regio; ipse cum copiis substitit,
 vernum tempus exspectans. Interim & vrbes
 portusque condit. Nearcho atque Onesicrito 3
 nauticae rei peritis imperauit, vt validissimas
 nauium deducerent in Oceanum, progressique,
 quoad tuto possent, naturam maris noscerent:
 vel Euphrate subire eos posse, quum reuerti ad
 se vellent. Iamque mitigata hieme, & nauibus, 4
 quae inutiles videbantur, crematis, terrâ ducebat
 exercitum. Nonis castris in regionem Arabi- 5
 tarum; inde totidem diebus in Gedrosiorum

2. *vrbes portusque*] Vrbes in hoc tractu conditae memorantur *Barce* Iustin. XII. 10. *Xylenopolis* Plin. VI. 23. Sed *portusque* pro vulgato *plerasque* suasis Freinshem. ex Arrian. VI. 415. & recepit Tellierus. C. 5. *Arabitarum*] al. *Abaritarum*: Blancardus in Arrian. pag. 420. *Arbitarum*. C.

regi-

- regionem peruentum est. Liber hic populus, consilio habito, dedit se ; nec quidquam deditis, praeter commeatus, imperatum est. Quinto hinc die venit ad flumen, Arabum incolae adpellant. Regio deserta & aquarum inops excipit ; quam emensus in Horitas transit. ibi maiorem exercitus partem Hephæstioni tradidit ; leuem armaturam cum Ptolemaeo Leonnatoque partitus est. Tria sinul agmina populabantur Indos ; magnaëque praedae actae sunt : maritimos Ptolemaeus ; ceteros ipse rex, & ab alia parte Leonnatus vrebant. In hac quoque regione urbem condidit, deductique sunt in eam Arachosii.
- 8 Hinc peruenit ad maritimos Indos. desertam vastamque regionem late tenent, ac ne cum finitimis quidem vlllo commercii iure miscentur.
- 9 Ipsa solitudo natura quoque immitia efferauit

6. *Arabum*] Plures vocant *Arabium* : Plinius IV. 3. *Arbin*, quod etiam nomen Straboni placet. C. 7. *urbem condidit*] Nimis in septentrionem adsurgunt, qui *Alexandriam Ariana* Strabonis, aut Stephani in *Arachotis* intelligunt. Longissimum enim a mari Macedonum iter non fuit. Quid? quod portu salubri haec Alexandria instructa fuit. Plinio teste VI. 23. ergo in maritima ora, non in Ariana aut Arachosii. In errorem induxit vox *Ariana* in vulgatis libris Plinii, pro qua Harduinus ex codicibus reposuit *Arganis*, nomen portus aut loci finitimi. E quibus cognoscere licet, esse *Alexandriam Oritarum* siue *Horitarum*, in loco magni vici & portu suo celebris, Rambaciae, *Arrian*. VI. p. 420. C. 8. *maritimos Indos*] Nemo Indos dixit, qui sunt cis Arabium fluuium. *Geetrosos*, aut *Ichthyophagos* vocasset verius. C.

ingenia : prominent vngues nunquam recisi ;
 comae hirsutae & intonsae sunt : tuguria con-10
 chis, & ceteris purgamentis maris instruunt.
 ferarum pellibus tecti, piscibus sole duratis, &
 maiorum quoque belluarum, quas fluctus eiicit,
 carne vescuntur. Consumptis igitur alimentis 11
 Macedones primo inopiam, deinde ad vltimum
 famem sentire coeperunt, radices palmarum,
 namque sola ea arbor gignitur, vbique rimantes.
 Sed quum haec quoque alimenta defecerant, 12
 iumenta caedere adgressi, ne equis quidem absti-
 nebant ; & quum deessent quae farcinas vehe-
 rent, spolia de hostibus, propter quae vltima ori-
 entis peragrauerant, cremabant incendio. Fa-13
 mem deinde pestilentia sequuta est : quippe insa-
 lubrium ciborum noui succi, ad hoc itineris la-
 bor, & aegritudo animi, vulgauerant morbos ; &
 nec manere sine clade, nec progredi poterant :
 manentes fames ; progressos acrior pestilentia
 vrgebat. Ergo strati erant campi paene pluribus 14
 semiuiuis, quam cadaueribus. Ac ne leuius qui-
 dem aegri sequi poterant : quippe agmen raptim
 agebatur, tantum singulis ad spem salutis ipsos
 proficere credentibus, quantum itineris festi-
 nando praeiperent. Igitur qui defecerant, 15

10. *piscibus sole duratis*] Hi sunt Strabonis *Ichthy-*
ophagi lib. XV. p. 495. ita dicti, quod τῶν ἰχθύων χρῆσ-
ται: καὶ αὐτοὶ καὶ θεσπιματα, *piscibus vescuntur tum ipsi,*
tum eorum pecora. C. 12. *defecerant*] *viribus*
scil. ut alios non admodum prompte sequi possent. S.
quam deessent] *subaudi iumenta, quas* Sc. S

NOTOS

notos ignotosque, ut adlenarentur, orabant. Sed nec iumenta erant, quibus excipi possent; & miles vix arma portabat, imminensque etiam ipsis facies mali ante oculos erat. Ergo saepius reuocati, ne respicere quidem suos sustinebant; **16** misericordia in formidinem versa. Illi relictis deos testes, sacra communia, regisque implorabant opem: quumque frustra surdas aures fatigaret, in rabiem desperatione versi, parem suo exitum, similesque ipsis amicos & contubernales **17** precabantur. Rex dolore simul ac pudore anxius, quia causa tantae cladis ipse esset; ad Phrathaphernen Parthorum satrapen misit, qui iuberet camelis cocta cibaria adferre: alios quoque finitimarum regionum praefectos certiores necessitate **18** suae fecit. Nec cessatum est ab his. Itaque fame duntaxat vindicatus exercitus, tandem in Gedrosiae fines perducitur. Omnium rerum sola fertilis regio est, in qua statua habuit, ut **19** vexatos milites quiete firmaret. Hic Leonnatis litteras accipit, conflixisse ipsum cum octo millibus peditum & quingentis equitibus Horitarum, prospero euentu. A Cratero quoque nuncius venit, Ozinem & Zariaspem nobiles Persas, defectionem molientes oppressos a se, in vinculis

17. Parthorum] Sed hi longius aberant: propiores Arii, Drangae, Arachosii C. **18. Gedrosiae**] propriae, ab Ichthyophagorum regione distinctae. **S. sola fertilis regio**] Gedrosiae late sumtae pars haec quae Carmaniam spectat, sola fertilis; orientales partes & Ichthyophagorum terra nimia sterilitate laborant. C.

esse. Praeposito igitur regioni Sibirytio (namque ²⁰
 Menon praefectus eius nuper interierat morbo)
 in Carmaniam ipse processit. Aspastes erat satra- ²¹
 pes gentis, suspectus res nouare voluisse, dum in
 India rex esset. Quem occurrentem dissulata ²²
 ira comiter adloquutus, dum exploraret quae
 delata erant, in eodem honore habuit. Quum
 Indiae praefecti, sicut imperatum erat, equorum,
 iumentorumque iugalium vim ingentem ex
 omni, quae sub imperio erat, regione misissent;
 quibus deerant ad impedimenta restituit. Arma ²³
 quoque ad pristinum refecta sunt cultum; quippe
 haud procul a Perfide aberant, non pacatâ modo,
 sed etiam opulentâ. Igitur, vt supra dictum est, ²⁴
 aemulatus Patris Liberi non gloriam solum, quam
 ex illis gentibus deportauerat; sed etiam famam
 (siue illud triumphus fuit ab eo primum institut-
 us, siue bacchantium lusus) statuit imitari, ani-
 mo super humanum fastigium elato. Vicos, per ²⁵
 quos iter erat, floribus coronisque sterni iubet:
 liminibus aedium crateras vino repletos, & alia

20. *in Carmaniam*] quae a Gedrosia in Persidem
 vergit. C. 22. *Indiae praefecti*] forsan Arianac
 & finitimarum regionum. India tum longius aberat,
 tum partim iam desererat. *Arrian. VI. pag. 431. C.*
ad impedimenta] ad sarcinas vehendas; sicut paullo
 ante num. 12. *quum deessent quae sarcinas veberent.*
 Vulgo negligunt *Ad*, quod recipi cupit Fricshemius,
 recepitque Tellierus. C. 24. *bacchantium lusus*]
 Luxuriosum hunc regressum, & debacchationem exer-
 citus, in dubium vocat Arrianus VI. pag. 432. quod fide
 dignissimi scriptores Ptolemaeus & Aristobulus non
 memorauerint. C.

eximiae magnitudinis vasa disponi : vehicula de-
 inde conſtrata, vt plures capere milites poſſent, in
 tabernaculorum modum ornari, alia candidis
 26 velis, alia veſte precioſa. Primi ibant amici &
 cohors regia, variis redimita floribus coronisque,
 alibi tubicinum cantus; alibi lyrae ſonus audie-
 batur: item in vehiculis pro copia cuiusque
 adornatis, comeſſabundus exercitus, armis quae
 maxime decora erant circumpendentibus. Ipfum
 conuiuasque currus vehebat, crateris aureis eius-
 demque materiae ingentibus poculis praegravis.
 27 Hoc modo per dies ſeptem bacchabundum
 agmen inceſſit; parta praeda, ſi quid victis ſaltem
 aduerſus comiſſantes animi fuiſſet: mille hercu-
 le, viri modo & ſobrii, ſeptem dierum crapula
 28 graues in ſuo triumpho, capere potuerunt. Sed
 fortuna, quae rebus famam preciumque conſtituit;
 hic quoque militiae probrum vertit in glori-
 am. Et praefens aetas, & poſteritas deinde
 mirata eſt, per gentes nondum fatiſ domitas
 inceſſiſſe temulentos, barbaris, quod temeritas
 29 erat, fiduciam eſſe credentibus. Hunc adparatum
 carnifex ſequebatur: quippe ſatrapes Aſpates, de
 30 quo ante dictum eſt, interfici iuſſus eſt. adeo nec
 luxuriae quidquam crudelitas; nec crudelitati
 luxuria obſtat.

27. *parta praeda*] parata. Virgil. eclog. III. 68.
parta meae Veneri ſunt munera,
parta, id eſt praeparata. Seruius. C. 29. de
quo ante dictum] num. 21. huius capit. C.

Q. CVRTII RVFI,
DE
REBVS GESTIS
ALEXANDRI REGIS
MACEDONVM,
LIBER X.

CAP. I.

Cleander & alii duces crudelitatis accusantur. Alexandri consilium de Occidentali Europae parte Iustranda: liberalitas erga Abisaris filium: & in Orsinem crudelitas.

ISDEM fere diebus Cleander & Sitalces, & cum Agathone Heracon superueniunt, qui Parmenionem iussu regis occiderant, quinque millia peditum cum equitibus mille. Sed & accusatores eos e prouincia, cui praefuerant, sequebantur; nec tot facinora, quot admiserant, compensare poterant caedis perquam gratae regi ministerio. Quippe quum omnia profana spoliassent; ne sacris quidem abstinerant: virginesque & principes feminarum stupra perpessae,

1. *Cleander, Sitalces, Heracon*] duces coarum, quae cum Parmenione in Media relictae fuerant. *Arrian. VI. 430. C.* *quinque millia*] supple cum his erant, aut simile. Hae reliquiae erant exercitus, qui sub Parmenione fuerat: maior eius pars iam dudum ad regem, quum in Arachosii esset, aduenerat. *VII. 3. 4. C.*

4 corporum ludibria dessebant. Inuisum Macedo-
 5 donum nomen auaritia eorum ac libido bar-
 6 baris fecerat. Inter omnes tamen eminebat
 Cleandri furor, qui nobilem virginem constu-
 pratam seruo suo pellicem dederat. Plerique
 amicorum Alexandri non tam criminum, quae
 palam obiciebantur, atrocitatem; quam memo-
 riam occisi per eos Parmenionis, quod tacitum
 prodesse reis apud regem poterat, intuebantur:
 laeti recidisse iram in irae ministros, NEC
 VLLAM potentiam scelere quaesitam cuiquam
 7 esse diurnam. Rex cognita causa pronuncia-
 uit *ab accusatoribus unum, & id maximum cri-*
men esse praeteritum, desperationem salutis suae,
nunquam enim talia ausuros, qui ipsum ex India
sospitem, aut optassent reuerti; aut credidissent
 8 *reuersurum.* Igitur hos quidem vinxit; DC
 autem militum, qui saeuitiae eorum ministri fue-
 9 rant, interfici iussit. Eodem die sumptum est
 supplicium de iis quoque, quos auctores defecti-
 10 onis Persarum Craterus adduxerat. Haud multo
 post Nearchus & Onesicritus, quos longius in
 11 Oceanum procedere iusserat, superueniunt. Nun-
 ciabant autem quaedam audita, alia comperta;

6. occisi per eos] VII. Cleandri in Parmenionis
 caede multa mentio. C. tacitum] tacite, latenter
 regis gratiam iis conseruare poterat. C. despera-
 tionem salutis suae] quod desperarint, regem ex India
 saluum rediturum esse. C. 8. hos quidem vinxit]
 secundum Arianum VI. p. 431. etiam ἀπέκτεινεv inter-
 fecit, quod firmare videtur Diodorus XVII. 106. &
 Iustinus XII. 10. 8. C.

insu-

insulam ostio amnis subiectam auro abundare; inopem equorum esse: singulos equos ab iis, qui ex continenti traicere auderent, singulis talentis emi. Plenum esse belluarum mare; aestu secundo eas¹² ferri magnarum nauium corpora aequantes: truci cantu deterritas sequi classem: cum magno aequoris strepitu. Velut demersa nauigia, subisse aquas. Cetera incolis crediderant: inter quae rubrum¹³ mare non a colore vndarum, vt plerique crederent, sed ab Erythra rege adpellari. Esse haud procul a¹⁴ continenti insulam palmis frequentibus consitam; & in medio fere nemore columnam eminere, Erythrae regis monumentum, litteris gentis eius scriptam. Adiciebant, nauigia, quae lixas merca-¹⁵ toresque vexissent, samam auri sequutis gubernatoribus in insulam esse transmissa, nec deinde ab his postea visa. Rex cognoscendi plura cupidine¹⁶

11. insulam ostio amnis subiectam] amnis Indi, ex quo apud Patalam vibem ab rege discesserant, Plin. VI. 23. Nomen Insulae Chryse dicitur eidem Plinio VI. 21. & Melae III. 7. quamquam n hil de ea hodie notum est. C. 12. truci cantu] incondito clamore, etiam tubae sonitu, vt est apud Arrianum Ind. pag. 567. C. 13. ab Erythra rege] vide VIII. 9. 14. C. 14. a continenti insulam] a continenti Carmanine insulam Ogyrin, vt vocant Plinius VIII. 18. Mela III. 8 Dionysius Periegeta v. 606. Oaractam Arrianus Ind. p 579. alii aliter adpellant. C. 15 in insulam] diuersam ab Ozyri sine Oaracta, soli sacram Nosolam nomine. de qua Arrianus Ind. pag. 569. tradit, a nemine mortalium adiri posse, si quis vero imprudens eo feratur *γινεσθαι ἀφάρτα*, non amplius cerni. C.

accensus, rursus eos terram legere iubet, donec ad Euphraten adpellerent classem; inde aduerso
 17 anne Babylonem subituros. Ipse animo infinita
 complexus, statuerat omni ad orientem maritima
 regione perdomita, ex Syria petere Africam Car-
 thagini insensus: inde Numidiaie solitudinibus
 peragratis cursum Gadis dirigere. ibi namque
 18 columnam Herculis esse fama vulgauerat. Hispanias
 deinde, quas Iberiam Graeci a flumine Ibero
 vocabant, adire; & praeteruehi Alpes, Italiaeque

16. *terram legere] iuxta litus nauigare.* Virgilius Aen. III, v. 292.

Litoraue Epiri legimus.

legimus, id est praeterimus, vt Seruius ad v. 127. eiusdem libri interpretatur. C. 17. *Carthagini insensus]* vide IV. 4. 18. C. *Gadis]* Ita libri antiqua forma, id est *Gades* siue *Gadeis*. De situ & origine urbis noster IV. 4. 20. C. *columnam Herculis]* Columnae Herculis montes sunt siue promontoria ex utroque latere Gaditani freti, *Calpe* in Europa, *Abylis* in Africa. Extra has columnas in proximo oceani sinu sita insula *Gades* cum oppido cognomine. Vt vero in oriente imitatus Alexander erat victoriam Herculis; ita nec ad solis occasum voluit quidquam illi diuo concedere, quod secundum poetarum fabulas; ad nominis famam pertineret. C. 18. *Hispanias]* multitudinis numero ex Romanorum more, qui in Tarraconensem, Baeticam & Lusitaniam diuidebant. C. *Italiaeque oram]* Lilius IX. 17. 18. 19. disputat, Alexandrum si in Italiam traicisset, Romanorum virtutem non fuisse superatum. Contra Plutarchus extremo libro de fortuna Romanorum. in praecipua parte felicitatis Romanae ponit, quod Alexander morte praeventus bellum Italiae inferre, vt destinauerat, non potuerit, cuius praetextus futurus fuisset Alexandri

oram,

oram, vnde in Epirum brevis cursus est. Igitur 19
 Mesopotamiae praetoribus imperavit, materia in
 Libano monte caesa, deuectaque ad urbem Syriae
 Thapsacum, ingentium carinas nauium ponere;
 septiremes omnes esse deducique Babylonem.
 Cypriorum regibus imperatum, vt aes stuppam-
 que & vela praerberent. Haec agenti Pori & 20
 Taxilis regum litterae traduntur, *Abisarem mor-
 bo; Philippum praefectum ipsius ex vulnere inter-
 isse, oppressosque qui vulnerassent eum.* Igitur 21
 Philippo substituit Eudaemonem, dux erat
 Thracum; Abisaris regnum filio eius adtribuit.
 Ventum est deinde Persagadas. Persica est gens, 22
 cuius satrapes Orsines erat, nobilitate ac diuitiis
 inter omnes barbaros eminens. Genus ducebat 23
 a Cyro quondam rege Persarum: opes & a maio-
 ribus traditas habebat; & ipse longa imperii
 possessione cumulauerat. Is regi cum omnis 24
 generis, non ipsi modo ea; sed etiam amicis
 eius daturus occurrit. Equorum domiti greges
 sequebantur, currusque argento & auro adornati,
 preciosa suppellex & nobiles gemmae, aurea

Molossi necem, iuxta Pandasiam interfecti, v' tum ire;
 vera causa, gloriam & famam Herculis ac Liberi Paris
 superare. C. 19 *Thapsacus*] Situm vrbis de-
 scripsimus ad IV. 9. 12. C. *Cypriorum regibus*]
 Plures huius insulae tum temporis reges erant, vt ad
 IV. 3. II. probauimus. C. *stuppam*] vt illa vti
 possent ad supplendas iuncturas lignorum, vel etiam ad
 conficiendos funes nauticos. S. 22. *Persagadas*]
 ad V. 6. 10. diximus. C. 24. *cum omnis generis*]
 subaudi *rebus*: adferebat enim varia. S.

magni ponderis vasa, vestesque purpureae, &
 25 signati argenti talentum quatuor millia. Cete-
 rum tanta benignitas barbaro causa mortis fuit.
 nam quum omnes amicos regis donis super ipso-
 rum vota coluisset; Bagoae spadoni, qui Alexan-
 drum obsequio corporis deuinxerat sibi, nullum
 26 honorem habuit. admonitusque a quibusdam,
 quam Alexandro cordi esset; respondit *amicos*
regis, non scorta se colere: nec moris esse Persis,
 27 *mares ducere, qui stupro effeminarentur.* His
 auditis spado potentiam flagitio & dedecore
 quaesitam, in caput nobilissimi & infontis exer-
 cuit. Namque gentis eiusdem leuissimos falsis
 criminibus adstruxit, monitos tum demum ea
 28 deferre, quum ipse iussisset. Interim quoties sine
 arbitris erat, credulas regis aures implebat; diffi-
 mulans causam irae, quo grauior criminantis
 29 auctoritas esset. Nondum suspectus erat Orfi-
 nes, iam tamen vilior. Reus enim in secreto
 agebatur, latentis periculi ignarus: & importu-
 nissimum scortum, ne in stupro quidem & dede-

talentum quatuor millia] Numerus nimietate
 suspectus. Bagoas rem odio exaggerans num. 34. tan-
 tum *tria millia* memorat subtrahita a satrapa, qui tamen
 sibi partem seruasset, non donasset cuncta. Et mille
 talenta dare vel regi magnum erat inuidiosum, VIII.
 12. extr. quatuor ergo millia supra modum & condi-
 tionem satrapae. C. 25. *Bagoae spadoni*] quem
 Nabarzanes captandae gratiae causa ex Darii deliciis
 Alexandro obtulerat, VI. 5. 23. C. 29. *reus*
agebatur] *adufabatur*, & pro reo habebatur. Op-
 posita huius phrasia est: *reus peragitur*, quae saepius
 apud Tacitum occurrit, h. e. *damnatur*. S.

coris

coris patientia fraudis oblitum, quoties amorem regis in se accenderat, Orsinem modo avaritiae, interdum etiam defectionis arguebat. Iam ³⁰ matura erant in perniciem innocentis mendacia, & fatum, cuius ineuitabilis fors est, adpetebat. Forte enim sepulchrum Cyri Alexander iussit aperiri, in quo erat conditum eius corpus, cui dare volebat inferias. Auro argentoque reple- ³¹ tum esse crediderat, quippe ita fama Persae vulgauerant; sed praeter clypeum eius putrem, & arcus duos Scythicos, & acinacem, nihil reperit. Ceterum corona aurea imposita amiculo, cui ³² adsueuerat ipse, solium, in quo corpus iacebat, velauit; miratus tanti nominis regem, tantis praeditum opibus, haud preciosius sepultum esse,

30. *sepulchrum Cyri*] Strabo XV. p. 502. & Arrianus VI. p. 435. hoc sepulchrum descripserunt. Vterque tradunt ἐν παραδείσῳ, in regio horto fuisse, hoc titulo Persico insignitum, qui Graece valeat ὁ ἄνδρωπε, ἰγὼ κῦρος εἰμι, ὁ τὴν ἀρχὴν τοῖς Πέρσαις κτησάμενος, καὶ τῆς Ἀσίας βασιλεύσας. Μὴ ἐν φθόνοι μοι τῆ μνήματος. Eadem fere Plutarchus habet p. 703. additque Persicae inscriptioni Graecam ab Alexandro adiectam fuisse. C. *dare inferias*] vide VII. 9. 22. C. 31. *solium, in quo corpus iacebat*] *solium*, id est, *loculum*, *sarcophagum* πύελον Arrianus & Strabo c. l. vocant. Florus IV. 11. extr. de morte Cleopatrae, *maximos induta cultus, in differro odoribus folio, iuxta suum se collocavit Antonium*. Plinius XXXV. 12. *defunctos sese multi fœtilibus solis condi maluerunt*, ubi perperam vulgares libri *doliis*, contra MSS. fidem, vti Harduinus in h. l. & ante ipsum Salmasius in Solin. p. 1204. alitque obseruarunt. Suetonius Nerone c. 50. *in eo monumento solium porphyretici marmoris*. G.

B b 5

quam

- 33 quam si fuisset e plebe. Proximus erat lateri spado, qui regem intuens, *quid mirum, inquit, est inania sepulera esse regum, quum satraparum domus aurum inde egestum capere non possint?*
- 34 *Quod ad me adinet, ipse hoc bustum antea non videram: sed ex Dario ita accepi tria millia*
- 35 *talentum condita esse cum Cyro. Hinc illa benignitas in te; ut quod impune habere non poterat*
- 36 *Orsines, donando etiam gratiam iniret. Concitauerat iam animum in iram; quum ii, quibus negotium idem dederat, superueniunt. hinc Bagoas; hinc ab eo subornati, falsis criminibus*
- 37 *occupant aures. Antequam accusari se suspicaretur Orsines, in vincula est traditus. Non contentus supplicio infantis spado ipse morituro manum iniecit. Quem Orsines intuens, audieram, inquit, in Asia olim regnasse feminas; hoc vero*
- 38 *nouum est, regnare castratum! Hic fuit exitus nobilissimi Persarum, nec infantis modo, sed*
- 39 *eximiae quoque benignitatis in regem. Eodem tempore Phradates regnum adfectasse suspectus occiditur. Coeperat esse praeceps ad repraesentanda supplicia; idem ad deteriora credenda,*
- 40 *Scilicet RES secundae valent commutare natu-*

37. *infantis*] Spoliatum sepulcrum fuisse Plutarchus pag. 703. & Strabo pag. 502. referunt, sed ille a Pellaeo quodam Macedone, cui Polymacho nomen fuerit: hic ex Aristobulo, a praedatoribus ignotis, non a satrapa factum tradit: *προνομευτῶν ἔργον ἢ ἐχθρῶν στρατῶν. C.* *regnasse feminas*] Semiramis & Amazonas, C. 40. *Res secundae*] Supra III.

ram;

ram; & raro quisquam erga bona sua satis cautus est. Idem enim paullo ante Lyncestem Alexandrum delatum a duobus indicibus damnare non sustinuerat: humiliores quoque reos contra suam⁴¹ voluntatem, quia ceteris videbantur infontes, passus absolui: hostibus victis regna reduxerat. ad vltimum a semetipso degenerauit vsque adeo,⁴² vt aduersus libidinem animi, arbitrio scorti aliis regna daret, aliis adimeret vitam. Iisdem fere⁴³ diebus litteras a Coeno accepit de rebus in Europa & Asia gestis; dum ipse Indiam subigit. Zo-⁴⁴pyrio Thraciae praepositus dum expeditionem in Getas faceret, tempestatibus procellisque subito coortis, cum toto exercitu oppressus erat. Qua cognita clade Seuthes Odrysas populares⁴⁵ suos ad defectionem compulerat. Amissa prope- modum Thracia, ne Graecia quidem*

2. 16. *naturam plerumque fortuna corrumpit: & num.*
 18. *homines quum se permisere fortunae, etiam natura-
 turam dediscunt. C. satis cautus] De Conone
 Nepos cap V. Accidit huic, quod ceteris mortali-
 bus, vt inconsideratior in secunda, quam in aduersa
 esset fortuna. C. Lyncestem Alexandrum] Vide
 VIII. 8. 6. C. 44. Zopyrio] adde Iustin. XII. 1.
 XXXVII. 3. C. in Getas] Getae, Scythicus
 populis, supra Thraciam ad vtramque Istri ripam,
 Fontum versus. C. tempestatibus] Scytharum
 armis, non tempestatibus, oppressum esse, Iustinus
 e. l. memorat. C. 45. Odrysas] Odrysaie in
 Thraciae populis. Adi Geograph. C. ne Grae-
 cia quidem*] Quae hoc loco vsque ad cap. II. de-
 sunt, ita quodammodo ex Diodoro XVII. 108. suppleri
 possunt; C.*

SUPPLEMENTVM.

inconcussa tumultu fuit. Quum enim Alexander ex India reuersus praefectos, qui desperato eius reditu superbe imperarant, seuerius punisset, caeteri quoque, prouincialium metuentes accusationem, ope mercenariorum militum, quibus praerant, & fuga sibi salutem quaerebant. Harpalus Babyloniae post Mazaeci mortem praefectus quum luxuriose vixisset, venia desperata, V millibus talentum correptis cum VI millibus mercenariorum in Graeciam profugit, quibus persuaserat, se pecunia effecturum, vt Atheniensium ciuitas aduersus regem arma capiat, & communem secum causam tueatur.

praefectos seuerius punisset] Curt. X. 1. 8. Diodorus XVII. 106. C. *ope mercenariorum & fuga*] Diodor. c. l. C. *Babyloniae praefectus*] Plutarch. pag. 686. τῆς χάρας ἐπιμελητῆς: Diodor. c. 108. ἐν Βαβυλῶνι θησαυρῶν καὶ τῶν προσόδων τὴν φυλακὴν πεπιστευμένος thesaurorum & vectigalium custodiae praepositus. C. *luxuriose vixisset*] Diodor. c. l. Athenaeus XIII. 6. 7. C. *V millibus talentum*] Diodor. c. l. C. Huius argumenti videntur fuisse, quae hoc loco desiderantur. Christophorus Bruno praemitit Calani sophistae Indici mortem: & nuptias, quibus Statoram Darii filiam sibi Alexander iunxit: etiam ducibus suis nobilissimas quasque virginum Persicarum. De Calani excessu ad VIII. 9. 32. notauimus: nuptias ipse Curtius X. 3. 12. attigit. Credo utrumque Curium, vt solet in vltimis, festinatione praetermississe: certe connexiones huius loci neutrum ferunt, neque addidit de iis in supplementis Freinshemius. Qui vero memorabilem Calani exitum vult accuratius cognoscere, scriptores consulat, quos c. l. laudauimus.

CAP.

ex quibus hoc solum adicere visum est, quod in rogam adscendens, Alexandro imminentem mortem praedixerit. Quum enim rex eum rogaret, ut si quid vellet, diceret: *optime, inquit: propediem te babylone videbo.* Lege Ciceronem & Plutarchum: de nuptiis eundem Plutarchum & Diodorum XVII. 107. C.

CAP. II.

Dum turbatum Graeciae statum pacare, & militibus aere alieno liberatis alios remittere domum, alios retinere cogitat, in castris oritur seditio, quam graui oratione & regia auctoritate compescit.

IGITUR triginta nauibus Sunium transmit- 1
tunt. Promontorium est Atticae terrae; 2
vnde portum vrbs petere decreuerant. His 2
cognitis rex Harpalo Atheniensibusque iuxta 2
infestus classem parari iubet; Athenas protinus 3
petiturus. Quod consilium dum agit clam 3
litterae ei redduntur; *Harpalum intrasse quidem 3*
Athenas, pecunia conciliaffe sibi principum ani-

1. *Sunium transmittunt*] Harpalus & mercenarii milites, qui ex Asia profugerant, vel ad Taenarum, Laconiae promontorium, Diodoro teste XVII. 108. vel ad Sunium Atticae, classem suam statuerant, vnde Harpalus cum paucis comitibus & grandi pecuniae summa Athenas profectus est contra regem ciues sollicitaturus. C. *portum vrbs*] Piraeecum Atheniensium portum. C. 3. *conciliaffe sibi principum animos*] oratorum maxime, etiam ipsius Demosthenis, ut supra ad VII. 4. 9. ex Plutarcho diximus; non autem Phocionis, cuius virtus inexpugnabilis auro erat. *Plutarch. in Phocione p. 753. & Demosthene p. 857. C.*

- mos : mox concilio plebis habito iussum urbe excedere, ad Graecos milites peruenisse, a quibus interceptum & trucidatum a quodam Thimbrone per
- 4 *insidias*. His laetus in Europam traiciendi consilium omisit: sed exules praeter eos, qui civili sanguine adpersi erant, recipi ab omnibus Graecorum ciuitatibus, quis pulsi erant, iussit.
 - 5 Et Graeci haud ausi imperium aspernari; quamquam soluendarum legum id principium esse censebant; bona quoque, quae exstarent, restituere
 - 6 damnatis. Soli Athenienses, non suae modo, sed etiam publicae vindices libertatis, conluuionem hominum, quia aegre ferebant non regio imperio, sed legibus moribusque patriis regi adfueti,
 - 7 prohibuere finibus: omnia potius toleraturi,

a quodam Thimbrone] vulgo a quodam viatore: MSS. a quodam auctore. Vtrumque ineptum. Diodorus autem XVII. 108. trad't, quum ex Graecia in Cretam recessisset, a Thimbrone amico suo peremptum esse. C. 4. *civili sanguine adpersi*] Diodorus XVII. 109. πλὴν τῶν ἱεροσύλων καὶ φονέων, praeter sacrilegos & homicidas. C. 5. *soluendarum legum principium*] libertatis opprimendae initium esse, ciuitatibus imperare, vt exules restituant. C. 6. *conluuionem*] Suetonius Aug. c. 40. *magni exilimans, sncerum atque ab omni conluuione peregrini ac seruilis sanguinis incorruptum seruare populum*. Hoc loco sunt relegati & purgamenta ciuitatis. C. *quia aegre ferebant*] Tellierus ex codicum, vt ait, *fide: quia ordinem aegre ferebant*, quod interpretatur, aegre patiebantur se in ordinem redigi. Dictionem firmatum it ex Quintiliano l. 4. extr. *multa verba non totum declinationis ordinem ferunt*. C.

quam purgamenta quondam vr̄bis suae, tunc etiam exilii, admitterent. Alexander senioribus militum in patriam remisit; tredecim millia pedum, & duo millia equitum, quae in Asia retineret, eligi iussit: existimans modico exercitu continere posse Asiam, quia pluribus locis praesidia disposuisset; nuperque conditas vr̄bes, quas colonis repleisset, res renouare cupientibus ob- stare. Ceterum prius quam fecerneret, quos erat retenturus, edixit, vt omnes milites aes alienum profiterentur. Graue plerisque esse compererat: & quamquam ipsorum luxu contractum erat, dissoluere tamen ipse decreuerat. Illi tentari ipsos rati, quo facilius ab integris sumptuosos discerneret, prolatando aliquantum extraxerant temporis. & rex satis gnarus professioni aeris pudorem, non contumaciam ob stare; mensas totis castris poni iussit, & decem millia talentorum proferri. Tum demum fide facta professi

7. *purgamenta vr̄bis suae*] vide VIII. 5. 8. C.
 9. *fecerneret*] alii *excerneret*, quod etiam Barthius probat II. 12. Auerf. C. *aes alienum profiterentur*] profiterentur debita sua, quae apud Asiae incolas contraxere. Volebat enim ea rex Alexander soluere. S. 10. *integris*] iis, qui non adeo voluptatibus indulgebant, vt caeteri, qui *sumptuosi* dicuntur, quoniam voluptates maximis sumptibus sectati sunt. S. *decem millia*] Iustinus XII. II. *viginti millia*, & secundum alios codices *tria* & *viginti millia*. Sed nostro exacte consentiunt Diodorus XVII. 109. & Plutarchus pag. 703. C. 11. *fide facta*] postquam fidem regis acceperant, *nachdem sie königliche parole bekommen, es solte ihnen keine Gefahr*

sunt,

funt, nec amplius ex tanta pecunia quam centum
 & triginta talenta superfuere. adeo ille exerci-
 tus, tot ditissimarum gentium victor, plus tamen
 12 victoriae, quam praedae deportauit ex Asia. Cete-
 rum vt cognitum est, alios mitti domum, alios
 retineri; perpetuam eum regni sedem in Asiam
 habiturum rati, vecordes & disciplinae militaris
 immemores, seditiosis vocibus castra complent,
 regemque ferocius quam alias adorti, omnes
 simul missionem postulare coeperunt; deformia
 ora cicatricibus, canitiemque capitum ostentan-
 13 tes. Nec aut praefectorum castigatione, aut
 verecundia regis deterriti, tumultuoso clamore &
 militari violentia volentem loqui inhibebant;
 palam professi nusquam inde, nisi in patriam
 14 vestigium esse moturos. Tandem silentio facto,
 magis quia motum esse credebant, quam quia ipsi
 moueri poterant; quidnam acturus esset exspe-
 15 ctabant. Ille, *quid haec inquit, repens consterna-
 tio, & tam procax atque effusa licentia denunciat?
 Eloqui timeo, palam certe rupistis imperium, &
 precario rex sum: cui non adloquendi, non no-
 sciendi monendique, aut intuendi vos ius reliquistis.*
 16 *Equidem quum alios dimittere in patriam; alios
 mecum paullo post deportare statuerim: tam illos
 adclamantes video, qui abituri sunt, quam hos,*
 17 *cum quibus praemissos subsequi statui. Quid hoc*

bringen. C. 15. precario sum] emendicata pe-
 testate impero. Adde IV. 7. I. C. 16. depor-
 tare] in Asiam scil. vbi sedem suam habiturus erat
 Alexander. S.

est rei? dispari causa idem omnium clamor est!
 perbelim scire, utrum qui discedunt; an qui reti-
 nentur, de me querantur. Crederes vno ore 18
 omnes fuisse clamorem; ita pariter ex tota
 concione responsum est, omnes queri. Tum ille, 19
 non hercule, inquit, potest fieri, ut adducar que-
 rendi simul omnibus hanc causam esse, quam
 ostenditis; in qua maior pars exercitus non est;
 utpote quum plures dimiserim, quam retenturus
 sum. Subest nimirum altius malum, quod omnes 20
 auertit a me. quando enim regem vniuersus
 exercitus deseruit? ne serui quidem vno grege pro-
 fugiunt dominos; sed est quidam in illis pudor
 a ceteris destitutos relinquendi. Verum ego tam 21
 furiosae consternationis oblitus remedia insana-
 bilibus conor adhibere. Omnem hercule spem,
 quam ex vobis conceperam, damno, nec ut cum
 militibus meis, iam enim esse destitistis, sed ut cum
 ingratis oportet, agere decreui. Secundis 22
 rebus, quae circumfluunt vos, insanire coepistis,
 obliti status eius, quem beneficio exuistis meo.
 digni hercule, qui in eodem consenescat; quoni-
 am facilius est vobis aduersam, quam secundam

21. damno] parui pendo, & negligo, ich seblage
 sie mir aus dem Sinn. S. 21. destitistis] Fraim.
 & Tellier. desistis. Freinshemius expuncto substan-
 tino verbo legendum putat me destituisistis. Sed etiam
 destitit cum infinito frequens nostro est III. 6. 15.
 V. 9. 17. VIII. 3. 6. X. 8. 1. C. 22. facilius
 aduersam] quod tum labor tum disciplina in officio
 continet, C.

23 *regere fortunam. En tandem! Illyriorum paullo ante, & Persarum tributariis Asia, & tot gentium spolia fastidio sunt. Modo sub Philippi seminudis amicula ex purpura sordent; aurum & argentum oculi ferre non possunt: lignea enim vasa desiderant, & ex cratibus scuta; rubiginemque*
 24 *gladiatorum. Hoc cultu nitentes vos accipi, & quingenta talenta aeris alieni: quum omnis regia supellex haud amplius quam sexaginta talentorum esset, meorum operum fundamenta: quibus tamen (absit invidia) imperium maximae terrarum par-*
 25 *tis imposui. Asiaene pertaesum est, quae vos gloria rerum gestarum diis pares fecit? In Europam ire properatis rege deserto, quum pluribus vestrum defuturum viaticum fuerit, ni aes alienum luisset:*
 26 *nempe in Asiatica praeda. Nec pudet profundo ventre denudarum gentium spolia circumferentes, reuerii velle ad liberos coniungesque, quibus pauci*

23. *Illyriorum paullo ante*] sub Amynta. auo Alexandri. Diodorus XVII. 2. C. *Persarum tributariis*] vide quae ad V. 8. 16. notauiimus. C. *seminudis*] vobis. qui paullo ante sub Philippo patre meo seminudi eratis, amicula ex purpura sordent. S. *ex cratibus scuta*] propter inopiam & paupertatem, vt etiam Spartaco ex viminibus. Flor. III. 20. Frontin. I. 7. C. 25. *nempe in Asiatica praeda*] Modius ex Asiatica praeda. Idem sensus, solui aes alienum non potuisse, nisi tantum praedae ex Asia, quam immerito fastidiant, capta fuisset. C. 26. *profundo ventre*] exprobrat eorum in cibo & potu luxuriam, qua omnem praedam totius Asiae perdiderunt: & fingit illorum ventres admodum profundos esse oportere, in quibus tot spolia possent immergi. S.

prat-

praemia villeriae potestis ostendere. Nam ceterorum, dum etiam spei vestrae obviam istis, arma quoque pignori sunt. Bonis vero militibus caritatus sum, pellicum suarum concubinis: quibus hoc solum ex tantis opibus superest, in quod impenditur. Proinde fugientibus me pateant limites; facessite hinc ocius: ego cum Persis abeuntium terga tutabor. Neminem teneo: liberate oculos meos ingratiissimi ciues. Laeti vos excipient parentes, liberique sine vestro rege redeunt! obviam ibunt desertoribus transfugisque! Triumphabo mehercule de fuga vestra, & ubicumque ero, expetam poenas; hos, cum quibus me relinquitis, colendo, praeferendoque vobis. Iam autem scietis, & quantum sine rege valeat exercitus, & quid opis in me vno sit. Desiluit deinde frendens de tribunali, & in medium armatorum agmen se immisit; notatos quoque, qui ferocissime oblocuti erant, singulos manu corripuit: nec ausos repugnare, tredecim adseruandos custodibus corporis tradidit.

ceterorum, dum spei obviam] dum spem redeundi in patriam noluitis expectare, sed ante tempus praecipistis, quidam arma etiam, quasi nulli usui posthac futura oppignerarunt. C. 27. in quod impenditur] nempe pellices solae super sunt ex tanta praeda, in quas ipsae opes impensae sunt. Ita Teiliens. Aliis venter est in quem impensa fiat: ita Sebifius & Pitiscus. Vulgo in posthabent. C. fugientibus me] vobis qui me vel a me fugitis. S. abeuntium terga] ne vobis dum a me abitis, aliquis a tergo inruat. S. liberate oculos meos] abite ab oculis meis, S.

CAP. III.

Seditiosis supplicio adfectis, totius exercitus dissipat consilia, & Persis credit corporis sui custodiam.

- 1 **Q**VIS crederet saeuam paullo ante concionem obtorpuisse subito metu, & quum ad supplicium videret trahi nihil ausos grauiora
 2 quam caeteros* (tam effusam antea licentiam, atque seditiosam militum violentiam ita compressam, vt non modo nullus ex omnibus irruenti regi restiterit; verum etiam cuncti pauore exanimati adtonitis similes, quid de ipsis quoque rex statuendum censeret, suspensa mente expectarent. Itaque*) siue nominis, quod gentes, quae sub regibus sunt, inter deos colunt; siue propria ipsius veneratio; siue fiducia tanta vi
 4 exercentis imperium conterruit eos: singulare certe ediderunt patientiae exemplum; adeoque non sunt accensi supplicio commilitonum, quum sub noctem interfectos esse nossent, vt nihil omiserint, quod singuli magis obedienter ac pie
 5 facerent. Nam quum postero die prohibiti aditu venissent, Asiaticis modo militibus admissis, lugubrem totis castris edidere clamorem, denun-

2. * tam effusam] Quae num. 2. sunt viciis inclusa, absunt a plerisque MSS. & olim excusis Aldi, Erasmi & aliorum: in ceteris, vt fragmentum reperta sunt. C. 3. propria veneratio] De hac aliquid diximus III. 6. 17. C.

ciantes se protinus esse morituros, si rex perseue-
 raret irasci. At ille peruicacis ad omnia quae 6
 agitasset animi peregrinorum militum concio-
 nem aduocari iubet, Macedonibus intra castra
 cohibitis: & quum frequentes coissent, adhibito
 interprete talem orationem habuit: *Quum ex 7*
Europa traicerem in Asiam, multas nobiles gentes,
magnam vim hominum imperio meo me additu-
rum esse sperabam. Nec deceptus sum, quod de
his credidi famae. Sed ad illa hoc quoque acces- 8
sit, quod video fortes viros erga reges suos pietatis
inuietae. Luxu omnia fluere credideram; & 9
nimia felicitate mergi in voluptates. at hercule
virtutia militiae hoc animorum corporumque robore
aequa impigre toleratis; & quum fortes viri
sitis, non fortitudinem magis, quam fidem colitis.
Hoc ergo nunc primum profiteor, sed olim scio. 10
Itaque & delectum e vobis iuniorum habui; &
vos meorum militum corpori immiscui. Idem
habitus, eadem arma sunt vobis: obsequium vero
& patientia imperii longe praestantior est, quam
eteris. Ergo ipse Oxartis Persae filiam mecum 11
in matrimonio iunxi; non dedignatus ex captiua
liberos tollere. Mox deinde quum stirpem generis 12
mei latius propagare cuperem, uxorem Darii fili-

7. famae] quae de me talia augurabatur. S.
 9. fluere] distluere, dissoluta & imbellia esse. S.
 10. olim scio] iam dudum sciui. S. 11 Oxartis]
 Hic pater Roxanis: de utroque, patre & filia, ad VIII.
 A. 22. notata inspice. C. 12. Darii filiam]

am duxi; proximisque amicorum auctor fui ex captiuis generandi liberos: Et hoc sacro foedere omne discrimen victi, & victoris excluderem. Proinde genitos esse vos mihi, non adscitos milites, 13 credite. Asiae & Europae vnum atque idem regnum est. Macedonum vobis arma do. Inueteravi peregrinam nouitatem, & ciues mei estis 14 & milites, omnia eundem ducunt colorem. Nec Persis Macedonum morem adumbrare; nec Macedonibus Persas imitari indecorum est. Eiusdem iuris esse debent, qui sub eodem rege victuri sunt. * (Hac oratione habita, Persis corporis sui custodiam credidit, Persas satellites, Persas adparitores fecit. Per quos quum Macedones qui huic seditioni occasionem dedissent, victi ad supplicia traherentur, vnum ex iis auctoritate, & aetate grauem, ad regem ita locutum ferunt.)

maiolem natu, *Statiram* nomine, vt Diodorus XVII. 107. & Plutarchus pag. 703. vocant; *Arrianus* VII. pag. 447. *Barfinem*, in nomine errans, quod Memnonis viduae; *Artabazi*, non Darii filiae, fuit, vt ad III. 13. 14. notauimus, Nuptiae Sufis celebratae. C. auctor fui] suasi vt generarent. S. 15. * *Hac oratione habita*] Neque haec inclusa, in vetustis libris adparent, Freinshemio etiam ideo suspecta sunt, quod supplicium sub finem cap. II. in hunc locum videtur reuicere. Sed aliud omnino supplicium est a superiori tredecim militum, quos sub noctem rex duci iusserat; vt ex principio sequentis orationis conicitur. C.

CAP. IV.

Opatio Macedonis militis vinciti. Coniuratio in Alexandrum, qui veneno extinguitur.

Qvousque, inquit, animo tuo etiam per supplicia, ¹ Et quidem externi moris obsequeris? Milites tui, ciues tui, incognita causa, captiuis suis ducentibus trahuntur ad poenam! Si mortem meruisse iudicas, saltem ministros supplicii muta. Amico animo, si veri patiens fuisset, admoneretur; sed in rabiem ira peruenerat. Itaque rursus (nam parumper, quibus imperatum erat, dubitauerant) mergi in amnem, sicut vinciti erant, iussit. Nec hoc quidem supplicium seditionem militum mouit. Namque copiarum duces atque amicos eius manipuli adeunt, petentes, ² Et si quos adhuc pristina noxa iudicaret esse contactos, iuberet interfici, offerre se corpora irae, trucidaret.* ³

^{2.} *dubitauerant*] paullisper cessauerant. S.

SUPPLEMENTVM.

Tandem constantia sua vicerunt regem, vt ⁴

^{4.} *Tandem constantia*] Ab hoc loco ad finem capituli seu initium capituli V deficiunt libri tum manu, tum olim typis exscripti. Recentius excusi supplementum nescio cuius insertum habent, quidam etiam sine vlla nota aut indicio nouitatis, quasi Curtii omnia sint, ceteris coniungunt. Tellierus & Pitiscus abiecerunt

ad

ad se prodiret, & reconciliati animi certa signa
 5 ostenderet. Decem circiter millia veteranorum,
 quibus Craterum praefecit, stipendiis donisque
 6 auctos in patriam dimisit: litteris ad Antipatrum
 datis, quibus honorem emeritis haberi praecepit,
 vt in primis ordinibus & coronati ludos specta-
 rent, & liberi demortuorum in stipendia paterna

rant, adsumpto Freinshemiano. Nos pro instituto
 ex coniecturis suppleuimus res, quae deesse videntur;
 verba effingere non possumus, quae sane veteris sup-
 plementi auctor adeo non adsequutus est, vt nimium
 quantum a Curtianis distet. Nec materia vbique con-
 gruenter usus est. admiscet enim narrationem de vene-
 ni suspitione, quam Curtius ad caput vltimum reie-
 cerat. C. ad se prodiret] tertio demum die,
 postquam bidui lacrimis precibusque id quaesuerant.
Plutarch. p. 704. C. reconciliati animi] Dio-
dor. XVII. 109. μόγις ἔπειταν τὸν Ἀλέξανδρον αὐτοῖς
διαλλαγήναι. C. 5. Decem circiter millia] Ita
Arrianus VII. pag. 464. Iustinus XI. 12. undecim
millia. C. stipendiis donisque] Arrianus VII.
pag. 464. ἐπέδωκε τάλαντον ἑκάτω ὑπὲρ τὴν μισθοφορὰν,
singulis talentum ultra stipendium numerauit Plu-
tarchus pag. 704. δωριστάμενος μεγαλοπρεπῶς. C.
6. litteris ad Antipatrum] Plutarchus c. I. C.
in primis ordinibus] Plutarchus ibidem: ἐν πᾶσι τοῖς
ἀγῶσι καὶ τοῖς θεάτροις προεδρίαν ἔχοντες ἐτεφραγμένους
καθέζοντο. Sic etiam Augustus apud Suetonium c. 44.
in spectaculis militem secreuit a populo: quod adu-
lator Iunius Gallio apud Tacitum VI. 3. vsque ad
equestrem dignitatem voluit extolli, vt praetoriani
actis stipendiis, ius apiscerentur in quatuordecim
ordinibus sedendi: quod vero negauit Tiberius. C.
liberi demortuorum] Haec etiam Atheniensium con-
suetudo praeclara fuit. Thucydides lib. II. pag. 130.
in extrema oratione Periclis, αὐτῶν τὸς παῖδας τὸ ἀπὸ

succe-

succederent. Iisdem litteris Antipatrum cum 7
 tironibus ad se vocavit, Cratero in locum eius
 suffecto. Verebatur enim; ne discordia prae- 8
 fectionis & Olympiadis rei publicae damnum infer-
 ret, quippe mutuo ad regem criminati fuerant.
 Persis quoque in supplementum lectis, quorum 9
 viginti millia Peucestus adduxerat; Susis rex

ταδε δημοσία ἢ πόλις μέχρις ἔβης ἐρέσει, illorum (proelio occisorum) liberos civitas hinc ad pubertatem usque publice alet. C. 7. Cratero in locum] Justin. XII. 12. 9. C. 8. discordia praefecti] Antipater Olympiadem apud regem arrogantiae & curiositatis infimulauerat: contra Olympias Antipatrum insolentiae & maioris imperii, quam pro praefecto. Huiusmodi litteras Olympiadis quum aliquando Hephæstio inspexisset, Alexander anulum digito detractum ori Hephæstionis imprimens sileri cupiit, quae de similitudine matris & praefecti cognouisset. Plutarchus in Apophthegm. C. 9. Persis in supplementum] Diodorus XVII. pag. 180. Arrianus VII pag. 493. C. Susis rex Ecbatana] Diodorus c. 1. (quem Freinsheimius in supplementis sequitur) multa medio itinere interponit, quae primo intuitu turbare locorum situm videntur. Ait enim Alexandrum Susis egressum Tigri superato Carras venisse, inde quadriduo Sittam (Sittacenen Freinsheimius) peragrassse: hinc ad Celonas, Boeotos genere, a Xerxe abductos; & in alias gentes: tandem in Mediam progressum Ecbatanis substitisse. Quo modo autem ex Susis tam propere Tigris transmitti, Carrae Euphrati viciniore peti: inde Sittacena, quae trans Igrin in Assyria est proxima Susiana, peragrari potest? Nec tamen errasse Diodorum puto. Tigris ipsi Pasitigris est, fluvius post Susa ad orientem in limite Persiae: vt supra ad V. 3. 1. ostendimus; Carrae non sunt Mesopotamiae, sed ignobilis vltra

Ecbatana profectus Hephæstionem principem amicorum amittit, cuius casum immoderate ferens, sumtuosissimas fieri exsequias iussit, nec non ut deo sacrificari. Hinc per Cossaeorum gentem, liberam antea & Persarum imperium aspernantem, Babylona proficiscitur, ubi multarum gentium legati ipsum exspectabant.

Pastigrin locus, quod Diodori verba indicant ἐν τῆς Κάρσις καλαυμένους κέρμας, ad Caros dictos pagos. Vtrum Sitta Diodori Sittacena sit, incertum. haec quidem Mediae subiacet ab austro, *Plin. 6. 26.* non autem in ortum superato Pastigrini promouerat. C. principem amicorum] Nepos Eumene cap. 2, num. 2. Curt. III. 12. 16. C. immoderate] Arrian. VII. pag. 473. triduo neque cibum neque potum degustasse tradit. C. sumptuosissimas] Decem millia talentorum funeri impensa, *Arrian. pag. 474.* aut duodecim millia *Iustin. XII. 12.* luxum exsequiarum scripsit Diodor. XVII. 114. 115. qui plus quam XII. millia insumpta scribit. C. ut deo] Diodor. c. 115. θεῶν ἠφιέρωνι θεῶν προσέρω. Plutarchus pag. 704. θεῶν ὡς ἔρω, quod etiam Arrian. pag. 472. confirmat. C. 10. Cossaeorum] de hac gente supra IV. 12. 10. actum fuit: cuius nunc excidio Alexander Hephæstioni parentauit, quod inde Hephæstionis ἐκφυγισμὸν Plutarchus vocat pag. 705. C. liberam] Strabo XI. p. 361. tradit, quod ne reges quidem, aestate Ecbatanis transacta, Babylonem tuto descendere potuerint, nisi Cossaeos latrones muneribus placassent. C. multarum gentium legati] Carthaginensium, ceterarumque Aethiopiae ciuitatum: item Hispaniarum, Siciliae, Galliae, Sardiniae, nonnulli quoque ex Italia, *Iustin. XII. 13.* Illyriorum, Thracum, Galatarum, *Diodor. c. 113.* Aethiopum & Scytharum Europaeorum, *Arrianus pag. 475.* an vero etiam Romanorum? aiunt Aristus

Quum

Quum CCC ab vrbe stadiis abesset, monuerunt i vates, ne intraret, quia periculum portenderent; sed ab Anaxarcho persuasus contempsit praesagia vt vana atque incerta. Auditis ergo i legatis, & peractis quae ad Hephaestionis funus,

& Asclepiades apud Arrianum pag. 476. & Clitarchus apud Plinium III. 5. negat Arrianus c. 1. tanquam inconueniens maiestati Romanae: Linius IX. 18. ne fama quidem illis notum fuisse Alexandrum arbitratur, quod nimium videtur Freinshemio: non autem Casaubono in Lampridii Alexand. Seuer. c. 63 quod adeo non improbauit Salmasius, vt ad eundem locum Lampridii notauerit: Romanos nec fama tenuis Alexandri notitiam habuisse certum est. C. ii. CCC stadiis] Freinshem. sup. l. triginta, ex Latino interprete Diodori XVII. 112. sed Gr. τριακοσίαις. C. monuerunt vates] vel ipsi adeunte regem, Arrian. pag. 478. vel per Nearchum classis praefectum. qui ex oceano per Euphratis ostia in Babyloniam venerat. Diodor. c. 1. Plutarch. p. 705. Hinc nata Suasoria IV. Senecae. C. ab Anaxarcho] Iustinus XII. 13. ab Anaxarcho philosopho compulsus est magorum praedicta contemnere. Diodor. c. 1. de sectatoribus intelligit, τῶν φιλοσόφων διὰ περὶ τῶν ἀνάξαρχον. C. Contempsit] Diodorus ibidem καταφρονῆσαι πάντας μαντικῆς. Arrianus tradit, monentibus Euripidis versu respondisse

Μάντις δ' ἄριστος, ὅστις εὐκάζει καλῶς.

Optimus vates qui bene conicit.

quae ad Hephaestionis funus] Ecbatanis mortuus erat, sed vt augustiores exsequiae forent, Babylonem, in nobilissimam orientis urbem, corpus ingenti adparatu translatum est, Diodor. cap. 114. seq. C.

per Pallacopam fossam ad Arabum confinia nauigauit, irridens Chaldaeos, qui periculum in vrbe praedixerant, quam non modo feliciter ingressus esset, sed saluus etiam excessisset.

- 13 Reuersus Babylonem ludis conuiuisque interfuit, & quum ad Medium comissatum isset, in morbum incidit, qui intra paucos dies ita inualuit, vt spes salutis nulla aut exigua superesset.
- 14 Milites sollicitudine anxii retineri non potuerunt, quin vltimo visuri regem in aulam inrumperent.

Hactenus supplementum.

per Pallacopam] pluribus verbis hanc maximam fossam, qua paene Euphrates exhaustus fuit, descripsit Arrianus lib. VII. C. *irridens Chaldaeos*] Appianus Alexandrinus sub fin. lib. II. Bell. Civ. C. 13. *conuiuus*] Iustinus XII. 13. C. *ad Medium*] Medius. amicus Alexandri. Larissaeus fuit ex Thessalia, vnde Straboni *Larissaeus* lib. XI. p. 365. Iustino *Theofsalus* c. 1. cognominatur. C. *in morbum incidit*] Diodorus XVII. 117. Seneca epist. LXXXIII. Iustinus XII. 13. Herculis scypho exhausto, veluti telo confixum, ingemuisse tradunt, quod negat Plutarchus pag. 706. & Arrianus pag. 497. *Herculaneus* autem scyphus est ingentis capacitatis & vel Hercule dignus, cuius nominis poculorum meminere Cicero in Verrem VI. c. 18. Athenaeus XI. pag. 500. Nicetas Choniatas lib. III. 4. C. *spes salutis nulla*] Iustin. XII. 13. Diodorus XVII. 117. C. 14. *in aulam inrumperent*] Arrianus pag. 499. *βιάσασθαι ἰδεῖν Ἀλέξανδρον.* C.

CAP.

CAP. V.

Dicta & gesta eius ante obitum. Quantum a suis fuerit desideratus: praecipue vero a Darii matre; quae dolore succumbens, paullo post extincta est. Alexandri elogium.

INTVENTIBVS lacrimae abortae prae- 1
 buere speciem iam non regem, sed funus eius
 visentis exercitus. Moeror tamen circumstan- 2
 tium lectum eminebat; quos ut rex adspexit,
Inuenietis, inquit, quum excessero, dignum talibus
viris regem? Incredibile dictu audituque, in 3
 eodem habitu corporis, in quem se composuerat,
 quum admissurus milites esset, durasse, donec a
 toto exercitu illo ad vltimum per salutatatus est:
 dimissoque vulgo, velut omni vitae debito libe- 4
 ratus, fatigata membra reiecit. Propiusque
 adire iussis amicis, nam & vox deficere iam coe-
 perat; detractum anulum digito, Perdicca
 tradidit, adiectis mandatis, ut corpus suum ad
 Hammonem ferri iuberet. Quarentibus his, 5

2. *Inuenietis dignum regem?*] Interrogatiue,
 quia Iustinus XII. 15. *videantur ne similem sibi reper-
 turi regem?* Cum ipsa quaestione conferri possunt
 vltima Liuii Drusii verba apud Velleium Paterculum
 II. 14. *Ecquando propinqui amicique similem mei
 ciuem habebit respublica?* C. 4. *annulum Per-
 diccae tradit*] anulum signatorium. cap. 6. num. 5.
 ex quo omnes coniecerunt, eum regnum ei commen-
 dasse, quoad liberi regis in suam tutelam peruenissent.
Nepos Eum. c. 2. C. ad Hammonem ferri] quo
 quum Perdicas portaturus esset, eripuit in Aegypto

cui relinqueret regnum? respondit ei, qui esset
 optimus. Ceterum providere iam ob id certamen,
 6 magnos funebres ludos parari sibi. Rursus Per-
 dicca interrogante, quando coelestes honores ha-
 bere sibi vellet? dixit tum velle quum ipsi felices
 7 essent. Suprema haec vox fuit regis, & paullo
 post exstinguitur. Ac primò ploratu lamentis-
 que & planctibus tota regia personabat: mox
 velut in vasta solitudine omnia tristi silentio
 8 muta torpebant; ad cogitationes, quid deinde
 futurum esset, dolore conuerso. Nobiles pueri
 custodiae corporis eius adsueta, nec doloris
 magnitudinem capere; nec se ipsos intra vesti-
 bulum regiae retinere potuerunt: vagique &
 furentibus similes totam urbem luctu ac moerore
 compleuerant; nullis questibus omissis, quos in
 9 tali casu dolor suggerit. Ergo qui extra regiam
 adstitierant Macedones pariter barbarique con-

Ptolemaeus, & in sua prouincia deposuit. *Strab. XVII. pag. 546. Curt. X. 10. 20. C. 5. qui esset opti-
 mus*] Diodorus XXII. 117. & Arrianus VII. pag. 520. τὸν κρείττον, quod vel optimo, vel fortissimo vertendum est. Iustinus XII. 15. dignissimum. C. funebres ludos] bella ciuilia, ad interuentionem post mortem Alexandri inter duces gesta. Respexit Curtius ad Romanum morem, quo in funeribus gladiatores ad rogum dimicabant. Vide Lipsii Saturnal. l. 8. C. 6. exstinguitur] quum vixisset annos XXXII. menses VIII. regnasset annos XII. menses VIII. *Arrian. p. 502. aut menses VI. supra XII. annos. Diodor. XVII. 117. Aliter de aetate Iustinus XII. 16. Decessit mensum unum, annos tres & triginta natus. C.*

currunt; nec poterant victi a victoribus in communi dolore discerni. Persae iustissimum ac mitissimum dominum; Macedones optimum ac fortissimum regem inuocantes; certamen quoddam moeroris edebant. Nec moestorum ¹⁰ solum, sed etiam indignantium voces exaudiebantur; tam viridem, & in flore aetatis fortunaequae inuidia deum ereprum esse rebus humanis. Vigor eius & vultus educens in proelium milites, obsidentis vrbes, euadentis in muros, fortes viros pro concione donantis occurrebant oculis. Tum Macedones diuinos honores negasse ei poenitebat; impiosque & ingratos fuisse se confitebantur, quod aures eius debita adpellatione fraudassent. Et quum diu nunc in ueneratione, nunc in desiderio haesissent; in ipsos versa miseratio est. Macedoniã profecti ultra ¹² Euphratem mediis hostibus nouum imperium aspernantibus destitutus se esse cernebant; sine certo regis herede, sine herede regni publicas vires ad se quemque tracturum. Bella deinde ¹³ ciuilia, quae sequuta sunt, mentibus augurabantur: iterum, non de regno Asiae, sed de rege, ipsi sanguinem esse fundendum; nouis vulneribus veteres rumpendas cicatrices. senes, debiles, ¹⁴ modo petita missione a iusto rege, nunc

^{10.} *inuidia deum*] Reuolue VI. 2. 19. C. ^{12.}
ultra Euphratem] Alueus Euphratis interfluebat Babylonem, in qua tum erant Macedones: plures autem aluei citra urbem. C.

morituros pro potentia forsitā satellitis alicuius
 1 signobilis. Has cogitationes volentibus nox
 superuenit, terroremque auxit. milites in armis
 vigilabant : Babylonii alius e muris , alius cul-
 mine sui quisque tecti prospectabant, quasi certi-
 16 bora visuri. nec quisquam lumina audebat accen-
 dere, & quia oculorum cessabat vsus ; fremitus,
 vocesque auribus captabant : ac plerumque vano
 metu territi per obscuras semitas, alius alii occur-
 santes, inuicem suspecti & solliciti ferebantur.
 17 Persae comis suo more detonsis, in lugubri veste,
 cum coniugibus ac liberis, non vt victorem &
 modo hostem, sed vt gentis suae iustissimum re-
 gem vero desiderio lugebant. Adsueta sub rege
 viuere, non alium, qui imperaret ipsis, digni-
 18 orem fuisse confitebantur. Nec muris vrbis
 luctus continebatur ; sed proximam regionem

16. ferebantur] circumcurrebant. S. 17.
 comis suo more detonsis] Antiquus ritus, etiam alia-
 rum gentium, vt in acerbiorē luctu crines tonderentur,
 maxime mulierum, iniicerenturque cadaueri. Diony-
 sius Halicarnass. lib. XI. pag. 720. in funere Virginiae,
 a patre propter vim Appii interfectae, tradit quod mu-
 lieris ἀποκείραμεναι detonsae crines in loculum conie-
 cerint. Propertius I. eleg. XVII. v. 21.

Illa meo caros donasset funere crines.

Ouidius epist. Canaces v. 115.

Non mihi te licuit lacrimis perfundere iustis.

In tua non tonsas ferre sepulcra comas.

De viris etiam Homerus Iliad. lib. XXIII, v. 135.

Θριξὶ δὲ πάντα νέκυν, καταείνουσ, ἄς ἐπέβαλλον
 Κείραμενοι. C.

ab ea, deinde magnam partem Asiae cis Euphratem tanti mali fama peruaserat. Ad Darii quo-¹⁹ que matrem celeriter perlata est. abscissa ergo veste, qua induta erat, lugubrem sumpsit; laceratisque crinibus humi corpus abiecit. Adfide-²⁰ bat ei altera ex neptibus, nuper amissum Hephæstionem, cui nupserat, lugens; propriasque causas doloris in communi moestitia retrectabat. Sed omnium suorum mala Sisygambis vnà²¹ capiebat. Illa suam, illa neptium vicem flebat. Recens dolor etiam praeterita reuocauerat. crederes modo amissum Darium, & pariter miserae duorum filiorum exsequias esse ducendas. Flebat mortuos simul viuosque. *Quem enim²² puellarum acturum esse curam? quem alium futurum Alexandrum? iterum se captas; iterum excidisse regno. qui mortuo Dario ipsas tueretur reperisse; qui post Alexandrum respiceret, sique non reperituras.* Subibat inter haec animum,²³ octoginta fratres suos eodem die ab Ocho saeuissimo regum trucidatos, adiectumque stragi tot filiorum

22. qui mortuo Dario] dicebat mater Darii, se reperisse aliquem in Alexandro, qui mortuo Dario ipse tueretur, sed non facile se reperituras esse talem, qui Alexandro mortuoso respiceret vel curam sui ageret. S. 23. octoginta fratres] Valerius Max. IX. 2. Ochus cognomine Artaxerxes patrum cum centum amplius filiis ac nepotibus vacua area destitutum iaculis confixit. C. vnum superesse] Oxathrem, Darii fratrem, inter amicos & corporis custodes ab Alexandro receptum, III. 11. 8. VII. 5. 40. C.

patrem : e septem liberis, quos genuisset ipsa, unum
 superesse : ipsum Darium floruisse paullisper, et
 24 crudelius posset exstingui. Ad vltimum dolori
 succumbit, obuolutoque capite accidentes geni-
 bus suis neptem, nepotemque auersata, cibo
 pariter abstinuit & luce. quinto, postquam
 25 mori statuerat, die exstincta. Magnum pro-
 fecto Alexandro indulgentiae in eam, iustitiae-
 que in omnes captiuos documentum est mors
 huius : quae quum sustinuisset post Darium
 26 viuere ; Alexandro esse superstes erubuit. Et
 hercule, iuste aestimantibus regem liquet, bona
 naturae eius fuisse : vitia vel fortunae, vel aeta-
 27 tis. Vis incredibilis animi ; laboris patientia
 propemodum nimia ; fortitudo non inter reges
 modo excellens, sed inter illos quoque, quorum
 28 haec sola virtus fuit : liberalitas saepe maiora
 tribuentis, quam a diis petuntur : clementia

24. dolori succumbit] a magnitudine doloris vin-
 citur, e que resistere non potuit. S. accidentes]
 procidentes. Male olim editum adfidentes. Tacitus
 XV. 53. genibus principis accidens. C. luce]
 vita abstinnit h. e. mori decreuit. S. 26. bona
 naturae fuisse] quidquid bonum & laudandum in
 Alexandro, ex praecleara indole habuisse, Contrarium
 huic ingenium Neronis, de quo Suetonius cap. 26.
 vitia illa naturae non aetatis esse. C. 27. quo-
 rum haec sola virtus erat] qui sunt fortissimi. S.
 28. maiora tribuentis] Quum aliquando is, cui
 donabatur, nollet accipere, quae suae fortunae non
 conuenirent ; Alexander dixit : non quaero, quid re
 accipere deceat, sed quid me donare, Senec, Benef.
 ll. 16. C.

in deuictos, tot regna aut reddita, quibus ea dempserat bello, aut dona data: mortis, cuius² 9
 metus ceteros exanimat, perpetua contemptio: gloriae laudisque vt iusto maior cupido; ita & iuueni & in tantis admittenda rebus. Iam pie-³ 0
 ras erga parentes, quorum Olympiada immortalitati consecrare decreuerat; Philippum vtus³ 1
 erat: iam in omnes fere amicos benignitas; erga milites beneuolentia; consilium par magnitudini animi, & quantam vix poterat aetas eius capere, sollertia: modus immodicarum cupi-³ 2
 ditatum, Veneris intra naturale desiderium vsus, nec vlla nisi ex permissio voluptas: ingentes profecto dotes erant. Illa fortunae: diis aequare³ 3
 se & coelestes honores arcessere, & talia suadentibus oraculis credere, & dedignantibus venerari ipsum vehementius, quam par esset, irasci; in externum habitum mutare corporis cultum, imitari deuictarum gentium mores, quas ante victoriam spreuerat. Nam iracundiam & cupidinem³ 4
 vini sicuti iuuenta inritauerat, ita senectus mitigari potuisset. Fatendum est tamen, quum plu-³ 5
 rimum virtuti debuerit, plus debuisse fortunae; quam solus omnium mortalium in potestate habuit. Quoties illum a morte reuocauit? quo-

30. *Olympiada consecrare*] XI, 6. extr. C. 35.
plus debuisse fortunae] Quod secus videtur Plutarcho de Fortun. Alexandri: etiam Apuleio lib. 1. Florid. dicenti de Alexandro: *inexsuperabili imperio orbis auctus, fortuna sua maior fuit.* C.

ties temere in pericula vectum perpetua felicitate
 protexit? Vitae quoque finem eundem illi quem
 gloriae statuit. Expectauere eum fata, dum
 36 oriente perdomito, aditoque oceano, quidquid
 mortalitas capiebat, impleret. Huic regi duci-
 que successor quaerebatur: sed maior moles erat,
 37 quam ut vnus subire eam posset. Itaque nomen
 quoque eius & fama rerum in totum propemo-
 38 dum orbem, reges ac regna diffudit; clarissimi-
 que sunt habiti, qui etiam minimae parti tantae
 fortunae adhaeserunt.

36. maior moles erat] Velleius Patere. II. extrem.
 quidquid numinum hanc Romani imperii molem in
 amplissimum terrarum orbis fastigium extulit. C.
 38. reges ac regna] per varios diuisi imperii succes-
 sores. C. minimae parti] Plutarchus de Fortu-
 na Alex. orat. II. ἐν Δημητρίῳ τῆς Ἀλεξάνδρου δυνάμεως
 ἡ τύχη σμικρὴν ἐποσπίασται προσέθηκε, Demetrio Ale-
 xandreae potentiae paruum Fortuna portiunculam
 contulerat. C. adhaeserunt] amplexi sunt par-
 tem, & ab ea quasi pependere. C.

CAP. VI.

*De successore Alexandri inter magnates consultatio,
 & variae sententiae.*

1 CETERVM Babylone (inde enim diuertit
 oratio) corporis eius custodes, in regiam
 principes amicorum, ducesque copiarum aduo-
 cauere. sequuta est militum turba, cupientium
 scire,

scire, in quem Alexandri fortuna effet transitura. Multi duces, frequentia militum exclusi, regiam intrare non poterant; quum praeco exceptis, qui nominatim citarentur, adire prohibuit. sed precarium spernebatur imperium. Ac primum eiulatus ingens, ploratusque renouatus est: deinde futuri expectatio inhibitis lacrimis silentium fecit. Tunc Perdicca regia sella in conspectum vulgi data, in qua diadema vestisque Alexandri cum armis erat; annulum sibi pridie traditum a rege in eadem sede posuit, quorum adpectu rursus abortae omnibus lacrimae, integrare luctum. Et Perdicca, *ego quidem, annulum, quo ille regni atque imperii vires obfirmare erat solitus, traditum ab ipso mihi, reddo vobis. Ceterum quamquam nulla clades huic, qua adfecti sumus, par ab iratis diis excogitari potest; tamen magnitudinem rerum, quas egit, intuentibus credere licet, tantum virum deos adcommo-
dasse rebus humanis, quarum sorte com-*

2. *adire prohibuit*] sc. omnes alios, exceptis iis, qui &c. S. 4. *data*] *posita*. S. 5. *regni atque imperii vires*] mandata, quae vim imperandi habent. Nisi forsitan *litteras*] aut aliud scripsit Curtius, quod etiam Tellierus suspicatur. C. 6. *adcommo-
dasse rebus humanis*] Vt de Marcello Virgilius Aen. VI. 869.

Ostendent terris hunc tantum fata.

& Ovidius Metam. XV. 821. de Caesare

*Hic sua complevit, pro quo Cytherea laboras,
Tempora, perfectis, quos terrae debuit, annis,
Vt deus accedat coelo. C.*

- 7 pleta, cito repeterent eum suae stirpi. Proinde quoniam nihil aliud ex eo superest, quam quod semper ab immortalitate subducitur, corpori nominique quam primum iusta solvamus; haud oblitus, in qua urbe, inter quos simus, quali rege ac praeside
- 8 spoliati. Tractandum est commilitones, cogitandumque, ut victoriam partam inter hos, de quibus parta est, obtinere possimus. Capite opus est. hoc ne uno an pluribus, in vestra potestate est. Illud scire debetis, militarem sine duce turbam corpus
- 9 esse sine spiritu. Sextus mensis est, ex quo Roxane praegnans est; optamus ut marem enitatur: eius regnum diis adprobantibus futurum, quando adoleverit, interim a quibus regi velitis, destinate:
- 10 Haec Perdicca: Tum Nearchus, Alexandri modo sanguinem, ac stirpem regiae maiestati
- 11 convenire neminem ait posse mirari. Ceterum expectari nondum ortum regem, S, qui iam sit; praeteriri, nec animis Macedonum convenire, nec temporis rerum. Esse e Barsine filium regis,

7. ab immortalitate subducitur] Si constat scriptura, corpus intelligitur, quod expers immortalitatis, sepulcro infertur. Alii quod mortalitati subducitur, aut quod ab immortalitate morti subducitur, ut ad nomen ac gloriam referatur. Sed praestit prima de corpore sententia. C. 9. Sextus mensis] Iustinus XIII. 2. exacto mense octavo matura iam ex Alexandro erat. Post paullo etiam filium enixa est, cui Alexandri nomen imposuit. Iustin. *ibid.* & Pausan. Boeot. pag. 287. Roxane] Bacrii Oxyartis filia, VIII. 4. 22. C. 11. Esse e Barsine] Memnonis vidua, Artabazi filia, de qua ad III. 13. 14. praediximus.

huic

huic diadema dandum. Nulli placebat ora-
tio. itaque suo more hastis scuta quatientes
obstreperere perseuerabant. Iamque prope sedi-
tionem peruenerant; Nearchus peruiacius tuen-
te sententiam. Tum Ptolemaeus, *digna pror-*
sus est soboles, inquit, *quae Macedonum imperet*
gentes Roxanes vel Barsinae filius; cuius nomen
quoque Europam dicere pigebit, maiore ex parte
captiui. Cur Persas uicerimus, et stirpi eorum
seruiamus? quod iusti illi reges Darius & Xerxes
tot millium agminibus, tantisque classibus nequid-
quam petiuerunt. Mea sententia haec est, et
sede Alexandri in regia posita, qui consiliis eius

Ex hac Alexander filium Herculem genuerat, qui iam
Pergami educabatur, Iustin. XIII. 2. post interfectus
a Cassandro, aequae ac Roxanes filius. Iustin. XV. 2. C.
12. hastis scuta quatientes] Ammianus XV. 21. quum
hastis clypei feriuntur, irae documentum est & dolo-
ris. Exemplum habes in Liuii XXVIII. 29. Vix,
inquit, finem dicendi fecerat, quum ex praeparato
simul omnium rerum terror oculis auribusque est
offusus. Exercitus, qui corona concionem circum-
dederat, gladiis ad scuta concrepuit. Adde Poly-
bium XV. 12. & Lindebrogium in Ammian. XIV. 8.
pag. 10. Noster quoque post paullo c. 7. num. 14.
eundem ritum repetit. C. 13. digna prorsus]
per ironiam i. e. minime digna est. S. cuius ---
captiui] cuius (alterius ex his duobus Roxanes &
Barsinae filiis) qui maiore ex parte captiuis est (ex
tali quippe genitus, cuius gens a nobis est subacta)
nomen quoque Europam dicere pigebit. S. 14.
quod] scilicet ut ipsis & stirpi eorum seruiremus. S.
Darius] Hytaspis filius. C. nequidquam]
frustra. S. 15. sede Alexandri in regia posita]
adhi-

adhibebantur, cōciant, quoties in commune consulto opus fuerit: eoque, quod maior pars eorum decreuerit, stetur. duces, praefectique copiarum
 16 his pareant. Ptolemaeo quidam, potiores Perdiccae adsentiebantur. Tum Aristonus orsus est dicere, Alexandrum consultum, cui relinqueret regnum, voluisse optimum deligi. iudicatum autem ab ipso, optimum Perdiccam, cui annulum
 17 tradidisset. Neque enim unum eum adfuisse morienti sed circumferentem oculos, ex turba amicorum delegisse cui traderet. Placere igitur
 18 summam imperii ad Perdiccam deferri. Nec dubitauere, quin vera censeret. itaque vniuersi procedere in medium, Perdiccam, & regis annulum tollere iubebant. Haerebat inter cupiditatem pudoremque, & quo modestius, quod exspectabat, adpeteret, peruicacius oblaturus
 19 esse credebat. Itaque contatus, diuque, quid ageret, incertus; ad vltimum tamen recessit, & 20 post eos, qui federant proximi, constitit. At Meleager vnus e ducibus confirmato animo, quem Perdiccae contatio erexerat, nec dii fuerint, inquit, *vt Alexandri fortuna, tantique regni fastigium in istos humeros ruat; homines certe non*

quod postea Eumenes apud Nepotem cap. VII. vsu confirmavit. C. eoque stetur] id obseruetur, quod maior pars decreuerit. S. 16. potiores] praestantiores, meliores ex consiliariis, S. Alexandrum consultum] dum consultus esset, vel quum consuleretur. S. 18. tollere] in pegmate vel testudine in altum sustollere, quod nouiter electis regibus olim moris erat. S.

ferent.

ferent. Nihil dico de nobilioribus quam hic est, sed de viris tantum; quibus inuitis nihil perpeti necesse est. Nec vero interest, Roxanes filium, ²¹ quandoque genitus erit, an Perdiccam regem habeatis; quum iste sub tutelae specie regnum occupaturus sit. Itaque nemo ei rex placet, nisi qui nondum natus est: & in tanta omnium festinatione, non iusta modo, sed etiam necessaria, exactos menses solus expectat, & iam diuinat marem esse conceptum: quem vos dubitatis paratum esse vel subdere. Si medius fidius Alexander hunc ²² bis regem pro se reliquisset, id solum ex iis, quae imperasset, non faciendum esse censerem. Quin ²³ igitur ad diripiendos thesauros discurretis? harum enim opum regiarum vtiq; populus est haeres. Haec eloquutus per medios armatos erupit, & ²⁴ qui abeunti viam dederant, ipsum ad pronunciatam praedam sequebantur.

20. quam hic est] quam Perdiccas est, quamuis & ipse regia stirpe genitus, cap. 7. n. 8. C. sed de viris tantum] sed de quibusuis, qui modo viri sunt, quos nulla res cogit hoc pati inuitos. Tell. C. 21. quandoque] pro quandocunque, er möchte auf die welt kommen, wenn er wolte. Et hic est verus huius particulae significatus: falsus vero ille, quando hodie quandoque vsurpant pro aliquando, interdum. Vide Cellarii Antib. c. 3. p. 165. & Curas Post. Append. pag. 416 417. S. exactos menses] finitos. vide Iustin. XIII. 2. 5. C. vos dubitatis] vos putatis non fieri posse, vel futurum esse, vt Perdiccas paratus sit marem Roxanae subdere, vel supponere, licet illa foemellam producat. S.

CAP. VII.

Aridaeus, Philippo genitus, Meleagro promouente, a quibusdam Rex salutatur. Vnde ciuilis belli semina.

- 1 **I** AMOVE armatorum circa Meleagrum frequens globus erat, in seditionem ac discordiam versa concione; quum quidam plerisque Macedonum ignotus ex infima plebe, *Quid, opus est, inquit, armis, ciuilique bello habentibus*
- 2 *regem, quem quaeritis? Aridaeus Philippo genitus, Alexandri paullo ante regis frater, caerimoniarumque consors modo, nunc solus haeres, praeteritur a vobis. Quo merito suo? quidue fecit, cur etiam gentium communi iure fraudetur? Si Alexandro similem quaeritis: nunquam reper-*
- 3 *etis; si proximum, hic solus est.* His auditis, concio primo silentium velut iussa habuit: conclamant deinde pariter *Aridaeum* vocandum esse, *mortemque meritos, qui concionem sine eo habuif-*
- 4 *sent.* Tum Pithon plenus lacrimarum orditur

I. globus] copia, turba. S. 2. Aridaeus] Philippo quidem genitus, sed in γουανός ἀδόςγε καὶ κοινός ex ignobili femina & vulgari corporis, cui Philinae nomen fuit. Plutarch. in Alex. extr. C. caerimoniarumque consors] qui a nobis haecenus eodem cultu, iisdemque caerimoniis, quibus reges solent, tractatus est. S. gentium communi iure] dicit hoc ius esse omnium gentium, vt Regum filii fratribus suis succedant. S.

dicere :

dicere : Nunc vel maxime miserabilem esse Alexandrum, qui tam bonorum civium militumque fructu, & praesentia fraudatus esset. Nomen enim memoriamque regis sui tantum intuentes, ad cetera caligare eos Haud ambigue in iuvenem, 5-
 cui regnum destinabatur, intensa probra; quae magis ipsi odium, quam Aridaeo contemptum adtulerunt: quippe dum miserentur, etiam favore coeperunt. Igitur non alium se, quam eum, 6
 qui ad hanc spem genitus esset, regnare passuros pertinaci adclamatione declarant, vocarique Aridaeum iubent. Quem Meleager infestus 7
 inuisusque Perdiccae strenue perducit in regiam; & milites Philippum consalutatum, regem appellat. Ceterum haec vulgi erat vox; principum 8
 alia sententia. E quibus Pithon consilium Perdiccae exsequi coepit, tutoresque destinat filio ex Roxane futuro, Perdiccam, & Leonnatum stirpe regia genitos. Adiecit, ut in Europa Craterus & Antipater res administrarent. Tum 9
 iusiurandum a singulis exactum, futuros in potestate regis geniti Alexandro. Meleager haud 10
 iniuria metu supplicii territus, cum suis secesserat. Rursus Philippum trahens secum inrupit regiam, clamitans *suffragari spei publicae de novo rege*

5. *in iuvenem intensa probra*] in Aridaeum coniecta probra. Vulgo *impensa probra*: Freinshemius suavit *intensa*; Tellierus recepit, ut idem sit quod *intenta*. C. 7. *Philippum*] Aridaeum ominis & memoriae causa paterno nomine Philippum salutant. Diodorus XVIII, 2. C. 10. *suffragari spei* paullo

paullo ante conceptae robur aetatis: experirentur
 modo stirpem Philippi, & filium ac fratrem regum
 11 duorum sibimetipsis potissimum crederent. Nul-
 lum profundum mare, nullum vastum fretum &
 procellosum tantos ciet fluctus, quantos multi-
 tudo motus habet. utique si noua & breui dura-
 12 tura libertate luxuriat. Pauci Perdiccae modo
 electo; plures Philippo, quam sperauerat, impe-
 rium dabant. Nec velle, nec nolle, quidquam
 diu poterant; poenitebatque modo consilii,
 modo poenitentiae ipsius. Ad vltimum tamen
 13 in stirpem regiam inclinauere studiis. Cesserat
 ex concione Aridaeus principum auctoritate
 confertus, & abeunte illo conticuerat magis,

Locus in primis vexatus. Tellerius in optimis MSS.
 conceptae inueniens pro vulgato *concepto*, ausus est
spei quoque pro *rei* ponere, quem ideo sequuti sumus,
 quod ceterorum medelae violentiores videbantur.
 Vulgo legitur: *suffragare reipublicae de nouo rege*
paullo ante concepto, robur aetatis experirentur;
modo stirpem Philippi &c. vbi priora verba ad Roxa-
 nis filium nondum editum referenda sunt: in Tellerii
 autem, quam expressimus, scriptura, omnia de Aridaeo
 intelliguntur, nempe spem de Aridaeo conceptam
 vel aetate iuuenis non immatura confirmari. C.
sibimetipsis potissimum] Freinshem. maault *semet ipsis*
potiorem. C. 12. *modo poenitentiae ipsius*] Sic
 etiam Plinius VII. epist. X. *Superest, ne rursus provin-*
ciae, quod damnasse dicitur, placeat, agatque poeni-
tentiam poenitentiae suae. C. *nec velle, nec*
nolle poterant] *sie konten sich zu nichts resoluiren.* S.
studii] *inclinatione, propensione sua,* S.

quam

quam languerat militaris fauor. Itaque reuocatus vestem fratris, eam ipsam, quae in sella posita fuerat, induitur. Et Meleager thorace¹⁴ sumpta capit arma, nouique regis satelles sequitur. Phalanx hostis clypeos quatiens *expleturam se sanguine illorum, qui adfectauerant nihil ad ipsos pertinens regnum*, minabatur. *in eadem*¹⁵ *domo familiaque imperii vires remansuras esse gaudebant; hereditarium imperium stirpem regiam vindicaturam, aduetos se nomen ipsum colere, venerarique, nec quemquam id capere, nisi genitum ut regnaret.* Igitur Perdiccas territus, conclauē¹⁶ in quo Alexandri corpus iacebat, adseruari iubet. Sexcenti cum ipso erant, spectatae virtutis: Ptolemaeus quoque se adiunxerat ei, puerorumque regia cohors. Ceterum haud difficulter a tot¹⁷ millibus armatorum claustra perfracta sunt. Et rex quoque intruperat stipatus satellitum turba, quorum princeps erat Meleager. Iratusque¹⁸ Perdicca hos, qui Alexandri corpus tueri vellent, seuocat; sed qui intruperant, eminus tela in ipsum iaciebant. multisque vulneratis, tandem seniores demptis galeis, quo facilius nosci possent,

14. *clypeos quatiens*] Supra cap. VI. n. 12. explicatum. C. *sanguine illorum*] Perdiccae & eum sectantium. C. 18. *quo facilius nosci possent*] Sic apud Tacitum annal. III. 41. quum Sacrouir intelto capite pugnaret fortitudinis, ut ferebat, ostentandae causa; captiui, ne incessetur telis, adgnosendum se praebuisse, arguebant. C.

precari,

precari, qui cum Perdicca erant, coepere, vt
 abstinerent bello, regique & pluribus cederent.
 19 Primus Perdicca arma deposuit; ceterique idem
 fecere. Meleagro deinde suadente ne a corpore
 Alexandri discederent; insidiis locum quaeri
 20 rati, diuersa regiae parte ad Euphratem fugam
 intendunt. Equitatus, qui ex nobilissimis iuue-
 num constabat, Perdiccam & Leonnatum fre-
 quens sequebatur; placebatque excedere vrbe,
 21 & tendere in campo. Sed Perdicca ne pedites
 quidem sequuturos ipsum desperabat: itaque ne
 abducendo equites abruptis a cetero exercitu
 videretur; in vrbe substitit.

*precari] scilicet eos, qui cum Sc. S. 20. ten-
 dere in campo] tabernacula figere in agris, seu castra
 ponere. Vulgo in campos, quod displicet Freinshe-
 mio & Telliero. Nam quod quidam libri habent
 in campos: & Perdicca; probabile est, S a voce sed
 abreptum praecedenti campo adhaesisse. C.*

CAP. VIII.

*Primarii duces Meleagri artibus occurrunt. Aridae-
 us autem, pacis studiosus, tumultum componere
 media quadam ratione conatur.*

* **A**T Meleager regem monere non destitit,
 ius imperii Perdiccae morte sancendum esse:
 ni occupetur impotens animus, res nouaturum.
 Meminisse eum quid de rege meruisset, neminem
 autem

autem ei satis fidum esse, quem metuat. Rex 2
 patiebatur magis, quam adfentiebatur. Itaque
 Meleager silentium pro imperio habuit, misitque
 regis nomine, qui Perdiccam accerferent. iisdem
 mandatum, vt occiderent, si venire dubitaret.
 Perdicca nunciato satellitum aduentu, sexdecim 3
 omnino pueris regiae cohortis comitatus in limi-
 ne domus suae constitit; castigatosque & Mele-
 agri mancipia idemtidem adpellans, sic animi
 vultusque constantia terruit, vt vix mentis com-
 potes fugerent. Perdicca pueros equos iussit 4
 conscendere; & cum paucis amicorum ad Leon-
 natum peruenit; iam firmiore praesidio vim pro-
 pulsaturus, si quis inferret. Postero die indigna 5
 res Macedonibus videbatur, Perdiccam ad mortis
 periculum adductum; & Meleagri temeritatem
 armis vltum ire decreuerant. atque ille fediti- 6
 one prouisa, quum regem adisset, interrogare
 eum coepit, *an Perdiccam comprehendi ipse ius-*
isset. ille *Meleagri instinctu se iussisse* respondit.
Ceterum non debere tumultuari eos; Perdiccam
enim viuere. Igitur concione dimissa Meleager 7

2. *patiebatur*] *er ließ ihn immer hin reden.* S.
silentium pro imperio] *secundum illud vulgare: Quo*
tacet, consentire videtur. S. 6. *atque ille*]
Meleager. C. *interrogare eum coepit*] Mele-
 ager interrogauit regem militibus praesentibus & audi-
 entibus, qui indignati fuerant, Perdiccam a Meleagro
 in vitae discrimen adductum esse. Sperabat autem
 Meleager, confitente rege quod rogabatur, se extra
 periculum & inuidiam fore. C. *ipse iussisset*]
 ipse rex Aridaeus. C.

equitum

- equitum maxime defectione perterritus, inop-
 que consilii (quippe in ipsum periculum reci-
 derat, quod inimico paullo ante intenderat)
 triduum fere consumpsit incerta consilia voluen-
 8 do. Et pristina quidem regiae species manebat,
 nam & legati gentium regem adibant: & copi-
 arum duces aderant: & vestibulum satellites ar-
 9 matique compleuerant. Sed ingens sua spon-
 te moestitia vltimae desperationis index erat:
 suspectique inuicem non adire propius; non
 conloqui audebant, secretas cogitationes intra
 se quoque voluentes, & ex comparatione regis
 10 noui, desiderium excitabatur amissi. *Vbi ille
 esset, cuius imperium, cuius auspiciam sequuti
 erant: destitutos se inter infestas indomitasque
 gentes, expetituras tot cladum suarum poenas;*
 11 *quandocumque oblata esset occasio.* His cogita-
 tionibus animos exedebant, quum adnunciatur,
 equites, qui sub Perdicca essent, occupatis circa
 Babylonem campis, frumentum, quod in urbem
 12 inuehebatur, retinuisse. Itaque inopia primum,
 deinde fames esse coepit; & qui in vrbe erant,

8. *pristina regiae species*] species tantummodo,
 nam vera dignitas atque auctoritas cum Alexandro
 amissa erat. C. 9. *regis noui*] Aridaci, cum
 Alexandro fratre nequaquam comparandi. C. 10.
Vbi ille esset] Supple: *requirebant*: quod quidem
 eleganter omissum a Curtio, & intrusum a sciolis sustu-
 limus, doctos sequuti *Tellier. C. expetituras*]
 gentes quae ab ipsis cladum suarum poenas expetiturae
 essent. S. 11. *exedebant*] *angebant, crucia-*
bant. S.

aut reconciliandam gratiam cum Perdicca ; aut armis certandum esse censebant. Forte ita acciderat, vt qui in agris erant, populationem villarum vicorumque veriti, confugerent, in urbem : oppidani, quum ipsos alimenta deficerent, vrbe excederent : & vtrique generi tutior aliena sedes, quam sua videretur. Quorum consternationem 14 Macedones veriti, in regiam coeunt ; quaeque ipsorum sententia esset, exponunt. Placebat autem legatos ad equites mitti de finienda discordia, armisque ponendis. Igitur a rege 15 legatur Pafas Thessalus, & Amiffas Megalopolitanus, & Perilaus : qui quum mandata regis edidissent ; *non aliter posituros arma equites, quam si rex discordia auctores dedidisset*, tulere responsum. His renunciatis sua sponte milites arma 16 capiunt ; quorum tumultu e regia Philippus excitus, *Nihil, inquit, seditione est opus. nam inter se certantium praemia, qui quieuerint, occupabunt. Simul mementote rem esse cum ciuibus ; quibus 17 spem gratiae cito abrumpere ad bellum civile properantium est. Altera legatione an mitigari 18 possent, experiamur : E credo nondum regis cor-*

14. ponendis] deponendis. S. 15. edidissent] protulissent Perdiccae, eiusque militibus, quae ipsi a Rege mandata erant. S. 16. nam inter se] Ordo : nam, qui quieuerint, occupabunt praemia eorum, qui inter se certant. S. 17. quibus] quibus ciuibus, si vos spem gratiae tam cito abrumpatis, tum omnibus videbimini civile bellum meditari. S.

pore sepulto, ad praestanda ei iusta omnes esse
 19coituros. Quod ad me adinet, reddere hoc im-
 perium malo; quam exercere civium sanguine:
 & si nulla alia concordiae spes est, oro, quae
 20eligite potiozem. Obortis deinde lacrimis dia-
 dema detrahit capiti; dextram, qua id tenebat,
 protendens, vt, si quis se digniorem profiteretur,
 21acciperet. Ingentem spem indolis, ante eum
 diem fratris claritate suppressae, ea moderata
 excitauit oratio. itaque cuncti instare coepe-
 22runt, vt quae agitasset, exsequi vellet. Eosdem
 rursus legat petituos, vt Meleagrum tertium
 duccm acciperent. Haud aegre id impetratum
 est. nam & abducere Meleagrum Perdicca a
 rege cupiebat; & vnum duobus imparem futu-
 23rum esse censebat. Igitur Meleagro cum pha-
 lange obuiam egresso, Perdicca equitum turmas
 antecedens occurrit. Vtrumque agmen mutua
 salutatione facta coit; in perpetuum, vt arbitra-
 bantur, concordia & pace firmata.

18. iusta] officium funerandi. S. 21. sup-
 pressae] Hoc Acidal. Freinshem. & Teillierus malunt,
 quam vulgare suppressam. Ceterum haec indoles
 non tantum fratris claritate, sed per se etiam sup-
 pressa fuit, siquidem Aridaeus ἀτελής τῷ φρονεῖν ἄν-
 διὰ σώματος νότον, mentis non compos erat ex cor-
 poris vitia non naturali quidem (festiua enim nec
 ignaua indoles in puero eluxerat) sed nouercae fraude
 contracto, quippe fama erat φαρμάκωσις ὑπὸ Ὀλυμπιάδος
 κακωθέντα διαφθαρήναι τὴν διάνοισιν, medicamentis ab
 Olympiade visitatum, mente debilitatum fuisse.
 Plutarch. in Alex. extr. 6.

CAP. IX.

*Perdiccas Meleagrum & trecentos fere alios, qui eum
sequuti fuerant, dolo opprimit.*

SED iam fatis admouebantur Macedonum
genti bella ciuilia. Nam & infociabile est
regnum: & a pluribus expetebatur. Primum
ergo conlegere vires; deinde disperferunt: &
quam pluribus corpus, quam capiebat, onera-
sent; cetera membra deficere coeperunt: quod-
que imperium sub vno stare potuisset: dum a
pluribus sustinetur, ruit. Proinde iure merito
que populus Romanus salutem se principi suo
debere profitetur, cui noctis, quam paene supre-

1. *infociabile regnum*] Multorum suffragiis comprobata sententia. Seneca Agamemni v. 259.

Nec regna socium ferre, nec caedae sciunt.

Lucanus I. v. 93.

*Nulla fides regni sociis, omnisque potestas,
Impatiens consortis erit.*

Ex Homero autem hausta sunt, cuius nota vox Iliad.
B. v. 204.

Ὅν ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω. C.

2. *conlegere*] MSs. *collifere*, id est, inter se vires
commissere C. 3. *principi suo*] Vespasiano, ex
Rutgersii, Vossii, & Freinshemii mente: vel Claudio,
vt censet Lipsius in Tacit. XI. 21. & Tellecius praefat.
in Curt Aliorum de Augusto aut Traiano sententiae
sunt minus probabiles: adi Lips. c. l. & Voss, de Histor.
Lat C *cui noctis*] Aut *nox* est calamitosus rei-
publ. status per translationem aut quia sequentia verba
paene supremam, videntur propriae notionis argu-
mentum; vel *nox* Bedriacensis proelii intelligitur apud
Tacitum Hist. III. 22. aut secundum alios *nox*, quae

- 4 mam habuimus, nouum sidus inluxit. Huius hercule, non solis ortus, lucem caliganti reddidit mundo; quum sine suo capite discordia membra
- 5 trepidarent. Quot ille tum extinxit faces? quot condidit gladios? quantam tempestatem subita serenitate discussit? Non ergo reuirescit
- 6 solum; sed etiam floret imperium. Absit modo inuidia, excipiet huius saeculi tempora, eiusdem domus utinam perpetua, certe diuturna posteritas. Ceterum ut ad ordinem, a quo me contemplatio publicae felicitatis auerterat, redeam; Perdicca unicum spem salutis suae in Meleagri morte deponebat: vanum eundem & infidum, celeriterque res nouaturum, & sibi maxime infestum occupandum esse. Sed alta dissimulatione consilium premebat; ut opprimeret incautum. Ergo clam quosdam ex copiis, quibus praeerat, subornauit, ut quasi ignoraret ipse, conquererentur palam, Meleagrum aequatum

inter Caligulae & Claudii principatum intercessit, quam Iosephus (XIX. 2. & 3) ut satis periculosam describit. Similiter Liuius VI. 17. locutus est. *C. nouum sidus*] nouus imperator. *C. 5. faces gladios*] composuit ciuilia bella Othonis, Vitellii Vespasianus: aut metum ciuilis belli, a Minuciano & Valerio excitandi, adsumpto imperio extinxit Claudius. *Ioseph. XIX. 3. C. 6. eiusdem domus*] domus Flauia: aut secundum alios Caesaris Augusti familia in nepotibus & pronepotibus utcumque reliqua. *C. 7. deponebat*] *conlocabat*: statuebat se aliter saluum esse non posse, quam occiso Meleagro. *S. occupandum*] praeueniendum esse occidendo, antequam ipse ab alio occideretur. *S. 8. alta*] magna. *S.*

esse

esse Perdiccae. Quorum sermone Meleager ad 9
 se relato, furens ira, Perdiccae quae compe-
 risset, exponit. Ille velut noua re exterritus,
 admirari, queri, dolentisque speciem ostentare
 ei coepit; ad vltimum conuenit, vt comprehen-
 derentur tam feditiosae vocis auctores. Agit 10
 Meleager gratias, amplexusque Perdiccam, fidem
 eius in se, ac beneuolentiam conlaudat. Tum 11
 communi consilio rationem opprimendi noxios
 ineunt. placet exercitum patrio more lustrari.
 & probabilis caussa videbatur praeterita discor-
 dia. Macedonum reges ita lustrare soliti erant 12
 milites, vt discissae canis viscera vltimo in cam-
 po, in quem deduceretur exercitus, ab vtraque
 abicerentur parte. intra id spatium armati
 omnes starent, hinc equites, illinc phalanx.
 Itaque eo die, quem huic sacro destinauerant, 13
 rex cum equitibus elephantisque constiterat
 contra pedites, quos Meleager praecerat. Iam 14
 equestre agmen mouebatur, & pedites subita
 formidine ob recentem discordiam, haud sane
 pacati quidquam exspectantes, parumper ad-
 dubitauere, an in urbem subducerent copias:

11. exercitum lustrari] expiari. Id singulis annis
 factum apud Macedones mense Xanthico, vnde solen-
 nia sacra illa *Ξανθικὰ* dicta, quae Hesychius definit:
καθάρσιον τῶν στρατευμάτων. C. 12. ita lustrare
 soliti] Ritum hunc fusc scripsit Lilius XL. 6. quem
 consulat. C. vltimo in campo] in vtraque campi
 extremitate. C. 13. contra] ex aduerso, ex
 altera parte. S. 14. haud pacati quidquam]
 nihil amicum. C.

- 15 quippe pro equitibus planicies erat. Ceterum
 veriti ne temere commilitonum fidem damna-
 rent; subfitere, praeparatis ad dimicandum
 animis, si quis vim inferret. Iam agmina coi-
 bant, paruumque interuallum erat, quod aciem
 16 vtramque diuideret. Itaque rex cum vna ala
 obequitare peditibus coepit, discordiae auctores,
 quos tueri ipse debebat, instinctu Perdiccae ad
 supplicia deposcens: minabaturque omnes tur-
 mas cum elephantis inducturum se in recusantes.
 17 Stupebant improuiso malo pedites: nec plus
 in ipso Meleagro erat aut consilii, aut animi.
 tutissimum ex praesentibus videbatur, expectare
 18 potius, quam mouere fortunam. Tum Perdicca
 vt torpentes & obnoxios vidit; ccc fere, qui
 Meleagrum erumpentem ex concione, quae pri-
 ma habita est post mortem Alexandri, sequenti
 erant, a ceteris discretos, elephantis in conspectu
 totius exercitus obicit; omnesque belluarum
 pedibus obruti sunt, nec prohibente Philippo,
 19 nec auctore. adparebatque id modo pro suo
 vindicaturum, quod adprobasset euentus. Hoc
 bellorum ciuiliu Macedonibus & omen &
 20 principium fuit. Meleager fero intellecta
 fraude Perdiccae, tum quidem, quia ipseus cor-

15. damnarent] spernerent. S. 18. CCC
 fere] Diodorus Sic. XVIII. 4. τριάκοντα. C.
 nec auctore] Philippus non auctor, vel suasor erat,
 vt haec fierent. S. 19. adparebatque] adpa-
 rebat, Aridaeum Philippum nihil adprobaturum tan-
 quam se auctore factum quod exitus felix adprobaret.
 Tellier, C.

pori vis non adferebatur, in agmine quietus stetit: at mox, damnata spe salutis, quum eius² nomine, quem ipse fecerat regem, in perniciem suam abutentis videret inimicos, confugit in templum: ac ne loci quidem religione defensus, occiditur.

CAP. X.

Alexandri imperium in partes diuisum, cuius summa Aridaeo tributa: prouinciae autem magnatibus. Defuncti corpus ab amicis curatum, & tandem Alexandriam Aegypti translatum est.

PERDICCA perducto in urbem exercitu, ¹ consilium principum virorum habuit, in quo imperium ita diuidi placuit, vt rex quidem summam eius obtineret, satrapes Ptolemaeus Aegypti & Africae gentium, quae in ditione erant. Laomedonti Syria cum Phoenice data ² est: Philotae Cilicia destinata: Lyciam cum Pamphylia & maiore Phrygia obtinere iussus

^{1.} *ita diuidi placuit*] paullo aliter diuisionem narrat Diodorus XVIII 3. & postea quoque varie mutata fuit, dum alius alii praefecturam eripuit, suaeque adiunxit. *C.* *& Africae gentium*] Aegyptus in geographia veteri pars Asiae est, a qua Africa Catabathi valle distinguitur. Pauca ergo veteris Africae Macedonibus parebant, scilicet quae circa Hammonis oraculum erant, quod Plin. V. 5. in Cyrenaicae finibus locat: Ptolemaeus V. 4. ad Marmaricam reducit. *C.*

^{2.} *Philotae*] Plures in Alexandri exercitu Philotae.

Antigonus: In Cariam Cassander; Menander
 3 in Lydiam missi. Phrygiam minorem Helle-
 sponto adiunctam Leonnati prouinciam esse
 iusserunt. Cappadocia Eumeni cum Paphlago-
 nia cessit. Praeceptum est, vt regionem eam
 vsque ad Trapezunta defenderet, bellum cum
 Arbate gereret. solus hic detrectabat imperi-
 4 um. Pithon Mediam, Lyfimachus Thraciam,
 adpositasque Thraciae Ponticas gentes obtinere
 iussi. Qui Indiae, quique Baetris & Sogdianis,
 certisque aut Oceani aut rubri maris accolis
 praeerant, quibus quisque finibus habuisset, im-
 perii etiam ius obtineret. Decretum est, vt
 Perdicca cum rege esset, copiisque praesset, quae
 5 regem sequebantur. Credidere quidam testa-
 mento Alexanpri distributas esse prouincias; sed

